Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Boston Library Consortium Member Libraries

http://www.archive.org/details/sanselmicantuari02anse

S. ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

VOLUMEN SECUNDUM

S. ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

VOLUMEN SECUNDUM

CONTINENS OPERA QUAE ARCHIEPISCOPUS
COMPOSUIT

ADIECTIS TRIBUS TABULIS PHOTOTYPICIS

AD FIDEM CODICUM RECENSUIT

FRANCISCUS SALESIUS SCHMITT

MONACHUS GRISSOVIENSIS
O. S. B.

ROMAE

MDCCCCXL

Index operum
quae hoc volumine continentur.

	pag.
I. Epistola de incarnatione verbi	*1*
II. Cur deus homo	*37*
III. De conceptu virginali et de originali peccato	*135*
IV. De processione spiritus sancti	*175*
V. Epistolae de sacrificio azimi et fermentati etc.	*221*
1. Epistola de sacrificio azimi et fermentati	*223*
2. Epistola Waleramni ad Anselmum	*233*
3. Epistola de sacramentis ecclesiae	*239*
VI. De concordia praescientiae et praedestinationis et gratiae dei cum libero arbitrio	*243*

Conspectus tabularum.

	post pag.
I. Cod. Vaticanus Reginensis lat. 452, fol. 133^{v}	*12*
II. Cod. lat. Monacensis 21248, fol. 124^{r}	*176*
III. Cod. Atrebatensis 484 (805), fol. 5^{r} et 5^{v}	*230*

EPISTOLA DE INCARNATIONE VERBI

INDEX SIGLORUM.

W = Londiniensis Lambethanus 224 (olim abbatiae Malmesberiensis), ante a. 1143.

H = Herefordensis P. 1. I, alterius dimidii s. XII.

V = Vaticanus Reginensis 452, s. XII. ineuntis.

P = Parisinus lat. 2479 (olim Colbertinus), primi dimidii s. XII.

B = Oxoniensis Bodleianus (n. 1938) Bodley 271 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

M = Monacensis lat. 21248 (olim Ulmensis), s. XII. ineuntis.

R = Rotomagensis 539 (olim Gemmeticensis C. 54), s. XII. ineuntis.

D = Duacensis 354 (olim Marcianas abbatiae G. 161), s. XII. ineuntis.

N = Neapolitanus, Bibliotecae Nationalis, VII. D. 11, s. XII. ineuntis.

I = Vaticanus Rossianus 343, s. XII. ineuntis.

G = Oxoniensis Bodleianus Bodley 569 (olim abbatiae s. Albani), alterius dimidii s. XII.

Huius operis quinque diversae recensiones exstant, quarum duae opus imperfectum, perfectum reliquae respiciunt. Eos inde sic distinxi et nominavi:

Rec. I, 1: cod. *W*; i. e. ea recensio, quam in vol. I, p. 277-290, sub inscriptione *Epistolae de incarnatione verbi prior recensio* reddidi;

Rec. I, 2: codicis ms. *H* primum fragmentum, quod initium operis imperfecti continet;

Rec. II, 1: codicis *H* tertium fragmentum;

Rec. II, 2: codd. *VP*;

Rec. II, 3: ultima operis redactio, quam primo loco posui.

Rec. I sive *Rec. II* opus imperfectum sive perfectum designant.

De his diversis recensionibus, de quibus in volumine V huius editionis dicetur, interea cf. SCHMITT, FR. SAL., *Cinq recensions de l'Epistola de incarnatione verbi de s. Anselme de Cantorbéry*, *Revue Bénédictine* 1939, p. 275-287.

Quo facilius videri posset, in quibus locis et quomodo *Rec. I,1* a *Rec. II,3* differat, huius cum illa conspectum in suo apparatu dedi. Quo in loco lectiones quoque *Recensionis I, 2* ponuntur.

Epistola de incarnatione verbi.

Domino et patri universae ecclesiae in terra peregrinantis, summo pon-
3 tifici URBANO: frater ANSELMUS, vita peccator, habitu monachus, sive iubente sive permittente deo Cantuariae metropolis vocatus episcopus, debitam subiectionem cum humili servitio et devotis orationibus.

6 *I.*

Quoniam divina providentia vestram elegit sanctitatem, cui fidem et vitam Christianam custodiendam et ecclesiam suam regendam committeret,
9 ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in ecclesia, ut eius auctoritate corrigatur ; nec ulli alii tutius si quid contra er-

3 URBANUS II. ab a. 1088 ad a. 1099 ecclesiam gubernavit.

1 Incipit epistola anselmi cantuarie archiepiscopi ad urbanum papam *P* DE INCARNATIONE VERBI *R* INCIPIT EPISTOLA ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE INC. VERBI *B* INC. LIBER ANSELMI CANT. AECCLESIAE ARCHIEP. DE INC. VERBI *G* Inc. epist. ad urbanum papam de (*cetera desunt*) *D* Epist. anselmi cant. episcopi. De incarn. verbi. ad urbanum papam *I* Inc. epist. anselmi archiep. ad urbanum papam de incarn. verbi *Edinburg. 104* (*s. XII.*) INC. EPIST. EIUSDEM AD URBANUM PAPAM DE INC. VERBI CONTRA BLASPHEMIAS RUZELINI COMPENDIENSIS *M* *sine inscriptione V* *Epistola in mss. dividitur signis tantum incisionis, quorum loco numeros uncis inclusos posui* 3 URB.] VR. *VP* frater ANS.] FR. AN. *VP*

Conspectus cum Rec. I: *Numeri, qui aliquoties lectionibus variis postponuntur, ad textum prioris recensionis in volumine primo revocant.* 2-5 Domino — orationibus] Dominis — in domino *281, 3-6* 7-5,6 Quoniam — auxilio *deest* 281,5 becensis abbas, nunc autem dei clementia cantuariensis archiepiscopus *H*

rorem respondetur ostenditur, ut eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius praesentem epistolam quam vestrae destino sapientiae, quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur, et quod regulam veritatis tenet, vestra auctoritate roboretur.

Cum adhuc in Becci monasterio abbas essem, praesumpta est a quodam clerico in Francia talis assertio: ‚Si, inquit, in deo tres personae sunt una tantum res et non sunt tres res unaquaeque per se separatim, sicut tres angeli aut tres animae, ita tamen ut voluntate et potentia omnino sint idem: ergo pater et spiritus sanctus cum filio est incarnatus'. Quod cum ad me perlatum esset, incepi contra hunc errorem quandam epistolam, quam parte quadam edita perficere contempsi, credens non ea opus esse, quoniam et ille contra quem fiebat, in concilio a venerabili archiepiscopo Remensi RAINALDO collecto errorem suum abiuraverat, et nullus videbatur qui eum errare ignoraret. Partem tamen illam quam feceram, quidam fratres me nesciente transcripserunt atque aliis legendam tradiderunt. Quod idcirco dico, ut si in alicuius manus pars illa venerit, quamquam nihil ibi falsum sit, tamen tamquam imperfecta et non exquisita relinquatur et hic quod ibi incepi diligentius inceptum et perfectum requiratur. Postquam enim in Anglia ad episcopatum nescio qua dei dispositione captus et retentus sum, audivi praefatae novitatis auctorem in sua perseverantem sententia dicere se non ob aliud abiurasse quod dicebat, nisi

5 abbas essem] Id est, ante diem VI. Martii a. 1093, quo s. ANSELMUS ad sedem archiepiscopalem ecclesiae Cantuariensis provectus est. 5-6 a quodam clerico] Is erat ROSCELINUS, canonicus Compendiensis (fere 1050-1125); cf. epistolam IOHANNIS ad ANSELMUM *(Florilegium Patristicum,* fasc. XXVIII, p. 37), necnon epistolam ANSELMI ad FULCONEM, episcopum Belvacensem (*ibid.*, p. 39 s.). 6-9 incarnatus] Cf. epistolam IOHANNIS (*l. c.*, p. 37, 11-14). 9 perlatum esset] Per eandem epistolam. 10 quandam epistolam] Est huius opusculi prior recensio, quam in vol. I, p. 277-290, habes. 12 in concilio] scil. Suessoniensi, quod a. aut 1092 aut 1093 habitum esse omnes fere ducunt, A. WILMART autem non post ver a. 1090 fuisse censet (cf. *Recherches de Théologie ancienne et médiévale,* 1931, p. 22). RAINALDUS ab a. 1083 ad a. 1096 ecclesiae Remensi praefuit. 19 captus et retentus sum] Lege ea quae EADMERUS de circumstantiis electionis in libro I. *Hist. Novorum* (edit. M. RULE, p. 32 ss.; *PL* 195, 365 ss.) narrat.

3 quatenus] Quatinus *VP* 3-4 quatenus - roboretur *om. PI* 4 et quod — robor.] *horum verborum, quae in margine posita sunt, nonnisi paucae litterae legi possunt V* 5 Cum] *littera initialis N* 6 inquid (*et sic saepius*) *N* 7 una tantum res] res *om. G* 8 sint] sunt *G* 1,9-6,1 Quod — sive non *om. I* 10 quam] Quam *M* editam *B* edita *ex* editam *corr. V* 17 non exquisita] inexquisita *VP* 20 obiurasse *VP*

quia a populo interfici timebat. Hac igitur causa quidam fratres me precibus suis coegerunt, ut solverem quaestionem qua ipse sic erat irretitus, ut
3 nullo modo se expediri ex ea posse crederet, nisi aut incarnatione dei patris et spiritus sancti aut deorum multiplicatione se impediret. Quod rogo, ne putet aliquis me praesumpsisse quasi fortitudinem fidei Christianae meae exi-
6 stimem indigere defensionis auxilio.

Quippe si ego contemptibilis homuncio, tot sanctis et sapientibus ubique existentibus, ad confirmandum fidei Christianae firmamentum, quasi mea
9 indigeat defensione, aliquid scribere tentarem: praesumptor utique iudicari et ridendus videri possem. Si enim me viderent alii homines onustum paxillis et funibus et aliis rebus, quibus nutantia ligari et stabiliri solent, elaborare
12 circa montem Olympum, ad confirmandum illum ne alicuius impulsu nutaret aut subverteretur : mirum si se a risu et derisu contineant. Quanto magis cum »lapis«, qui »abscisus« »de monte sine manibus percussit et comminuit sta-
15 tuam«, quam vidit in somnio NABUCHODONOSOR, iam »factus mons magnus impleverit universam terram«, si eum meis rationibus fulcire et quasi nutantem stabilire nitar: tot sancti et sapientes, qui super eius aeternam firmitatem
18 se stabilitos esse gaudent, indignari mihi possunt et hoc imputare non studiosae gravitati, sed iactantiae levitati? Si quid ergo de firmitate fidei nostrae in hac epistola disputavero, non est ad illam confirmandum, sed ad fratrum hoc
21 exigentium petitionibus satisfaciendum.

Sed si ille qui praefatam protulit sententiam, deo corrigente ad veritatem rediit, nullatenus putet me in hac epistola contra se loqui, quoniam
24 iam non est quod fuit. Si enim fuit »aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino«, non sunt arguendae tenebrae quae iam non sunt, sed lux ap-

14-16 terram] Dan. 2,34 s. 24-25 in domino] Eph. 5,8.

4 multiplicatione] multitudine; *in margine* vel multiplicatione *D* 5 meae] me *V* 9 utique] itaque *VP* 12 olinpum *VP* 15 in sompno *V* nabugodonosor *VP* 19 de fidei firmitate *R* 22 ille praefatam qui *VP* 23 quoniam] quia *VP*

Conspectus cum Rec. I: 7 Quippe si] Si 9 tentarem] tentavero 10 possem] potero 17-18 tot sancti — possunt] indignari mihi possunt tot sancti et sapientes, qui... gaudent 20 est *om.* 20-21 sed — satisfaciendum] sed ad me defendendum, qui eam legere dignabitur accipiat
281,9 iudicari utique *H* 10 viderent me *H* 13 continerent *ex* contineant *W* 14 sine] si non *H* 14-15 percussis *H* 15 in sompno *H* nabugodonosor *H* 18 eius *om.* *H* 282,1 confirmandam *H*

probanda quae lucet. Verumtamen sive adhuc ad lucem redierit sive non: quoniam sentio plures in eadem laborare quaestione, etiam si fides in illis superet rationem quae illis fidei videtur repugnare, non mihi videtur super- 3
fluum repugnantiam istam dissolvere.

Sed priusquam de quaestione disseram, aliquid praemittam ad compescendam praesumptionem eorum, qui nefanda temeritate audent disputare 6
contra aliquid eorum quae fides Christiana confitetur, quoniam id intellectu capere nequeunt, et potius insipienti superbia iudicant nullatenus posse esse quod nequeunt intelligere, quam humili sapientia fateantur esse multa posse, 9
quae ipsi non valeant comprehendere. Nullus quippe Christianus debet disputare, quomodo quod catholica ecclesia corde credit et ore confitetur non

7 confitetur] Cf. Rom. 8,8.

2 quoniam] Unde quoniam *I* 3 ratione *I* 5 *signum incisionis in N*

Conspectus cum Rec. I: 5,22-6,10 Sed si ille — comprehendere *om.; eius loco habet:* Quanto namque — poni non potest *282,2 - 283,22*
282,2 magis] magnis *W* 5 in frantia *W* inquid *H* 18 arsertionem *H* 20 nescio *om. H* in infantia] infancia *H* 24 dicit] vel dicit *super* dicitur *W* 25 sofismatibus (*in ras.*) *H* 28 dicatur *corr. ex* dicantur *W* 283,4 plures sint *H* 7 unum et solum deum esse] unum deum esse solum *H* 8 aut *bis om. H* 9 duos] deum sunt (dm̄s)*H* 15 Quicumque *H* 16 Christus edificavit *H* 17 super] supra *H* 21 aliud fundamentum *H*
Rec. I,2 (=H): 282,4 Significatum — per epistolam] Notum enim multis est 5 suscitatam esse 6 per se] separatim *add.* 9 sententiae] ut audivi *add.* 10-11 et quia si mecum disputaret: ego quoque concederem 11 prius fuerat similiter] est 11-12 Francigena — meus est *om.* 12 asserit 22 nec credo] non credo 23 quamdiu] hoc *add.* 24 me hoc] quia hoc ego disputavero] disputarem concederem (concedere *ms*) 26 nullum hoc] dialecticis conclusionibus vel *add.* 28 procedens] spiritus *add.* 29 homine] grammaticus *add.* similia] et nego et anathematizo *add.* (*cf. 283,2*) 32 hominem] grammatica *add.* (gramaticam *ms.*) 282,32 — 283,2 aut quia — dicuntur] aut ut ita possint pater et filius et spiritus sanctus procedens dici de se invicem, quoniam de uno deo dicuntur, sicut dicimus: quidam grammaticus est iustus et albus, et quia iustus est albus et hoc conversim, quoniam de uno homine aliquando dicuntur 283,19 Qui] enim *add.*

sit ; sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo humiliter quantum potest quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, deo gratias agat ; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum.

Citius enim potest in se confidens humana sapientia impingendo cornua sibi evellere, quam innitendo petram hanc evolvere. Solent enim quidam cum coeperint quasi cornua confidentis sibi scientiae producere, nescientes quia si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alas spirituales, praesumendo in altissimas de fide quaestiones assurgere. Unde fit ut dum ad illa quae prius fidei scalam exigunt, sicut scriptum est : »nisi credideritis, non intelligetis«, praepostere per intellectum prius conantur ascendere : in

4 ad ventilandum] Cf. Ezech. 34,21 : et cornibus vestris ventilabitis omnia infirma pecora ; Ps. 43,6 : In te inimicos nostros ventilabimus cornu. 6,5-7,4 ad venerandum] Cf. *Monologion,* c. LXIV, vol. I, p. 74 s. — AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh.* XXIX, n. 6 (*PL* 35, 1630): Si intelleximus, Deo gratias: si quis autem parum intellexit, fecit homo quo usque potuit, caetera videat unde speret. 8-9 scire] Cf. Rom. 12,3. 11-12 non intelligetis] Is. 7,9 (Vulg.: Si non credideritis, non permanebitis). — Cf. *Proslogion,* c. I, vol. I, p. 100,18-19. Locis Augustianis ibi relatis hos addas: *Tract. in Ioh.* XXVIII, n. 7 (*PL* 35,1618): *Sed sunt quidam,* inquit, *in vobis qui non credunt.* Non dixit, Sunt quidam in vobis, qui non intelligunt ; sed causam dixit, quare non intelligant. *Sunt enim quidam in vobis qui non credunt;* et ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius haereamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. — *Ibid.,* XXIX, n. 6 (1630): Intelligere vis? crede. Deus enim per prophetam dixit: *Nisi cre-*

5 Citius] *hic incipit* H^{II} 6 hanc petram *H* 6-9,16 Solent — naufragaverunt *om. I* 9 habeat *H* alas] alias *H* 10 fit] sit *H* dum *om. H* 10-11 ad illam *H*

Conspectus cum Rec. I: 6,10–7,2 Nullus quippe Christianus — quomodo sit] Deo protegente numquam de hac fide disputabo quomodo non sit; deo dante semper credendo, amando, vivendo de illa disputabo quomodo sit 2-4 Si potest — venerandum] Si potero intelligere, gratias agam; si non potero, non immittam cornua ad ventilandum, sed submittam caput ad venerandum 9 per soliditatem fidei *om.*
283,22 Deo] deo *W* 25 capud *H*
Rec. I,2: 283, 23-24: deo dante — quomodo sit] deo dante semper illam tenendo, amando et secundum illam vivendo de illa disputabo quomodo sit (*cf. Rec. II*) *abhinc H sequitur Rec. II*

multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere. Palam namque est quia illi non habent fidei firmitatem, qui quoniam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra eiusdem fidei a sanctis patribus con- 3
firmatam veritatem. Velut si vespertiliones et noctuae non nisi in nocte caelum videntes de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas ipsum solem irreverberato visu intuentes. 6

Prius ergo fide mundandum est cor, sicut dicitur de deo: »fide mundans corda eorum« ; et prius per praeceptorum domini custodiam illuminandi sunt oculi, quia »praeceptum domini lucidum, illuminans oculos« ; et 9
prius per humilem oboedientiam testimoniorum dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam quam dat »testimonium domini fidele, sapientiam praestans parvulis«; unde dominus: »confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae, 12
quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis«; prius inquam ea quae carnis sunt postponentes secundum spiritum vivamus, quam profunda fidei diiudicando discutiamus. Nam qui secundum carnem 15
vivit, carnalis sive animalis est, de quo dicitur: »animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus dei«; qui vero »spiritu facta carnis mortificat«, spiritualis efficitur, de quo legitur quia »spiritualis iudicat omnia, et ipse a 18
nemine iudicatur«. Verum enim est quia quanto opulentius nutrimur in sacra scriptura ex iis quae per oboedientiam pascunt, tanto subtilius provehi-

dideritis, non intelligetis... Si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quaerere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; quoniam *nisi credideritis, non intelligetis.* — *De Trinitate*, l. VII, c. VI, n. 12 (*PL* 42,946): Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille qui ait per prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis.* 7-8 eorum] Act. 15,9 (Vulg.: purificans *pro* mundans). 9 oculos] Ps. 18,9. 11-12 parvulis] Ibidem, v. 8. 12-13 parvulis] Matth. 11,25. 16-17 dei] 1 Cor. 2,14. 17 mortificat] Rom. 8,13. 18-19 iudicatur] 1 Cor. 2,15.

1 decendere *H* 2 habet *H* 7 ergo fidem *H* de deo] de *om.* *VP* fide mundans] fide *om.* *H* 9 occulus *H* 10 humilem] humilitatem domini *H* dei] domini *P* 11 discamus] dicamus *H* 12 unde] Unde *H* Confiteor *HV* domine pater *HR* 13 quia] qui *V* (quia *corr. ex* qui *P*) 14 postponentes] proponentes *R* 15 carnem] canem *P* 17 spiritus sunt dei *H* (*cf. Rec. I*) 18 omnia iudicat *VP* 18-19 a nemine *ex* animae *corr.* *G* 19 epulentius *H* 20 ex his *MNIG*

Conspectus cum Rec. I: 5 radiis solis 12 domine caeli et terrae *om.* 17 quae sunt spiritus dei] quae dei sunt. 18–19 et ipse a nemine iudicatur *om.* 20 ex iis] ex his

mur ad ea quae per intellectum satiant. Frustra quippe conatur dicere: »super omnes docentes me intellexi«, qui proferre non audet: »quia testi-
3 monia tua meditatio mea est«. Et mendaciter pronuntiat: »super senes intellexi«, cui non est familiare quod sequitur: »quia mandata tua quaesivi«. Nimirum hoc ipsum quod dico: qui non crediderit, non intelliget. Nam
6 qui non crediderit, non experietur; et qui expertus non fuerit, non cognoscet. Quantum enim rei auditum superat experientia, tantum vincit audientis cognitionem experientis scientia.

9 Et non solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere sine fide et mandatorum dei oboedientia, sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur et fides ipsa subvertitur neglecta bona conscientia. Ait enim de
12 quibusdam apostolus: »Cum cognovissent deum, non sicut deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum«. Et cum praeciperet TIMOTHEO militare
15 »bonam militiam«, ait: »Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt«. Nemo ergo se temere immergat in condensa divinarum quaestionum, nisi prius in soliditate fidei con-
18 quisita morum et sapientiae gravitate, ne per multiplicia sophismatum diverticula incauta levitate discurrens, aliqua tenaci illaqueetur falsitate.

Cumque omnes ut cautissime ad sacrae paginae quaestiones accedant,
21 sint commonendi: illi utique nostri temporis dialectici, immo dialecticae haeretici, qui non nisi flatum vocis putant universales esse substantias, et qui colorem non aliud queunt intelligere quam corpus, nec sapientiam hominis
24 aliud quam animam, prorsus a spiritualium quaestionum disputatione sunt

2 intellexi] Ps. 118,99. 2-3 mea est] Ibidem. 3 intellexi] Ibidem, v. 100. 4 quaesivi] Ibidem. 12-14 eorum] Rom. 1,21. 15 bonam militiam] 1 Tim. 1,18. 15-16 naufragaverunt] Ibid., v. 19.

2 Super *H* 3 Et] et *H* 4 quia] et *VP* 5 qui] Qui *H* intelligat *H* 7 rei *om. VP* 8 scientiam *P* 9 Et] et *V* 10 oboedientia] experientia (vel obedientia *suprascript. in V*) *VP* sed et *H* 11 conscientie *H; hic desinit* H^{II} 15 ait] inquit *P* Habentes *P* quam *om. P* 16 se *om. VP* temere se *I* 18 per *om. M* 19 discurrens levitate *M* illaquetur *G* 21 dialetici *I*

Conspectus cum Rec. I: 9-16 Et non solum — naufragaverunt *om.* 17 divinarum *om.* 21 nostri temporis *om.* 21-22 immo dialecticae haeretici *om.*

exsufflandi. In eorum quippe animabus ratio, quae et princeps et iudex debet omnium esse quae sunt in homine, sic est in imaginationibus corporalibus obvoluta, ut ex eis se non possit evolvere, nec ab ipsis ea quae ipsa 3
sola et pura contemplari debet, valeat discernere. Qui enim nondum intelligit quomodo plures homines in specie sint unus homo: qualiter in illa secretissima et altissima natura comprehendet quomodo plures personae, quarum 6
singula quaeque perfectus est deus, sint unus deus? Et cuius mens obscura est ad diiudicandum inter equum suum et colorem eius: qualiter discernet inter unum deum et plures relationes eius? Denique qui non potest intelligere 9
aliquid esse hominem nisi individuum, nullatenus intelliget hominem nisi humanam personam. Omnis enim individuus homo est persona. Quomodo ergo iste intelliget hominem assumptum esse a verbo, non personam, id est naturam 12
aliam, non aliam personam assumptam esse?

Haec dixi ne quis, antequam sit idoneus, altissimas de fide quaestiones praesumat discutere; aut si praesumpserit, nulla difficultas aut impossibilitas 15
intelligendi valeat illum a veritate cui per fidem adhaesit excutere. Iam veniendum est ad id propter quod incepimus.

II. 18

Dicit, sicut audio, ille qui tres personas dicitur asserere esse velut tres angelos aut tres animas: ‚Pagani defendunt legem suam, Iudaei defendunt legem suam. Ergo et nos Christiani debemus defendere fidem nostram'. Au- 21
diamus quomodo iste Christianus defendat fidem suam. ‚Si, inquit, tres personae sunt una tantum res, et non sunt tres res unaquaeque per se separatim, sicut tres angeli aut tres animae, ita tamen ut voluntate et potentia omnino sint 24

11 persona] Cf. *Monologion*, c. LXXIX, vol. I, p. 86,7: persona non dicitur nisi de individua rationali natura. 17 incepimus] Ad n. I cf. AUGUSTINUS, *Epist.* CXX (*CSEL* XXXIIII, p. 704 ss.; *PL* 33,452 ss.).

2 sic est] est *om.* *N* in imaginibus *VP* in *eras. in M* 3 ex eis] ex *om.* *VP* 12-13 aliam naturam *D* 14 de fide] deinde *VP* 16 excutere] discutere *R* avertere *VP* 22 iste Christianus quomodo *VP* 24 sint omnino *I*

Conspectus cum Rec. I: 2-3 corporeis 5 homines] boves homo] bos 8 equum] asinum 9 plures relationes] trinam relationem 9-13 Denique — assumptam esse? *om.* 14 de fide *om.* 20 aut tres animas *om.* 23 separatim *om.*

idem: ergo pater et spiritus sanctus cum filio incarnatus est'. Videte quid dicat iste homo, quomodo defendat iste Christianus fidem suam. Certe aut vult confiteri tres deos, aut non intelligit quod dicit. Sed si tres deos confitetur, Christianus non est. Si autem affirmat quod non intelligit, non illi credendum est. Huic homini non est respondendum auctoritate sacrae scripturae, quia aut ei non credit aut eam perverso sensu interpretatur. Quid enim apertius dicit scriptura sacra, quam quia deus unus et solus est? Ratione igitur qua se defendere nititur, eius error demonstrandus est. Ut autem facilius et brevius hoc faciam, loquar tantum de patre et filio, quoniam hae duae personae suis propriis vocibus aliae ab invicem aperte designantur. Nam nomen spiritus sancti non est alienum a patre et filio, quia uterque est et spiritus et sanctus. Quod autem in patre et filio de unitate substantiae vel pluralitate personarum inveniemus, hoc in tribus absque dubio cognoscemus.

Dicat ergo: ‚Si duae personae, pater et filius, non sunt duae res'. Quaeramus primum quid velit hic dicere ‚duas res'. Nam unamquamque personam credimus esse hoc quod commune est ambobus, et esse hoc quod proprium est sibi. Persona enim patris et deus est, quod commune est illi cum filio, et pater est, quod eius proprium est. Similiter persona filii et deus est, quod commune est illi cum patre, et filius est, quod non nisi de hac sola persona dicitur. In his igitur duabus personis unum est commune, id est deus, et duo propria, quae sunt pater et filius. Quaecumque enim illis sunt communia – ut omnipotens, aeternus –, in hoc solo communi intelliguntur. Et quae singulis sunt propria – ut patri genitor vel gignens et filio verbum vel genitus –, his duobus nominibus, patris scilicet et filii, significantur. Cum igitur dicit has duas personas esse duas res, quaero quid dicat ibi

10-12 sanctus] Cf. *Monologion*, c. XLIII, vol. I, p. 59 s.

2 homo] Christianus *add. P* 4 quod affirmat *D* 6 aut eam] aut etiam *VP* 9 faciamus *VP* 13 invenimus *VP* cognoscimus *P* 14 Dicat] Dicamus *P* 15 dicere hic *VP* 19-20 sola de hac persona *VP* 20 unum est] quod *add. M* 22 ut omnipotens] et omnipotens *N* 25 igitur] ergo *VP* duas has *VP*

Conspectus cum Rec. I: 4-5 Si autem — credendum est] Si autem non intelligit quod dicit, insipiens est 5-8 Huic homini — demonstrandus est *om.* 9 hoc faciam] edisseram 12 substantiae *om.* 13 personarum] rei sive rerum quas dicit cognoscimus 14 res] sicut sunt duo angeli *add.* 16 ambobus] omnibus

esse duas res: an id quod commune est illis, an ea quae propria sunt singula singulis. Sed si duas res esse dicit duo propria, id est patrem et filium – ut tamen id quod commune est, non sit plures res, sed una et 3
sola res –: superflue hoc dicit, quia nemo Christianus confitetur patrem et filium secundum haec duo propria unam rem esse, sed duas. Solemus enim usu dicere ‚rem', quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid. Qui autem 6
dicit de deo patrem aut filium, aliquid dicit de eo. Et omnes sciunt in deo patrem non esse filium et filium non esse patrem, quamvis in uno homine pater sit filius et filius sit pater, si idem homo est pater et filius. Quod ideo 9
fit, quia in deo dicuntur opposite, in uno vero homine non ad invicem, sed ad alium filium pater et ad alium patrem filius dicitur.

Hoc igitur modo nihil prohibet dicere duas personas, patrem et filium, 12
esse duas res; si tamen intelligatur cuiusmodi sint res. Non enim sic sunt pater et filius duae res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes. Quamvis ille per ea quae subiungit aperte ostendat se non 15
intelligere hoc modo duas personas esse duas res. Nam cum dicit: ‚si tres personae sunt una tantum res et non tres res', subiungit: ‚Per se separatim'. Quippe talem videtur pronuntiare separationem, quae prohibeat esse simul 18

10 opposite] Cf. *ibidem*, pag. 60, 5-6: Sic sunt oppositi relationibus, ut alter numquam suscipiat proprium alterius.

1 esse *om. D* 5 unam rem esse] propriam *add. P* 17 tantum] tamen *M* Per] per *VPI*

Rec. II,2: 7 dicit de eo] de eo dicit secundum relationem *VP* 8 non esse patrem] sicut illi aliud est esse patrem, et aliud esse filium (*cf. Rec. I!*) *add. VP* 9 pater et filius] cum tamen non idem illi sit patrem esse et filium esse *add. VP* 9-11 Quod ideo fit — filius dicitur (*cf. Rec. I!*) *om. VP*

Conspectus cum Rec. I: 1-2 quae sunt singula propria singulis 4-5 nemo Christianus — sed duas] nemo dicit haec duo propria unam rem esse 5-7 Solemus — de eo] *Hae duae propositiones subsequenti postponuntur* 7 Et omnes] Omnes enim in deo *om.* 8 non esse patrem] quoniam aliud est esse patrem quam esse filium; et aliud est esse filium quam esse patrem *add.* 8-11 quamvis — dicitur *om.* 13-15 si tamen — eorum relationes *om.* 15-16 Quamvis ea quae subiungit aperte ostendant non illum intelligere 16-17 Nam — separatim] Subiungit enim dicens: ‚Sicut duo angeli aut duae animae, ita tamen ut voluntate et potestate omnino sint idem' 18-13,14 Quippe — secundum propria *om.*



Cod. Vaticanus Reginensis lat. 452, fol. 133 v.

in eodem homine patrem et filium. Per hanc namque solam putat se liberare patrem a communione incarnationis cum filio. Nam per illam separationem qua aliud est esse patrem et aliud esse filium, quoniam aliae sunt ab invicem paternitas et filiatio: si credit unum et solum esse deum qui est pater et filius, non videt patrem et filium posse separari, quin sint in eodem homine simul. Aut ergo aliam separationem personarum patris et filii loquitur, quam illam qua secundum propria alii sunt ab invicem pater et filius, quia per hanc non intelligit incarnationem alienam esse a patre, immo si simul sunt pater et filius, opinatur consequi patrem esse participem incarnationis cum filio; aut si illam dicit, frustra laborat, sicut iam dixi, quia Christiana fides hoc modo intelligit patrem et filium esse duas res.

Sed cum ait: ‚sicut sunt tres angeli aut tres animae', aperte monstrat se non de pluralitate vel separatione illa loqui, quae in illis est personis secundum propria. Nempe de nulla una et eadem numero re duo angeli dicuntur aut duae animae, nec unum aliquid numero de duobus angelis dicitur aut de duabus animabus, sicut patrem aut filium dicimus de deo uno numero et unum numero deum de patre et filio. Credimus enim et dicimus quia deus est pater et deus est filius et conversim pater est deus et filius est deus; et tamen nec credimus nec dicimus plures esse deos, sed ita unum deum esse numero sicut natura, quamvis pater et filius non sint unus, sed duo. Angelum enim et animam secundum substantiam dicimus, non secundum relationem. Nam licet angeli nomen ab officio sumptum sit, quia angelus ‚nuntius' dicitur, tamen, sicut anima pro specie substantiae accipitur, ita et angelus. Quod ipse intelligere se monstrat, cum pariter dicit: ‚Sicut sunt tres angeli aut tres animae'. Talem itaque significat pluralitatem et separationem, qualem habent plures angeli aut animae, id est qualem plures habent substantiae. Quod adhuc aperte monstrare videtur, cum subdit: ‚Ita tamen ‚ut voluntate et potestate omnino sint idem'. Sic enim intelligit volun-

6 separationum *V* 7 sunt *om. I* 15 aliquid unum *VP* 16 aut filium] et filium *BN* 21 Angelum] angelum *V* 24 Quod] quod *P* 26-27 plures habent] habent plures *M* 27 monstrare] non stare *VP* 28 potestate] potentia *VP*

Conspectus cum Rec. I: 14-17 Nempe — et filio] de nulla namque una numero substantia duo angeli praedicantur, nec ulla una numero substantia dicitur de duobus angelis, sicut deus, qui unus et solus est, dicitur de patre et filio, et sicut pater et filius dicuntur de deo 17-14,3 Credimus — dicuntur *om.*

tatem et potestatem in illis pluribus rebus, quemadmodum in pluribus angelis vel animabus. Quod intelligi non potest, si illae plures res putantur secundum proprietates personarum esse, non secundum hoc quod communiter dicuntur. Nullatenus namque patris et filii secundum ipsas proprietates, id est secundum paternitatem aut filiationem, ulla voluntas aut potentia est, sed secundum deitatis substantiam, quae communis illis est. Quare si dicit tres personas esse tres res secundum ipsa propria, palam est quam superflue hoc dicat; quam etiam inconvenienter cum addit: ‚sicut sunt tres angeli aut tres animae'.

III.

At si dicit easdem personas duas res esse secundum id quod commune illis est, id est secundum quod singula quaeque et plures simul unus perfectus deus est: primum quaero an sit Christianus. Respondebit, ut aestimo, se hoc esse. Ergo credit unum esse deum et ipsum esse tres personas, id est patrem et filium et spiritum sanctum, et filii solam personam incarnatam, aliis tamen duabus cooperantibus. Qui autem ita credit, affirmat eum non esse Christianum, qui aliquid vult asserere contra aliquid horum. Si ergo iste ita credit, negat eum esse Christianum qui contra haec disputat. Utrum autem hanc fidem subvertere ipse nitatur, videamus. Cum igitur dicit – ut de duabus personis dicam, sicut incepi, quod de tribus intelligatur –, cum inquam dicit: si duae personae sunt una res et non duae, sicut sunt duo angeli aut duae animae, consequi patrem quoque esse incarnatum, si filius est incarnatus: puto quia sic ratiocinatur secum:

Si una et eadem numero res deus est, et ipsa eadem est pater et est filius: cum filius sit incarnatus, quomodo non et pater est incarnatus? De una

2 vel animabus] aut animabus *D* 9 *signum incisionis om. M* 10 At] aut *VP* 11 est illis *VP* 12 Respondit *N* 14 solam] esse *add. VP* 15 non Christianum eum esse affirmat *VP* 20 si] sed si *VP* 20-21 aut animae duae *P* *Rec. II,2:* 21 consequi quoque patrem (*cum Rec. I*) *VP* (*in ras. P*)

Conspectus cum Rec. I: 4-6 Nullatenus — illis est] Sed neque ipsorum propriorum est secundum ipsa ulla voluntas aut potentia, sed ipsa substantia de qua praedicantur secundum se habet voluntatem et potentiam 6-8 Quare — tres animae] Quare si dicit duas praedictas personas esse duas res, sicut sunt duo angeli, secundum ipsa propria: palam est quam superflue et quam inconvenienter hoc dicatur 10 At si] Si ergo easdem personas] duas personas 16-18 Si — videamus *om.* 20-21 aut duae animae *om.* 21 quoque patrem

quippe et eadem re non est vera simul affirmatio et eius negatio; sed de alia re affirmare aliquid et de alia idem ipsum negare simul nihil prohibet. Non enim idem PETRUS apostolus est et non est apostolus. Sed et si alio nomine idem ipse affirmetur apostolus et alio negetur – ut: PETRUS est apostolus, et: SIMON non est apostolus –, non est utraque vera enuntiatio, sed una harum falsa. PETRUM autem esse apostolum et STEPHANUM non esse apostolum: quoniam alius est PETRUS et alius STEPHANUS, possibile est verum esse. Si ergo eadem numero et non alia res est pater quam filius, non est verum affirmari debere aliquid de filio et negari de patre, aut affirmari de patre et de filio negari. Quidquid igitur est pater, est et filius; et quod dicitur de filio, non debet negari de patre. Est autem filius incarnatus. Est ergo pater quoque incarnatus.

Sed haec ratiocinatio si rata est, vera est haeresis SABELLII. Si enim quidquid dicitur de una persona dicitur et de altera, idcirco quoniam una res sunt duae personae: ergo sicut de filio dicitur filius et verbum et genitus, ita haec dicentur de patre. Et quemadmodum pater est et pater et genitor et ingenitus, sic ista de filio dicenda sunt. At si ita est, non est alius pater quam filius, nec filius est alius a patre. Quare non sunt duae, sed una persona. Ideo namque dicuntur duae personae, quia alii creduntur ab invicem pater et filius, si tamen deus erit pater et filius. Nam pater semper est alicuius pater et filius alicuius filius, nec umquam pater suimetipsius pater est aut filius suimetipsius filius est; sed alius est pater et alius, cuius est pater, et similiter alius est filius et alius, cuius filius est. Quare si in deo non est alius pater et alius, cuius pater est, nec filius alius est et alius, cuius est filius: falso dicitur deus pater aut filius. Si enim non est in deo alius a patre cuius pater sit, non potest esse pater. Et similiter si non est in eo alius a filio cuius filius sit, non valet esse filius. Quapropter non erit unde duae illae

7 quoniam] quia *VP* et alius] est *add. RD* 10 et quod] et quicquid *VP* 11 ergo] autem *P* 16 et pater] et *om. M* 17 dicenda sunt de filio *VP* 18 alius est a patre *VP* 21 suimetipsius pater] suimetipsius filius *I* 24 cuius filius est *VP* 26 in eo *om. VP*

Conspectus cum Rec. I: 8 numero *om.* 8-10 non est verum — negari *om.* 10-11 Quidquid — de patre] quidquid erit filius, erit pater 15 et verbum et genitus *om.* 16-17 ita haec — dicenda sunt] ita de patre dicetur filius, et similiter pater dicetur de filio . 18 est *om.* 25-27 Si enim — esse filius *om.*

personae dicantur in deo, quae ideo dicuntur, quia deus est pater et deus est filius, et semper alius est pater et alius filius.

Videtis igitur quomodo destruatur fides nostra secundum sensum eius 3
qui putat consequi patrem esse cum filio incarnatum, si una et non plures sunt res in deo personae plures? Si enim vera est haec eius consequentia, non solum hoc quod de patre et filio dixi, sed in omnibus tribus personis 6
tanta sequetur confusio, ut quidquid de singulis proprie dicitur, de omnibus communiter dicendum sit. Quamobrem non erit unde pater et filius et spiritus sanctus a patre et filio procedens sint alii ab invicem, sicut ostendi in patre 9
et filio. Quare nec ulla erit ibi relatio, quae nullatenus ibi est nisi secundum hoc, secundum quod alii sunt ab invicem. Ergo nec plures erunt personae. Posito namque rem unam esse tres personas: aut illud non consequetur quod 12
dicit, aut omnia illa simul quae dixi consequentur. Similis namque est in omnibus vis consequentiae. Cur ergo pergit ad incarnationem, quasi ipsa sola faciat quaestionem, et non potius dicit: si tres personae sunt una res, non 15
sunt tres personae? Nam non minus ante incarnationem quam post facere quaestionem hanc potest.

IV. 18

Si autem hoc omnino vult asserere, tres scilicet personas secundum quod unaquaeque deus est non esse unam rem, sed tres res unamquamque per se, sicut sunt tres angeli: apertissimum est quia tres deos constituit. Sed forsitan 21
ipse non dicit: ‚sicut sunt tres angeli aut tres animae', sed ille qui mihi eius

9 ostendi] Cf. p. 15,13 ss.

2 alius est pater] est *om. P* 3 *signum incisionis VP* igitur] ergo *D* 5 res sunt *VP* haec eius] vera *add. P* 6 non solum hoc] non solum autem *P* 7 sequetur] consequetur *VP* 8 unde] unum *VP* 9 procedens] cum *add. VP* 10 nisi] non *VP* 12 coonsequetur *V* 17 hanc quaestionem *D* 19 scilicet *om. P*
Rec. II,2: 16-17 hanc facere quaestionem potest (*cf. Rec. I*) *VP*

Conspectus cum Rec. I: 2 semper *om.* et alius] et *om.* 10-11 quae nullatenus — ab invicem] quoniam non possunt referri nisi alius ad alium 14 vis consequentiae] Verumtamen — esse rem *add. 288,13-26* Cur ergo] cur 16-17 Nam — potest] Nam et ante et post incarnationem hanc facere quaestionem potest 22 aut tres animae *om.*

mandavit quaestionem, hanc ex suo posuit similitudinem, sed solummodo tres personas affirmat esse tres res, sine additamento alicuius similitudinis. Cur ergo fallitur aut fallit sub nomine rei, cum id ipsum significetur sub nomine dei? Nempe aut deum esse rem illam negabit, in qua tres personas immo quam tres fatemur esse personas; aut si hoc non negat, consequens est ut sicut asserit personas tres non unam sed tres esse res, ita quoque affirmet easdem personas non unum sed tres deos esse. Quae quam impia sint iudicent Christiani.

Sed dicet: Non cogit quod dico ‚tres res' fateri tres deos, quoniam tres illae res simul sunt unus deus. Et nos dicimus: Ergo singula quaeque res de illis tribus, id est singula quaeque persona, non est deus, sed ex tribus rebus conficitur deus. Pater igitur non est deus, filius non est deus, spiritus sanctus non est deus, quoniam nec de singulis nec de duobus, sed solum de tribus simul nominatis dicendus est deus; quod similiter est impium. Nam si ita est, non est deus simplex natura, sed partibus composita. Sed si simplicem habet intellectum et non multiplicitate phantasmatum obrutum, intelligit simplicia praestare compositis, quantum ad simplicitatem attinet et compositionem; quoniam omne compositum necesse est aut actu aut intellectu posse disiungi, quod de simplicibus intelligi nequit. Cuius enim partes cogitari non possunt, id in partes dissolvere nullus intellectus potest. Si ergo deus tribus ex rebus compositus est: aut nulla natura simplex est, aut aliqua natura est alia quae in aliquo praestantior est natura dei; quae utraque quam falsa sint non est obscurum. Quod si iste de illis dialecticis modernis est, qui nihil esse

1 quaestionem] Cf. supra citatam epistolam IOHANNIS (*Floril. Patr.*, fasc. XXVIII, p. 37). — Ex eo quod IOHANNES exempla allata impugnat, haec non eius esse conicio. 18-19 Nam — composita] Cf. *Monologion*, c. XVII, vol. I, p. 31 s. 17-18 quoniam — disiungi] Cf. *Proslogion*, c. XVIII, vol. I, p. 114,19-21: Nam quidquid partibus est iunctum... vel actu vel intellectu dissolvi potest. 20-21 dei] Cf. *ibid.*, c. II, p. 101,5: credimus te esse aliquid quo nihil maius cogitari possit.

5 fatemur tres *VP* sicut] ipse *add. D* 6 affirmat *V* 9 dicamus *VP* 12 quoniam] Quoniam *VP* nec de singulis] non de singulis *P* 14 deus *om. R* 17 actu] auctu *V* 19 dissolvere] resolvere *VP* 20 nulla] nullus *I*
Rec. II,2: 7 tres esse deos (*cum Rec. I*) *VP*

Conspectus cum Rec. I: 3 sub rei nomine 4 rem illam] rem aliquam 4-5 in qua — esse personas *om.* 5-7 aut si — deos esse] aut similiter tres personas non unum deum sed tres esse deos affirmabit 7 Quod quam impium sit 8 tres res *om.* 9 simul *om.* 13 Nam] Quod 14 partibus *om.* 22 iste *om.*

credunt nisi quod imaginationibus comprehendere possunt, nec putat esse aliquid in quo partes nullae sunt: vel non negabit se intelligere quia, si esset aliquid quod nec actu nec intellectu dissolvi posset, maius esset quam quod vel intellectu est dissolubile. Itaque si omne compositum saltem cogitatione dissolvi potest: cum dicit deum esse compositum, dicit aliquid deo maius se posse intelligere. Transit igitur eius intellectus ultra deum, quod nullus facere potest intellectus.

V.

Sed videamus quid addat quasi ad repellendam inconvenientiam, quae videtur nasci, si tres illae personae sunt tres res: ‚Sic tamen, inquit, ut una trium earum rerum sit voluntas et potestas'. Hic quaerendum est an illae tres res secundum hoc, quod separatim ab invicem intelliguntur, an secundum communem voluntatem et potestatem, an neque secundum illud solum quod separatim habent, neque secundum hoc quod illis commune est, sed secundum utrumque simul sint divinae naturae. Quippe si secundum illud quod sunt separatim habent deitatem, erunt tres dii; et idem intelligi poterunt sine voluntate et potestate. Semper enim propria discrete intelliguntur a communibus et communia a discretis. Sed divina natura sine voluntate aut potestate nullatenus valet intelligi. Quod si secundum unam et communem voluntatem et potestatem sunt et singulae et binae et tres simul deus: quid ibi faciunt illae tres discordes res, quae nec nisi per aliud in unitatem concordare possunt deitatis, nec ad perfectionem nec ad auxilium aliquod ut deus sit va-

4-7 intellectus] Cf. *ibid.*, c. [II, p. 103,4-6: Si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super creatorem, et iudicaret de creatore; quod valde est absurdum.

8 *signum incis.* om *VP* 9 repellendum *V* inconvenitiam *VP* (*ab altera manu corr.*) 11 potestas et voluntas *VP* 14-16 neque secundum hoc — separatim habent om. *VP* 14 secundum hoc] secundum om. *I* 17 discreta *VP* 18 et communia] communiaque *VP* 20 et singulae] et om. *VP* 22 sit] sint *VP*

Conspectus cum Rec. I: 4 est] esset [taque si] deus est natura composita et *add.* saltem] vel 6-7 quod null. fac. pot. intellectus *om.* 16 tres dii; et idem] tres deitates; et eaedem 18-19 Sed divina natura — intelligi] Erunt igitur tres alii, et poterit deus, immo poterunt tres dii intelligi sine voluntate et potestate 22 deitatis *om.*

lent? Nam si una sufficit voluntas et potestas ad perfectionem dei: quae sunt illae tres res quibus indiget deus, aut ad quid illis eget? Credimus enim
3 deum nullo indigere. Frustra igitur cogitantur illae tres res in deo. At si nec solae tres illae res, nec sola voluntas et potestas, sed haec omnia simul conficiunt deum: iterum dico quia compositus est, et ea quae non sunt per
6 se deus aut dii, faciunt deum. Aut si dicit quia illae tres res ita nomen habent dei per potestatem et voluntatem, sicut homo dicitur rex per regiam potestatem: non est deus nomen substantiae, sed accidentaliter dicuntur illae
9 nescio quae tres res tres dii, sicut tres homines eandem habentes regiam potestatem tres reges dicuntur. Tres enim homines unus rex esse nequeunt. Quod quam nefandum sit, non est opus dicere.

12 Codex magnus implendus est, si voluero scribere absurditates et impietates quae sequuntur, si verum est una dei persona incarnata reliquas duas consequi esse incarnatas, quia tres illae personae sunt una res secundum id
15 quod communiter de tribus dicimus; aut si sunt tres res separatae, quemadmodum ille putat contra quem ista dixi, quoniam solus filius est incarnatus. Palam ergo est quam non debeat esse promptus ad disputandum de rebus
18 profundis, et maxime de illis in quibus non erratur sine periculo.

2-3 indigere] Cf. *Monologion*, c. I, vol. I, p. 13,4-5: Si quis unam naturam, summam omnium quae sunt, solam sibi in aeterna sua beatitudine sufficientem... — *Proslogion*, c. XXII, vol. I, p. 117, 1-2:... non es nisi unum et summum bonum, tu tibi omnino sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent ut sint, et ut bene sint.

2 ad quid] aliquid *MI* quid *VP* 9 habentes eandem *VP* 10 nequeunt] non queunt *VP* 12 impendus *G* 14 esse *om. VP* ille tres *VP* 15 dicimus] dicitur *VP* 17 Palam] palam *VP*

Conspectus cum Rec. I: 5-6 per se *om.* 6 aut dii *om.* 6-7 nomen habent dei] dicuntur dii vel deus 7-8 per regiam potestatem *om.* 9 nescio quae tres res tres dii] nescio quae res deus 9-11 sicut tres homines — dicere *om.* 13-16 si verum est — incarnatus] si dixerimus patrem esse incarnatum et spiritum sanctum, quia tres personae sunt una res; aut si consenserimus easdem personas tres res esse non secundum proprietates singulorum, sed secundum quod communiter sunt deus 17 Palam ergo est] Sive autem qui haec aut de incarnatione patris et spiritus sancti aut de tribus in deo rebus asserit intelligat quae sequantur, sive non intelligat: palam est quam sit non intelligens et 18 profundissimis

VI.

Sed forsitan dicet iste mihi: Sicut putas ista pariter ex necessitate consequi quae dicis, si consequitur quod puto: ita mihi necessaria mea videtur consequentia. Ergo ostende non consequi quod dico, et fatebor ego tecum nullum inconveniens sequi, si solus filius est incarnatus, aut si tres personae sunt una res. Quod si ab hac ostensione deficis, non solvis sed magis ligas quaestionem, cum tu ipse mecum probas innumera inde nasci inconvenientia. Quae si neganda sunt, ambo debemus pariter concludere tres personas non esse unam rem, si solus filius est incarnatus; aut si sunt una res, omnes pariter esse incarnatas.

Ostendendum ergo est in quo iste fallitur, et quomodo incarnationem solius filii non sequitur tres personas esse tres res separatas; aut si una sunt res tres personae, omnes eas incarnatas esse. Quod utique deus una et sola et individua et simplex sit natura et tres personae, sanctorum patrum et maxime beati AUGUSTINI post apostolos et evangelistas inexpugnabilibus rationibus disputatum est. Sed et si quis legere dignabitur duo parva mea opuscula, *Monologion* scilicet et *Proslogion*, quae ad hoc maxime facta sunt, ut quod fide tenemus de divina natura et eius personis praeter incarnationem, necessariis rationibus sine scripturae auctoritate probari possit; si inquam aliquis ea legere voluerit, puto quia et ibi de hoc inveniet quod nec improbare poterit nec contemnere volet. In quibus si aliquid quod alibi aut non legi aut non memini me legisse – non quasi docendo quod doctores nostri nescierunt, aut corrigendo quod non bene dixerunt, sed dicendo forsitan quod tacuerunt, quod tamen ab illorum dictis non discordet sed illis cohaereat –,

15 AUGUSTINI] Imprimis in libris *De Trinitate*, *PL* 42,819 ss. 17 *Monologion*] Vide in vol. I, p. 1 ss. *Proslogion*] Ibid., p. 89 ss. 17-19 probari possit] Cf. *Monologion*, Prologus, vol. I, p. 7,5-11. 21-24 cohaereat] Cf. *ibid.*, p. 8,8-9: Quam ego saepe retractans nihil potui invenire me in ea dixisse, quod non catholicorum patrum et maxime beati AUGUSTINI scriptis cohaereat.

4 ostende] mihi *add. VP* quod dico] quae dico *(in ras.) P* 8 pariter *om. P* 11 est ergo *V* quomodo] per *insert. D* 12-13 res sunt *VP* 13 tres res *G* 15 agustini *V* eugelistas *I* 16 mea parva *D* parva *om. P; suprascript. et iterum expunctum in V* 17 facta sunt] sunt facta *V* sunt dicta *P* 19 rationibus] monstretur et *add. VP* sine] si non *VP*

Conspectus cum Rec. I: 2 iste mihi *om.* 2-10 Sicut — esse incarnatas *respondet* Sicut — esse incarnatum *I,290,24-30, quibus verbis deficit prior recensio.*

posui ad respondendum pro fide nostra contra eos, qui nolentes credere quod non intelligunt derident credentes, sive ad adiuvandum religiosum studium
3 eorum qui humiliter quaerunt intelligere quod firmissime credunt: nequaquam ob hoc me redarguendum existimo. Ne tamen hanc legentibus epistolam laborem iniungam quaerendi alia scripta, ut non solum fide verum etiam evi-
6 denti cognoscant ratione tres personas non esse tres deos sed unum solum, nec tamen deo secundum unam personam incarnato ex necessitate secundum alias personas eundem deum incarnari: aliquid hic, quantum ad repellendum
9 opinionem huius defensoris, sicut ipse putat, nostrae fidei sufficere credo, subiungam.

Aperte dicit aut patrem et spiritum sanctum cum filio esse incarnatum,
12 aut tres illas personas esse tres res separatas. Quam nimirum separationem talem existimat, ut nec pater nec spiritus sanctus sint in filio. Nam si aliae duae personae sunt in filio et filius in homine, illae quoque sunt in homine.
15 Unde putat consequi, cum tres personae simul sint in eodem homine: si sunt una res, nullatenus personam filii posse in homine ipso incarnari sine aliis duabus personis. Personas tamen tres esse non negat, nec filium esse
18 incarnatum. Quoniam igitur supra monstratum est, si tres personae sunt tres res separatae, aut tres esse deos consequi, aut alias de quibus iam dictum est absurditates: nunc breviter ostendam adiuvante uno solo deo, primum
21 quia etiam si sint tres dii, nihil illi proderunt ad defendendum patrem et spiritum sanctum ab incarnatione, quod fieri non posse putat sine deorum multitudine; deinde quia non sunt plures dii, sed unus solus. Postea pate-
24 faciam, quamvis sit unus deus tres personae, non tamen una qualibet incarnata alias quoque incarnari necesse esse, sed potius esse impossibile.

18 supra] In n. II-V, p. 10 ss. 20 primum] In n. VII, p. 22. 23 deinde] In n. VIII, p. 22 s. Postea] In n. IX, p. 23 ss.

4 Ne] Ni *P* 8 repellendam *ex* repellendum *corr. M* 9 huius *om. VP* *supra* defensionis *script.* vel defensoris *M* 11 et spirit. sanct.] aut spir. sanct. *P* 12 illas *om. OP* 15 simul *om. VP* 17 personis *om. VP* Personas] Personis *G* tres tamen *VP* 17-18 nec incarnatum esse filium *VP* 18 sunt *om. P* 22 putat posse *VP*

Rec. II,2: 7-8 secundum alias personas eundem deum incarnari] alias personas eiusdem dei incarnari *VP*

VII.

Divinae utique naturae est sic semper et ubique esse, ut nihil umquam aut alicubi sit sine eius praesentia. Alioquin nequaquam ubique et semper est potens; et quod ubique potens non est et semper, nullatenus est deus. Si enim dicit non ipsam divinam substantiam sed potestatem eius esse semper et ubique, non tamen negabit potestatem illi esse aut accidentalem aut substantialem. Accidentalis quidem non est deo potestas, quia cum omne subiectum sine accidenti aut esse aut intelligi possit, deus sine potestate nec esse nec intelligi potest. Si vero deo potestas substantialis est, aut pars est eius essentiae, aut est id ipsum quod tota eius est essentia. Pars autem non est, quia, sicut supra dictum est, quod partes habet aut actu aut intellectu est dissolubile; quod omnino est extraneum a deo. Idem igitur est esse dei et potestatis eius. Sicut itaque potestas dei est semper et ubique, ita quidquid est deus, ubique et semper est. Ergo cum praedictus nostrae fidei secundum se defensor dicit esse tres deos, monstrare nequit quomodo sint separatim ea separatione, qua putat se patrem et spiritum sanctum ab incarnatione liberare. Non ergo illum potest adiuvare multitudo deorum ad defendendum patrem et spiritum sanctum ab incarnatione, quoniam non inveniri potest in deorum multiplicatione illa disiunctio, sine qua defensionem istam fieri posse nequaquam existimat.

VIII.

Quod autem unus solus deus sit et non plures, hinc facile probatur quia aut deus non est summum bonum, aut sunt plura summa bona, aut non sunt plures dii, sed unus solus. Deum vero summum bonum esse nullus negat, quia quidquid aliquo minus est, nullatenus deus est, et quidquid summum bonum non est, minus est aliquo, quia minus est summo bono. Summum certe bonum pluralitatem sui non admittit, ut plura sint summa bona. Si enim plura summa bona sunt, paria sunt. Summum vero bonum est, quod sic

5 semper esse *VP* 9 substantialis est potestas *VP* 11 est supra dictum (dictum *in marg. insert.*) *M* 12 Idem] Ideo *P* dei et] et *om. P* 12-13 potestatis] potestas *P*; *ex* potestat *corr. V* 18 in deorum] de deorum *VP* in deo *M* 21 *loco signi incis. spatium G* 22 Quod] Quoniam *VP* Quod autem] *his verbis incipit* $H^{[1]}$ 22-24 sit et non plures — unus solus *om. H* 24 negat] ambigat *VP* 26 minus est] est *om. H* 27 Si] si *H*

praestat aliis bonis, ut nec par habeat nec praestantius. Summum ergo bonum unum et solum est. Non igitur sunt plures dii, sed unus et solus est deus, sicut summum bonum est unum et solum, et sicut summa substantia vel essentia sive natura, quae eadem ratione qua summum bonum nullatenus pluraliter posse dici probantur.

IX.

Qui unus solus deus cum sit tres personae, pater scilicet et filius et spiritus sanctus, non tamen filio incarnato necesse est alias quoque personas, sicut ille disputator putat, incarnari, sed impossibile. Personas enim non negat esse plures, idcirco quoniam aliae sunt ab invicem. Si enim ab invicem non essent aliae, plures non essent. Sed ut brevius explicem et facilius quod volo, loquar tantum, sicut supra feci, de patre et filio, quia per hos clarum erit quid intelligendum sit de spiritu sancto. Pater ergo et filius secundum substantiam non sunt plures nec alii ab invicem, quia non sunt duae substantiae, nec alia substantia pater, alia filius, sed una et eadem substantia sunt pater et filius. Secundum personam vero sunt plures et alii ab invicem, quia pater et filius non sunt una et eadem persona, sed duae et aliae ab invicem. Dicit ergo: Si filius incarnatus est et filius non est alia, sed una et eadem numero res quae pater est: ergo necesse est patrem quoque esse incarnatum. Unam enim et eandem numero rem impossibile est simul esse et non esse in eodem homine incarnatam. Et ego dico: Si filius incarnatus est, et filius non est una et eadem numero persona quae pater est, sed alia: non idcirco est necesse

22,26-23,1 praestantius] Cf. *Monologion*, cc. III et IV, vol. I, p. 15 ss. 12 supra] Cf. n. II et III; cf. p. 11,8-13.

2-3 sed unus solus deus est *M* 3 unum et solum est *H* est et unum et solum *VP* 7 Quia solus et unus deus est, cum tres personae sint *VP* sit] sint *H* 7-8 pr s. f. s.s. *sic abbreviat H* 9 Pers.] personas *H* 10-11 Si enim sunt ab invicem, si (*insert.*) non essent aliae *H* 11 Sed] sed *H* 12 quia] quod *H* 13 quid] quod *ex* quid *corr. M* 16 Secundum vero personam *H* alii] alie *H* 17-24,7 Dicit ergo — simul incarnatum *om. H* 19 incarnatum esse *VP* 20-21 in homine eodem *VP*

Rec. II,1: 3 sicut[2] *om. H* 4 vel essentia] et essentia *H* natura] sive res quae *(qui ms)* non nisi deus est *add. H* quae] et *H* 5 probatur *H* 12 supra] superius *H* 15 et eadem] ademque *H*

patrem quoque esse incarnatum. Aliam enim personam esse in uno homine incarnatam et aliam simul non esse in eodem homine incarnatam possibile est. Et ille: Si deus filius incarnatus est, et deus qui est filius non est alius, sed 3
unus et idem numero deus qui est pater: plus tamen, quamvis diversae personae sint pater et filius, videtur necesse esse patrem quoque esse incarnatum cum filio propter unitatem deitatis, quam possibile esse propter diversi- 6
tatem personarum non eum esse simul incarnatum.

Videte qui hoc dicit quomodo claudicat utroque pede in incarnatione filii dei. Nam qui recte suscipit eius incarnationem, credit eum non assump- 9
sisse hominem in unitatem naturae, sed in unitatem personae. Hic autem somniat hominem a filio dei magis esse assumptum in naturae unitatem quam in personae unitatem. Si enim hoc non opinaretur, non diceret magis esse 12
necessarium patrem cum filio esse incarnatum, quoniam unus est deus pater et filius, quam esse possibile illum simul non esse incarnatum, quia plures sunt personae. Utroque igitur pede, id est in utraque parte, claudicat in 15
incarnatione filii dei, qui una natura est cum patre et alia persona a patre: quicumque existimat eandem incarnationem sic esse secundum naturae unitatem, ut filius non possit incarnari sine patre, nec intelligit sic eam secundum 18
unitatem esse personae, ut pater non possit incarnari cum filio. Quippe deus non sic assumpsit hominem, ut natura dei et hominis sit una et eadem, sed ut persona dei et hominis una eademque sit. Quod non nisi in una dei per- 21
sona esse potest. Diversas enim personas unam eandemque personam esse cum uno eodemque homine, nequit intelligi. Nam si unus homo cum singulis plu-

2 non esse simul *N* possib.] impossibile *VP* 8 qui hoc] si hoc *H* in incarnationem *H* 10 naturae] *ex* persone *in marg. corr. H* sed in unitatem personae *om. H* 11 quam] sed ; *in marg.* non *insert. H* 12 in personae] impersone *NG* 15 igitur] enim *H* 15-16 in incarn.] in *om. HM* 16 et alia persona a patre *om. H* 17 quicumque] qui cum *H* 21 hominis] sit *add. G* 22 eademque *G* 23 eodemque] eodem *P* cum pluribus singulis *VP*

Rec. II,1: 13-14 quoniam unus est deus pater et filius] propter deitatis unitatem (*cf. p. 24,7*) *H* 14-15 quia plures sunt personae] propter personarum diversitatem (*cf. p. 24,7-8*) *H* 20 et hominis] et natura hominis *H* 21 et hominis] persona *add. H* 21-22 Quod — potest *om. H* 22-23 Diversas — intelligi] Diversas vero personas communiter in unitatem sui unum eundemque hominem assumere nequit intelligi (*cf. Rec. I, 288, 19-20*) *H*

ribus personis est una persona, necesse est plures personas quae aliae sunt a se invicem esse unam eandemque personam; quod non est possibile. Quapropter impossibile est deo incarnato secundum unam quamlibet personam illum secundum aliam quoque personam incarnari.

X.

Cur autem deus magis assumpserit hominem in unitatem personae filii quam in unitatem alicuius aliarum personarum: quamvis in hac epistola nostrum hoc non fuerit propositum, tamen quoniam huius rei mentio se obtulit, aliquam reddendam rationem existimo. Nempe si spiritus sanctus incarnatus esset, sicut filius est incarnatus, esset spiritus sanctus filius hominis. Essent igitur duo filii in trinitate dei, filius scilicet dei et filius hominis. Unde quaedam nasceretur dubietatis confusio, cum de deo filio loqueremur. Uterque enim esset deus et filius, quamvis alter dei, alter hominis. Fieret quoque quasi quaedam inaequalitas diversarum personarum secundum hoc quod filii essent, quae omnino aequales esse debent, cum alter filius maioris parentis dignitate excelleret, alter minoris parentis humilitate subesset. Quanto enim maior est natura dei quam hominis, tanto dignius est esse filium dei quam esse filium hominis. Si ergo spiritus sanctus natus esset ex virgine: cum filius dei haberet excellentiorem nativitatem solam quae est ex deo, et spiritus sanctus minorem tantum quae esset ex homine, alia persona esset maior et alia minor secundum dignitatem nativitatis; quod non convenit. Quod si pater in unitatem suae personae hominem assumpsisset, easdem faceret in deo pluralitas filiorum inconvenientias,

2 quod non est possibile] q (*rasura; in marg.* quod) est impossibile *H* 5 *signo incis. caret G* 8 propositum non fuerit *D* quoniam] quia *H* 9 reddendam] reddam (*ras.*) *VP* rationem reddendam *R* rationem] ut *add. VP* 11 in trinitate dei] dei *om VP* 12 de deo filio] deo *om. P* 14 quae] qui *H* 16 subessent humilitate *H* est maior *H* 19 solam] s. (=scilicet?) *H* ex deo est *H* 21 quod non convenit *om. H* Quod si] Quoniam si *VP* 22 easdem in deo pluralitas filiorum inconvenientias gigneret *VP*

Rec. II,1: 2-4 Quapropter — incarnari] Quare si filius est incarnatus, impossibile est aut patrem aut spiritum sanctum esse incarnatum *H* 11-12 Unde quaedam nasceretur dubietatis confusio] Quare quaedam fieret confusio *H* 12 loqueretur *HV* 12-13 Uterque — hominis *om. H* 13 Fieret quoque] et fieret *H* 20 esset ex homine] est ex homine *H*

et adhuc aliam. Nam si esset filius virginis, duae personae in trinitate nomen nepotis assumerent, quia et pater nepos esset parentum virginis, et filius eius virginis esset nepos, cum ipse tamen nihil haberet ex virgine. Quoniam ergo quamlibet parvum inconveniens in deo est impossibile, non debuit alia dei persona incarnari quam filius. Illo enim incarnato nullum sequitur inconveniens. Quod enim patre dicitur minor . filius et spiritu sancto secundum humanitatem, non tamen ideo illae duae personae excellent filio, quia eandem maiestatem qua maiores sunt humanitate filii, habet et filius, qua et ipse praeest cum illis suae humanitati.

Est et aliud cur magis conveniat filio incarnatio quam alii. Qui enim erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere; et convenientius satis suscipit mens humana filium patri quam alium alii supplicare, quamvis haec supplicatio non fiat a divinitate, sed ab humanitate ad divinitatem. Quam idcirco filius dei facit, quia homo per unitatem personae filius est dei.

Amplius. Qui hominem erat assumpturus, venturus erat ad pugnandum

2 parentum virginis (*cum signo omissionis in V*) *om. VP* 3 eius virginis *om. P* nepos esset *VP* 4 alia] aliqua *H* 5 dei *om. VP* 6 spiritus sanctus *H* 8 qua maiores] quam maiores *H* 9 cum illis *om. VP* 10 conveniat filio] illi conveniat (coveniat *V*) *VP* quam aliis *VP* 13 ad divinitatem *om. VP* 14 per unitatem] per humanitatem *P* 15 Qui]qui *H* venturus est *H* pugandum (*corr. ex* purgandum ?) *H*

Rec. II,1: 1-3 Nam si — ex virgine] Nam si pater esset filius virginis, esset homo pater dei, qui sicut non *(sic ms; an pro* deus?*)* est filius dei. Esset igitur filius dei filius hominis, qui vere filius esset virginis: quare filius dei filius nepos esset virginis. Si autem filius dei nepos esset virginis: ergo et illa avia negari (negare *ms*) non posset *H* 5-6 Illo enim — inconveniens *om. H* 6 Quod enim] Cum enim una persona sit filius dei et filius hominis, non sunt propter incarnationem filii in trinitate filii plures quam erant ante incarnationem; nec ipse filius alii personae in dignitate nativitatis excellit, sed idem ipse filius se ipso maior et minor existit. Sed nec aliae personae maiores sunt filio secundum generationem, quia nullam habent maiorem vel digniorem navititatem vel generationem. Nam quodam modo *H* 10 quam alii] quam patri *H* 12 quam alium alii supplicare] supplicare quam patrem filio *H*

Rec. II,2: 1 si esset] pater *add. VP* (*cf. Rec. II,1*) 5 Illa enim incarnata *VP*

contra diabolum et ad intercedendum, sicut dixi, pro homine. Qui ambo, diabolus scilicet et homo, per rapinam se voluerunt facere similes deo, cum propria sunt usi voluntate. Et quia per rapinam voluerunt, non nisi per falsitatem, quoniam non nisi iniuste potuerunt. Propria enim voluntas angeli sive hominis est, quae contra voluntatem dei est. Cum enim vult aliquis quod deus velle prohibet, nullum habet auctorem suae voluntatis nisi se ipsum; et ideo sua propria est. Nam quamvis homo voluntatem suam aliquando subdat voluntati alterius hominis, propria tamen est si contra deum est; quoniam non eam subdit nisi ut ad aliquid quod vult attingat, et idcirco se ipsum habet auctorem cur eam alii subdat. Quapropter propria voluntas est, quae nulli est alii subdita. Solius autem dei est propriam habere voluntatem, id est quae nulli subdita sit. Quicumque igitur propria voluntate utitur, ad similitudinem dei per rapinam nititur et deum propria dignitate et singulari excellentia privare, quantum in ipso est, convincitur. Si enim est alia aliqua voluntas quae nulli subdita sit, non erit voluntas dei omnibus praelata, nec erit sola cui nulla alia praesit. Nulla igitur trium personarum dei congruentius »semetipsam exinanivit formam servi accipiens« ad debellandum diabolum et intercedendum pro homine, qui per rapinam falsam similitudinem dei prae-

13 per rapinam] Cf. Phil. 2,6. 17 accipiens] Ibidem, 2,7.

2 voluerunt se *VP* 2-3 facere — voluerunt *om. H* 3 usi sunt *VP* 4 enim *om. P* 5 aliquis vult *M* 9 et idcirco seipsum] idcirco et semetipsum *VP* 11 subdita est alii *VP* 11-12 Solius — subdita sit *om. VP* 12 quae] quam *G* 14 quanto *R* alia *om. VP* 17 semetipsum *A* 18 falsam *om. VP* dei *om. H*

Rec. II,1: 2 scilicet diabolus *HVP* 4 quoniam non nisi iniuste *om. H* 4-11 Propria enim — alii subdita *om. H* 11 Solius autem] Solius enim *H* 11-12 id est quae nulli subdita sit] Sola autem voluntas dei omnibus debet praeesse et nulli subesse (*cf. 27,15-16!*) *H* 12-13 ad similitudinem] ad aequalitatem et similitudinem (*cf. 28,2-3*) *H* 16 praesit] Ex propria voluntate omne malum est, sive quod dicitur peccatum seu quod vocatur incommodum (*cf. De casu diaboli, c. XII* [*I,255, 4-8*]). Si enim voluntas rationalis creaturae semper subesset (subessent *ms*) voluntati dei, nullum umquam fecisset peccatum, et si non peccasset, nullum aliquando pateretur incommodum *add. H* 18 similitudinem] et aequalitatem *add. H*

sumpserant, quam filius, qui, splendor lucis aeternae et vera patris imago, »non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo«, verum per veram aequalitatem et similitudinem dixit: »Ego et pater unum sumus«. Et: »Qui me videt, videt et patrem«. Nullus namque iustius expugnat reum vel punit, aut illi misericordius parcit vel intercedit pro eo, quam cui specialius iniuria fieri probatur; nec aliquid convenientius opponitur falsitati ad expugnandum aut apponitur ad sanandum quam veritas. In illum enim dei falsam praesumentes similitudinem specialius peccasse videntur, qui vera dei patris similitudo creditur. Suscepit autem hominem in unitatem personae, sicut dictum est, ut sint duae naturae, divina scilicet et humana, una persona.

XI.

De qua unitate personae, quam firmissime credimus esse non ex duabus personis in Christo, tamen quia potest dici unde parum caute intuentibus videri possit Christus ex duabus et in duabus personis existere, non inutile mihi videtur aliquid dicere. Dicunt enim quidam: Quomodo dicimus in Christo non esse duas personas, sicut duas naturas? Nam deus et ante hominis assumptionem persona erat nec postquam hominem assumpsit persona destitit esse; et homo assumptus persona est, quia omnis homo individuus esse persona cognoscitur. Quare alia est persona dei quae fuit ante incarnationem, alia hominis assumpti. Sicut igitur Christus est deus et homo, ita duae in illo videntur esse personae. Quae ratiocinatio per hoc videtur probare duas esse personas in Christo, quia deus est persona et homo assumptus persona est.

Sed non ita est. Sicut enim in deo una natura est plures personae, et plures personae sunt una natura: ita in Christo una persona est plures naturae et plures naturae sunt una persona. Quemadmodum enim pater est deus, et filius deus, et spiritus sanctus deus, et tamen non tres dii, sed unus est deus:

1 splendor lucis aeternae] Cf. Hebr. 1,3: qui cum sit splendor gloriae. patris imago] Cf. 2 Cor. 4,4: qui est imago Dei; Col. 1,15: qui est imago Dei invisibilis. 2 deo] Phil. 2,6. 3 sumus] Ioh. 10,30. 3-4 patrem] Ibidem, 14,9. 19 cognoscitur] Cf. supra, n. I, p. 10,11.

1 praesumperat *VP* 2 verum] Verum *H* 2-3 aequal.] qualitatem *H* 3 sumus] *hic deficit* H^{III} Qui] qui *VPI* 7 apponitur] opponitur *VP* 8-9 creditur] dicitur *VP* 11 *signum incis. deest G* 13 tamen] tunc *G* 14 personis existere *cum signis inversionis D* 17 destituit *V* (destitit *in ras. P*) 26 et filius est deus *VPI* et spiritus sanctus est deus *VPN*

ita in Christo deus est persona, et homo est persona, nec tamen duae sunt personae, sed una persona. Non enim est alius deus, alius homo in Christo, quamvis aliud sit deus, aliud homo: sed idem ipse est deus qui et homo. »Verbum« enim »caro factum« assumpsit naturam aliam, non aliam personam. Nam cum profertur ‚homo', natura tantum quae communis omnibus est hominibus significatur. Cum vero demonstrative dicimus ‚istum vel illum hominem' vel proprio nomine ‚IESUM', personam designamus, quae cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis fit singulus et ab aliis singulis distinguitur. Nam cum ita designatur, non quilibet homo intelligitur, sed qui ab angelo annuntiatus est, qui deus et homo, filius dei et filius virginis est, et quidquid de illo aut secundum deum aut secundum hominem verum est dicere. Neque enim personaliter filius dei designari potest vel nominari sine filio hominis, nec filius hominis sine filio dei, quia idem ipse est filius dei qui filius hominis, et eadem est verbi et assumpti hominis proprietatum collectio. Diversarum vero personarum impossibile est eandem esse proprietatum collectionem, aut de invicem eas praedicari. Nam PETRI et PAULI non est eadem proprietatum collectio, et PETRUS non dicitur PAULUS, nec PAULUS PETRUS.

Cum ergo »verbum caro factum est«, naturam assumpsit, quae sola hominis nomine significatur et semper est alia a natura divina, non aliam assumpsit personam, quoniam eandem habet cum assumpto homine proprietatum collectionem. Non enim idem est homo et assumptus a verbo homo, id est IESUS; quoniam in nomine hominis, sicut dictum est, sola intelligitur natura, in assumpto vero homine vel in nomine IESU intelligitur cum natura, id est cum homine, collectio proprietatum, quae est eadem eidem assumpto homini et verbo. Quapropter non dicimus verbum et simpliciter hominem eandem esse personam, ne non magis dicamus illum hominem eandem esse personam cum verbo quam quemlibet hominem, sed verbum et illum assumptum hominem, id est IESUM; sicut non credimus eundem hominem eandem

3-4 factum] Ioh. 1,14. 19 factum est] Ibidem.

1-2 personae *om. D* 5 est omnibus *VP* 6 Cum vero] Cum enim *VP* hominem vel] vel *om. G* 7 quae] quam *G* 8 singulus] singulis *P* 20 nomine significatur hominis *V* a divina natura *VP* 26 non magis dicimus *VP* 27-28 ne non magis — personam *om VP* 29 sicut non credimus] sicut cum numero credimus *VP*

esse personam simpliciter cum deo, sed cum illa persona, quae verbum et filius est, ne videamur confiteri ipsum hominem personam eandem esse, quae pater est aut spiritus sanctus. Sed quoniam et verbum est deus et ille assumptus homo est homo, verum est dicere quia deus et homo eadem persona est; sed in nomine ‚dei' subaudiendum est verbum, et in nomine ‚hominis' subintelligendus est filius virginis.

De scriptis illius cui respondeo in hac epistola, nihil potui videre praeter illud quod supra posui; sed puto sic rei patere veritatem ex iis quae dixi, ut nulli lateat intelligenti nihil quod contra illam dicitur vim veritatis tenere.

XII.

Sed si revocatus a multitudine deorum pluralitatem abnegat in deo personarum, hoc ideo facit, quia nescit unde loquitur. Nam nec deum nec personas eius cogitat, sed tale aliquid, quales sunt plures humanae personae. Et quia videt unum hominem plures personas esse non posse, negat hoc ipsum de deo. Non enim idcirco dicuntur tres personae, quia sint tres res separatae sicut tres homines, sed quia similitudinem habent quandam cum tribus separatis personis. Consideremus hoc in patre et filio, et id ipsum intelligatur de spiritu sancto.

Ponamus igitur hominem qui tantum pater sit et non filius, et filium eius qui tantum filius sit et non pater, id est ADAM et ABEL. Dicimus itaque de ADAM patre et de ABEL filio quia pater non est filius et filius non est pater, quoniam duo homines et separatae personae sunt ADAM et ABEL, nec est cuius filius sit ADAM, aut cuius pater ABEL. Sic itaque fatemur in deo quia pater non est filius aut filius pater, quamvis duo dii non sint, quoniam pater non habet patrem aut filius filium. Similiter spiritus sanctus non est pater aut filius, quia non est cuius sit pater aut cuius filius sit. Quoniam ergo pater et filius et spiritus sanctus tres sunt et alii ab invicem, nec de invicem dici queunt, sicut de patre et filio in diversis personis hominum ostendimus: ideo dicuntur tres personae, non quia sint tres res separatae.

8 supra] Cf. n. I, p. 4,6-9.

1 simpliciter] non simpliciter *VP* 4 est homo] homo *om. P* 7 illius] illis *M* 8 ex his *VPM* 9 nullum lateat intelligentem *VP* 15 quia sunt *VP* 21 non filius est *VP* 22 duo hom. sunt et sep. pers. *VP* 23 aut] nec *VP* 26-27 sit filius *VP* 29-30 ideo — separatae] ideo non dicuntur tres res personae (personae *expunct. et suprascript.* separate *V*) *VP*

XIII.

At si negat tria posse dici de uno et unum de tribus, ut tria non dicantur de invicem, sicut in his tribus personis et uno deo facimus, quoniam hoc in aliis rebus non videt, nec in deo intelligere valet: sufferat aliquid quod intellectus eius penetrare non possit esse in deo, nec comparet naturam quae super omnia est, liberam ab omni lege loci et temporis et compositionis partium, rebus quae loco aut tempore clauduntur aut partibus componuntur; sed credat aliquid in illa esse quod in istis esse nequit, et acquiescat auctoritati Christianae nec disputet contra illam.

Videamus tamen an in rebus creatis, quae et loci et temporis et compositionis partium legi subiacent, inveniri possit aliquatenus hoc quod negat in deo. Ponamus fontem de quo nascatur et fluat rivus, qui postea colligatur in lacum; sitque nomen eius Nilus. Sic itaque discrete dicimus fontem, rivum, lacum, ut fontem non dicamus rivum aut lacum, nec rivum aut fontem aut lacum, nec lacum fontem aut rivum. Fons tamen Nilus vocatur et rivus Nilus et lacus Nilus; et duo simul fons et rivus Nilus, fons et lacus Nilus, rivus et lacus Nilus; et simul tres fons et rivus et lacus Nilus; cum tamen non sit alius et alius Nilus sed unus idemque, sive cum singulus quisque sive cum bini seu cum tres dicuntur Nilus. Tres igitur sunt fons, rivus, lacus, et unus Nilus, unus fluvius, una natura, una aqua; et dici non potest quid tres. Nam neque tres aut Nili aut fluvii aut aquae aut naturae sunt, neque tres aut fontes aut rivi aut lacus. Unum igitur dicitur hic de tribus et tria de uno, nec tamen tria de invicem.

Quod si obicit non esse singulum quemque aut fontem aut rivum aut lacum, aut binos perfectum Nilum, sed partes Nili: cogitet totum hunc Nilum, ex quo incepit usque dum desinet, esse in tota quasi aetate sua; quia nec ipse totus est simul aut loco aut tempore, sed per partes, nec perfectus erit donec desinat esse. Habet enim quandam in hoc cum oratione similitudinem, quae quamdiu quasi ex oris fonte procedit perfecta non est; et

6 libera *corr. ex* liberam *M* 7 rebus] et rebus *P* quae in loco *R* 9 disputet] putet *P* contra illam] contra eam *I* 10 an *om. P* 11 aliquatenus possit *VP* 12 nascitur *VP* qui *om VP* 15 tamen] itaque *PV* 18 cum singulis *PG* *idem corr. ex* cum singulus *V* 19 seu] sive *I* sunt *om. P* 20 quid tres] id (*ab alia manu, in rasura*) tres *N* 21 sunt *om. VP* 23 tria tamen *VP* 25-27 sed partes Nili — aut tempore *om. VP* 27 nec² *om. VP* 28 Habet] habet *VP* 29 quasi *om. VP*

cum perfecta est iam non est. Si quis enim sic consideret et diligenter intelligat, cognoscet totum Nilum esse fontem, totum esse rivum, totum esse lacum; nec fontem esse rivum aut lacum, nec rivum esse lacum aut fontem, nec lacum esse fontem aut rivum. Non enim est idem ipse fons qui rivus aut lacus, quamvis id ipsum sit rivus et lacus quod est fons, id est idem Nilus, idem fluvius, eadem aqua, eadem natura. Tria igitur hic dicuntur de uno toto perfecto, et unum perfectum totum de tribus, nec tamen ipsa tria de invicem dicuntur; quamvis hoc valde aliter et perfectius sit in illa natura simplicissima et ab omni loci vel temporis lege liberrima. Verumtamen si hoc aliquatenus videtur in re quae partibus composita, localis et temporalis est, non est incredibile in illa summe libera natura esse perfecte.

Est hoc quoque hic considerandum quia fons non est de rivo nec de lacu, rivus vero de solo est fonte non de lacu, lacus autem de fonte et de rivo, et ita ut totus rivus de toto fonte et totus lacus de toto fonte et de toto rivo ⟨sit⟩: sicut dicimus in patre et filio et spiritu sancto; et quia alio modo rivus est de fonte, et alio lacus de fonte et rivo, ut lacus non dicatur rivus: sicut suo quodam alio modo verbum est de patre, et spiritus sanctus alio modo de patre et verbo, ut idem spiritus sanctus non sit verbum aut filius sed procedens.

19 procedens] Ad n. XIII cf. AUGUSTINUS, *De fide et symbolo*, c. VIII (IX), n. 17 (*CSEL* XXXXI, p. 18 ss.; *PL* 40, 189 s.): Nec mirum, quod haec de ineffabili natura dicuntur, cum in his etiam rebus, quas corporeis oculis cernimus et corporeo sensu diiudicamus, tale aliquid accidat. Nam cum de fonte interrogati non possumus dicere, quod ipse sit fluvius, nec de fluvio interrogati possumus eum fontem vocare, rursus potionem, quae de fonte vel fluvio est, nec fluvium possumus appellare nec fontem, tamen in hac trinitate aquam nominamus et cum de singulis quaeritur, singillatim aquam respondemus. Nam si quaero, utrum in fonte aqua sit, respondetur aqua; et si quaeram, utrum aqua sit in fluvio, nihil aliud respondetur, et in illa potione non poterit alia esse responsio; nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus... Sed haec non propter illius divinae naturae similitudinem, sed propter visibilium etiam unitatem corporalia exempla data sunt, ut intelligeretur fieri posse, ut aliqua tria non tantum singillatim, sed etiam simul singulare nomen obtineant, ne quisquam miretur et absurdum putet, quod deum dicimus patrem, deum filium, deum spiritum sanctum, nec tamen tres deos in ista trinitate, sed unum unamque substantiam. — Cf. etiam TERTULLIANUS, *Adversus Praxeam*, c. VIII (*PL* 2, 163).

1 Si] si *V* sic om. *P* 4 est om. *VP* 7 totum perfectum *VP* 8 quamvis] Quamvis *V* Quam *P* 9 liberrima? *P* 10 temporalis est] est om. *P* 11 natura libera *VP* 12 nec de] de om. *VP* 13 est de solo fonte *VP* 15 sit] *supplevi* in patre] de patre *VP* 16 ut] vel *ex* ut *N*

XIV.

Adhuc volo quiddam dicere, quod quamvis magnam habeat dissimilitu-
3 dinem, nonnullam tamen habet ad incarnationem verbi similitudinem; quod forsitan aliquis legens contemnet. Dicam tamen, quia ego alio dicente non omnino contemnerem. Si enim rivus per fistulam currat a fonte usque ad
6 lacum: nonne solus rivus, quamvis non alius Nilus quam fons et lacus, ut ita dicam infistulatus est, sicut solus filius incarnatus est, licet non alius deus quam pater et spiritus sanctus?

XV.

9 Sed quoniam ista terrena valde longe sunt a summa natura, levemus ad illam ipsa opitulante mentem, et in ea contemplemur aliquatenus et bre-
12 viter quod dicimus. Deus non est aliud quam ipsa simplex aeternitas. Aeternitates autem plures intelligi nequeunt. Nam si plures sunt, aut sunt extra se invicem aut sunt in se invicem. Sed nihil est extra aeternitatem. Ergo nec
15 aeternitas extra aeternitatem est. Item, si extra se invicem sunt, in diversis locis sunt aut temporibus, quod alienum est ab aeternitate. Non itaque sunt plures aeternitates extra se invicem. Si vero in se invicem plures esse dicuntur,
18 sciendum est quia quotienscumque repetatur aeternitas in aeternitate, non est nisi una et eadem aeternitas. Dignior enim est natura quae in se repetita semper sibi convenit in perfectam unitatem, quam quae sui admittit plurali-
21 tatem. Ubi enim pluralitas, ibi diversitas. At ubi diversitas est, non est perfecta concordia. Perfecta namque concordia est, quae in unam identitatem et eandem unitatem convenit. Si ergo melior est perfecta concordia quam
24 imperfecta, et impossibile est in summo bono – quod est ipsa aeternitas – esse imperfectum aliquid: non est possibile naturam aeternitatis pluralitatem admittere. Quapropter quotienscumque repetatur aeternitas in aeternitate, semper
27 una eademque et sola aeternitas est.

Quod de multis aliis similiter dicitur. Ut omnipotentia in omnipotentia non est nisi una omnipotentia. Et ut unum de iis quae divinam non habent

12 simplex aeternitas] Cf. *Monologion*, cc. XVI et XVII, vol. I, p. 30 ss.

2 quoddam *V* 6 ut] vel *ex* ut *N* 8 spiritus sanctus] *sic correxi*; filius *VBR DNIG* (*in BG a manu poster. corr. in* spiritus sanctus; *in R* spiritus sanctus *infrascript.*) spiritus sanctus *in rasura M* 9 *sine signo incisionis V* 11 mente *G* 13 autem *om. VP* plures] complures *P* 20 in perfectam] imperfectam *G* 29 de his *VM* de his *ex* deus *I*

naturam, in quo similiter est ponam: punctum in puncto non est nisi unum punctum. Habet enim punctum velut medium punctum mundi et punctum temporis, id est praesens tempus, ad aeternitatem nonnullam similitudinem, non parum ad eiusdem aeternitatis contemplationem utilem; unde latius alias disputandum est. Hoc tantum hic sufficiat quia punctum simplex, id est sine partibus, est et indivisibile velut aeternitas; et ideo punctum cum puncto sine intervallo non est nisi unum punctum: sicut aeternitas cum aeternitate non est nisi una aeternitas.

Ergo quoniam deus aeternitas est, non sunt plures dii; quia nec deus est extra deum, nec deus in deo addit numerum deo. Semper igitur unus et idem et solus est deus. Cum itaque deus de deo nascitur: quia quod nascitur non est extra id de quo nascitur, est proles in parente et parens in prole, unus scilicet deus pater et filius. Et cum deus procedit de deo patre et filio nec exit extra deum: manet deus, id est spiritus sanctus, in deo de quo procedit, et est unus deus pater et filius et spiritus sanctus. Et quoniam ista nativitas et ista processio sine principio sunt – alioquin aeternitas nata et aeternitas procedens, quod falsum est, habet principium –: nequaquam deum incepisse esse patrem aut filium aut spiritum sanctum cogitare debemus aut possumus.

XVI.

Sicut autem substantia divina aeternam et singularem servat unitatem, sic horum relativorum, patris scilicet et filii, procedentis et de quo procedit natura, inseparabilem tenet pluralitatem. Nam quemadmodum necesse est deum semper unum et eundem esse et non alium et alium: ita pater numquam est idem filio suo aut procedens illi a quo procedit, secundum has relationes; sed semper alius pater et alius filius, alius procedens et alius de quo procedit, nec umquam dici possunt de invicem. Quoniam ergo cum deus

5 disputandum est] Cf. *De processione spiritus sancti*, n. IX, ubi auctor ad hunc locum revocat. 10 extra deum] Cf. *Monologion*, c. LIX, vol. I, p. 70.

1 ponam] quia *add.* *V* 2-3 Habet — temporis] velut medium mundi. Habet enim punctum. Et punctum temporis *V* 3 nonnullam] habet *add.* *V* 5 id est *om.* *VP* 7 punctum unum *VP* 10 est *om.* *VI* in deo] ideo *G* 13 de deo. patri *N* 18 deum incepisse — spiritum sanctum *om.* *VP* 20 *sine signo incisionis* *V* 22 scilicet patris *VP* (*in ras.* *P*) filii et procedentis et *VP* 24-25 numquam pater *V* 26 alius pater et] et *om.* *VP* filius et alius procedens *VP* 27 possunt dici *I*

nascitur de deo vel deus procedit de deo, nec substantia potest amittere singularitatem nec relatio pluralitatem: idcirco unum est ibi tria et tria unum, nec tamen tria de invicem dicuntur. Nec incredibile debet esse in natura, quae super omnia et omnibus aliis dissimilis est, aliquid esse; cuius exemplum in aliis rebus non valeat perfecte inveniri. Haec autem tria Latini dicunt personas, Graeci substantias. Sicut enim nos dicimus in deo substantiam unam tres personas, sic illi dicunt unam personam tres substantias, id ipsum ibi per substantiam quod nos per personam significantes, nec a nobis aliquatenus in fide discrepantes.

Quomodo vero filius nascatur de patre et spiritus sanctus procedat a patre et filio, nec tamen sit filius, quoniam »sicuti est« videri non potest in hac vita: beatus AUGUSTINUS velut »per speculum et in aenigmate« in libro *De* hac ipsa *trinitate* diligenter contemplatus est, et ego in *Monologio* meo, cuius supra memini, pro mea possibilitate disputavi. Si quis autem vult scire cur, cum in summa essentia nullus sit sexus, parens ibi potius dicatur pater quam mater, aut proles filius quam filia, aut cur pater tantum ingenitus, filius tantum genitus, spiritus sanctus nec genitus nec ingenitus: in eodem libello aperte inveniet.

5-9 discrepantes] Cf. *ibid.*, Prologus, vol. I, p. 8,14-18. 11 sicuti est] 1 Ioh. 3,2. 12 in aenigmate] 1 Cor. 13,12. 13 *trinitate*] Cf. *PL* 42,819 ss. 13-14 in *Monologio* meo] Cf. cc. XXIX ss., vol. I, p. 47 ss. 14 supra] In n. VI, p. 20. 18 in eodem libello] In c. XLII, vol. I, p. 58 s. et c. LVI, p. 67 s.

1 amittere] admittere *N* 1-2 nec substantia potest admittere pluralitatem, nec relatio singularitatem *VP* 7 unam personam] unam substantiam *BI*; *Trecensis 964* (*s. XII. -XIII.*) substantias tres *VP* 8 per personam *in ras.* (*forsitan ex* per essentiam) *BP* 11 sit] sic *G* 12 agustinus *V* 13 diligenter *om. VP* 13-14 in monologion *V* in monolongion *P* 18 inveniet] *add.* EXPLICIT EPISTOLA ANSELMI CANTURIENSIS ARCHIEPISCOPI DE INCARNATIONE VERBI *B* EXPL. EP. ANS. ARCHYEPISCOPI *M* EXPL. LIBER ANS. CANTUARIENSIS AECCLESIAE ARCHIEP. DE INC. VERBI *G* EXPLICIT *I* Explicit D *sine* Explicit *VPNR*

CUR DEUS HOMO

INDEX SIGLORUM.

B = Oxoniensis Bodleianus (n. 1938) Bodley 271 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

M = Monacensis latinus 21248 (olim Ulmensis), s. XII. ineuntis.

R = Rotomagensis 434 (olim Gemmeticensis), s. XII. ineuntis.

D = Duacensis 354 (olim Marcianas abbatiae), s. XII. ineuntis.

N = Neapolitanus, Bibliotecae Nationalis, VII. D. 11, s. XII. ineuntis.

T = Trecensis 2142, s. XII.

F = Turonensis 246 (olim Maioris Monasterii), s. XII.

De hoc opere cf. SCHMITT, FR. SAL., *Sancti Anselmi Cantuariensis Liber Cur deus homo*, *Florilegium Patristicum*, fasc. XVIII (1929). - IDEM, *La lettre de saint Anselme au pape Urbain II à l'occasion de la remise de son »Cur deus homo« (1098)*, *Rev.des Sciences religieuses*, 1936, p. 129-144.

[Commendatio operis ad Urbanum Papam II.]

Quamvis post apostolos sancti patres et doctores nostri multi tot et tanta de fidei nostrae ratione dicant ad confutandum insipientiam et frangendum duritiam infidelium, et ad pascendum eos qui iam corde fide mundato eiusdem fidei ratione, quam post eius certitudinem debemus esurire, delectantur, ut nec nostris nec futuris temporibus ullum illis parem in veri-

2-3 dicant] Cf. *Cur deus homo* l. I, c. I. p. 48,9-10: ... quamvis a sanctis patribus inde quod sufficere debeat dictum sit... 4-5 iam corde fide mundato] Cf. Act. 15,9. — *Ep. de incarnatione verbi*, n. I, p. 8,7-8. 4-6 delectantur] Cf. *Cur deus homo*, p. 47,9: ... ut eorum quae credunt intellectu et contemplatione delectentur.

Sigla: *L* = Londiniensis Lambethianus 59 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. *D* = Duacensis 352 (olim S. Salvatoris Aquiscincti), s. XII. *N* = Parisinus 17456, s. XII. *S* = Sangallensis 287, s. XII. *R* = Turicensis Rhinaugiensis 124, s. XII. *V* = Vindobonensis 691 (olim Gotwicensis), s. XII. *P* = Parisinus 2479 (olim Colbertinus), s. XII. exeuntis *M* = Venetus, Marc. Lat. Cl. II, Cod. I, s. XII-XIII.

Textus ponitur in appendice ad litteras Anselmianas L; Cantabrig. Corpus Christi Coll. 135 (s. XII.) inter opera Cur deus homo *et* De conceptu virginali *P in fine operis* Cur deus homo *Cantabr. Emman. Coll. 135 (s. XII. ineuntis) post praefationem et ante indicem capitulorum eiusdem operis M post indicem capitulorum et ante initium operis NSRV; Mellicensis 154 (s. XIII.); Sangallensis 801 (s. XV.) ante* Epistolam de incarnatione verbi *D; Paris. 13414 (s. XIII.)*

1 *Praeponunt inscriptionem:* Prologus *N* Prologus anselmi de incarnatione verbi *M* PROLOGUS ANSHELMI DE INCARNATIONE VERBI *V idem in litteris minusculis R; Sangall. 801* Prologus domni anselmi in libro de incarnatione verbi *D* Incipit prologus de incarnatione verbi *Paris. 13414 sine inscriptione LSP; Mellic. 154* 2 post] per *S* post *ex* per *corr. R* et doctores nostri multi *om. N* nostri *om. M* 3 de] dei *L* nostrae fidei *D* ratione nostrae *SR* ad confundandum *M* 4 fide corde *M* 5 eidem fidei *R* rationem *SR* 6 illis] eis *P*

tatis contemplatione speremus : nullum tamen reprehendendum arbitror, si fide stabilitus in rationis eius indagine se voluerit exercere. Nam et illi, quia »breves dies hominis sunt«, non omnia quae possent, si diutius vixissent, dicere potuerunt ; et veritatis ratio tam ampla tamque profunda est, ut a mortalibus nequeat exhauriri ; et dominus in ecclesia sua, cum qua se esse »usque ad consummationem saeculi« promittit, gratiae suae dona non desinit impertiri. Et ut alia taceam quibus sacra pagina nos ad investigandam rationem invitat: ubi dicit: »nisi credideritis, non intelligetis«, aperte nos monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere. Denique quoniam inter fidem et speciem intellectum quem in hac vita capimus esse medium intelligo : quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare speciei, ad quam omnes anhelamus, existimo.

Hac igitur ego consideratione, licet sim homo parvae nimis scientiae, confortatus, ad eorum quae credimus rationem intuendam, quantum superna gratia mihi dare dignatur, aliquantum conor assurgere ; et cum aliquid quod prius non videbam reperio, id aliis libenter aperio, quatenus quid secure tenere debeam, alieno discam iudicio.

1-2 exercere] Cf. *Cur deus homo*, p. 48,17-18:... negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere... 3 sunt] Iob 14,5. 4 potuerunt] Ad praecedentia cf. *Epistola de incarnatione verbi*, n. VI, p. -20,21-21,4. tam ampla] Cf. *Proslogion*, c. XIV, vol. I, p. 112,6: Quam ampla est illa veritas... 8 intelligetis] Is. 7,9 (Vulg.: Si non credideritis, non permanebitis). 7-12 existimo] Cf. AUGUSTINUS, *Sermo* XCI, c. VII, n. 9 (*PL* 38,571): Quia ergo multum est ad nos capere hoc, sed non est multum credere hoc: *Nisi* enim *credideritis*, ait Isaias, *non intelligetis:* ambulemus per fidem quamdiu peregrinamur a Domino, donec perveniamus ad speciem, ubi videbimus facie ad faciem. 14-15 assurgere] Cf. *Proslogion*, Prooemium, vol. I, p. 94, 1-2: ... (sub persona) conantis erigere mentem suam ad contemplandum deum et quaerentis intelligere quod credit...

1 reprehendum *P* fide] in fide *P* 2 in eius rationis *SR* eius *om. M* 3 hominum *SR* 4 dixerunt nec dicere potuerunt *N* veritati *M* tam ampla tamque] tam propalatam quae *S* 6 ad consummationem] in finem *N* promisit *P* dona gratiae suae *SR* 7 Et] et *VM* 8 intelligitis *S* 9 ad intellectum extendere] ad intelligendum proficere (proficere *insert.*) *N* 10 proficere *expunctum; suprascript.* pervenire *N* speciem] spem *SRVM* et intellectum *S* 11 ad illum aliquis *P* 12 speciei] spei *SRVM* fidei *N* omnes] nos *M* hanelamus *P* existimo] estimo *N* 13 ego *om. LS* licet] ergo *add. N* homo sim *P* 14 credidimus *R* 15 mihi gratia *P* aliquantum] aliquando *LVPM* *idem in rasura R* 16 non prius *SR* quatenus *om. M* quid] quod *SRM* secure] certius *M* 17 discam iudicio alieno *SR* iudicio] *hic deficiunt L; CCC 135*

Quapropter, mi pater et domine, Christianis omnibus cum reverentia amande et cum amore reverende papa URBANE, quem dei providentia in
3 sua ecclesia summum constituit pontificem : quoniam nulli rectius possum, vestrae sanctitatis praesento conspectui subditum opusculum, ut eius auctoritate quae ibi suscipienda sunt approbentur, et quae corrigenda sunt emendentur.

1-5 emendentur] Cf. initium *Epistolae de incarnatione verbi*, p. 3,2-5.

2 cum amore *om.* *M* reverende] *ex* reverentia *corr.* *M* venerande *P* 3 ecclesia] domo *N* possum rectius *V* 4 sanctitati *M* presento conspectui *om.* *M* subditum opusculum] opusculum subdidi *M* eius] tui *S* vestra *NM* 5 emendentur] Explicit prologus *add.* *DN*

Praefatio.

Opus subditum propter quosdam qui, antequam perfectum et exquisitum esset, primas partes eius me nesciente sibi transcribebant, festinantius quam mihi opportunum esset, ac ideo brevius quam vellem sum coactus, ut potui, consummare. Nam plura quae tacui inseruissem et addidissem, si in quiete et cungruo spatio illud mihi edere licuisset. In magna enim cordis tribulatione, quam unde et cur passus sim novit deus, illud in Anglia rogatus incepi et in Capuana provincia peregrinus perfeci. Quod secundum materiam de qua editum est, *Cur deus homo* nominavi et in duos libellos distinxi. Quorum prior quidem infidelium Christianam fidem, quia rationi putant illam repugnare, respuentium continet obiectiones et fidelium responsiones. Ac tandem remoto Christo, quasi numquam aliquid fuerit de illo, probat rationibus necessariis esse impossibile ullum hominem salvari sine illo. In secundo autem libro similiter quasi nihil sciatur de Christo, monstratur non minus aperta ratione et veritate naturam humanam ad hoc institutam esse, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id est in corpore et anima, frueretur; ac necesse

2-3 transcribebant] Cf. *Epist. de incarnatione verbi*, n. I, p. 4,9-18. 6-8 perfeci] Cf. EADMERUS, *De vita et conversatione Anselmi*, l. II, n. XXX (43) (ed. M. Rule [1884], p. 391 s.; *PL* 158,99 s).

1 INCIPIT PRAEFATIO IN LIBRUM CUR DEUS HOMO *BRD; cod. 35 Coll. S. Trinitatis Cantabrigensis (s. XII. in.)* Inc. praef. in librum cur deus homo editum ab anselmo cantuariensi archiepiscopo *N* INCIPIT PROLOGUS EIUSDEM IN LIBRO CUR DEUS HOMO *M* *sine* incipit *F* *tota* praefatio *deest in T* 2 Opus] *littera initialis deest in N* subditum] quod (*in rasura!*) *add. M cum multis aliis codicibus; in N* quod *erasum esse videtur* 7 incepi] accepi; *suprascriptum* vel incepi *M* 8 Capuana] *post* p *littera quaedam ab alia manu expuncta est D* Quod] quod *M* 11 Ac] ac *M* 13 salvari] posse salvari *M* sine illo] *signum incisionis F* 16 in anima et corpore *M* et anima] *sic corr. ex* et in anima *B*

esse ut hoc fiat de homine propter quod factus est, sed non nisi per hominem-deum; atque ex necessitate omnia quae de Christo credimus fieri oportere.

Hanc praefatiunculam cum capitulis totius operis omnes qui librum hunc transcribere volent, ante eius principium ut praefigant postulo; quatenus in cuiuscumque manus venerit, quasi in eius fronte aspiciat, si quid in toto corpore sit quod non despiciat.

4-7 despiciat] Cf. *Monologion*, Prologus, vol. I, p. 8,21-26.

4 cum capitulis] *haec verba erasa sunt M* 7 despiciat] *add.* EXPICIT PRAEFATIO *BRD* EXPL. PROLOGUS *M* *idem in litteris minusculis N* *sine* Explicit *F*

Capitula libri primi.

I. Quaestio de qua totum opus pendet.

II. Quomodo accipienda sint quae dicenda sunt. 3

III. Obiectiones infidelium et responsiones fidelium.

IV. Quod hae responsiones videantur infidelibus sine necessitate et quasi quaedam picturae. 6

V. Quod redemptio hominis non potuit fieri per aliam quam per dei personam.

VI. Qualiter reprehendant infideles quod dicimus deum morte sua nos 9 redemisse et sic dilectionem suam erga nos ostendisse et pro nobis expugnare diabolum venisse.

VII. Quod nullam diabolus habebat iustitiam adversus hominem; et quare 12 videatur habuisse cur deus hoc modo hominem liberaret.

VIII. Quomodo licet humilia quae dicimus de Christo, non pertineant ad divinitatem, tamen inconveniens videatur infidelibus ea de illo 15 dici secundum hominem; et unde illis videatur idem homo non sponte mortuus esse.

IX. Quod sponte mortuus sit; et quid sit: »factus est oboediens usque 18 ad mortem«, et: »propter quod et deus illum exaltavit«, et: »non veni voluntatem meam facere«, et: »proprio filio suo non pepercit« deus, et: »non sicut ego volo, sed sicut tu«. 21

18-19 ad mortem] Phil. 2,8. 19 exaltavit] Ibidem, 2,9 (Vulg: exaltavit illum). 19-20 facere] Ioh. 6,38 (Vulg.: descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam). 20 pepercit] Rom. 8,32. 20-21 deus] Cf. Antiphonam I ad Matutinum Feriae V in Triduo sacro. 21 sicut tu] Matth. 26,39.

1 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI *BR* *idem in litt. minusc. N* INC. CAP. PRIMI LIBRI *D* *sine* Incipit *F* *Index capitulorum deest in MT* 13 *post* habuisse *insert.* et *D* 20 facere voluntatem meam *N*

X. Item de eisdem, quomodo aliter recte intelligi possunt.
XI. Quid sit peccare et pro peccato satisfacere.
XII. Utrum sola misericordia sine omni debiti solutione deceat deum peccatum dimittere.
XIII. Quod nihil minus sit tolerandum in rerum ordine, quam ut creatura creatori debitum honorem auferat et non solvat quod aufert.
XIV. Cuiusmodi honor dei sit poena peccantis.
XV. Si deus vel ad modicum patiatur honorem suum violari.
XVI. Ratio quod numerus angelorum qui ceciderunt restituendus sit de hominibus.
XVII. Quod alii angeli pro illis non possint restitui.
XVIII. Utrum plures futuri sint sancti homines quam sint mali angeli.
XIX. Quod homo non possit salvari sine peccati satisfactione.
XX. Quod secundum mensuram peccati oporteat esse satisfactionem, nec homo eam per se facere possit.
XXI. Quanti ponderis sit peccatum.
XXII. Quam contumeliam fecit homo deo, cum se permisit vinci a diabolo, pro qua satisfacere non potest.
XXIII. Quid abstulit deo cum peccavit, quod reddere nequit.
XXIV. Quod quamdiu non reddit deo quod debet, non possit esse beatus nec excusetur impotentia.
XXV. Quod ex necessitate per Christum salvetur homo.

Capitula libri secundi.

I. Hominem factum esse iustum ut beatus esset.
II. Quod non moreretur, si non peccasset.
III. Quod cum corpore, in quo vivit in hac vita, resurgat.
IV. Quod de humana natura perficiet deus quod incepit.
V. Quod quamvis hoc necesse sit fieri, tamen non hoc faciet cogente necessitate; et quod sit necessitas quae aufert gratiam aut minuit, et sit necessitas quae auget.

1 possint *N* 22 homo] *add.* EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI *BRD* *idem in litt. minusc. N* *sine* Explicit *F* 23 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI *BRD* *idem in litt. minusc. N* *sine* Incipit *F*

VI. Quod satisfactionem per quam salvatur homo, non possit facere nisi deus-homo.
VII. Quod necesse sit eundem ipsum esse perfectum deum et perfectum hominem.
VIII. Quod ex genere ADAE et de virgine-femina deum oporteat assumere hominem.
IX. Quod necesse sit verbum solum et hominem in unam convenire personam.
X. Quod idem homo non ex debito moriatur; et quomodo possit vel non possit peccare; et cur ille vel angelus de sua iustitia laudandus sit, cum peccare non possint.
XI. Quod moriatur ex sua potestate; et quod mortalitas non pertineat ad puram hominis naturam.
XII. Quod quamvis incommodorum nostrorum particeps sit, miser tamen non sit.
XIII. Quod cum aliis infirmitatibus nostris ignorantiam non habeat.
XIV. Quomodo mors eius praevaleat numero et magnitudini peccatorum omnium.
XV. Quomodo deleat mors eadem etiam peccata eum perimentium.
XVI. Qualiter deus de massa peccatrice assumpsit hominem sine peccato; et de salvatione ADAE et EVAE.
XVII. Quod in deo non sit necessitas vel impossibilitas; et quod sit necessitas cogens et necessitas non cogens.
XVIII. Quomodo vita Christi solvatur deo pro peccatis hominum; et quomodo debuit Christus et non debuit pati.
XIX. Quanta ratione de morte eius sequatur humana salvatio.
XX. Quam magna et quam iusta sit misericordia dei.
XXI. Quod impossibile sit diabolum reconciliari.
XXII. Quod in iis quae dicta sunt, veteris et novi testamenti veritas probata sit.

29 in iis] in his *NF* 30 probata sit] *add.* EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI *BRD* Expliciunt capitula *N* *sine* Explicit *F*

Cur deus homo.

Liber primus.

Capitulum I.

Quaestio de qua totum opus pendet.

Saepe et studiosissime a multis rogatus sum et verbis et litteris, quatenus cuiusdam de fide nostra quaestionis rationes, quas soleo respondere quaerentibus, memoriae scribendo commendem. Dicunt enim eas sibi placere et arbitrantur satisfacere. Quod petunt, non ut per rationem ad fidem accedant, sed ut eorum quae credunt intellectu et contemplatione delectentur, et ut sint, quantum possunt, »parati semper ad satisfactionem omni poscenti« se »rationem de ea quae in« nobis »est spe«. Quam quaestionem solent

5-7 commendem] Cf. *Monologion,* Prologus, vol. I, p. 7 s. 10-11 spe] 1 Petr. 3,15. — Cf. AUGUSTINUS, *Epist.* CXX, n. 4 (*CSEL* XXXIIII, pars II, p. 707; *PL* 33,453 s.): Propterea monet apostolus paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide et spe nostra, quoniam, si a me infidelis rationem

1 INCIPIT CUR DEUS HOMO LIBER ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI *B* *idem in litt. minusc. N* INC. CUR DEUS HOMO LIB. ANS. ARCH. CANT. *RD* Incipit cur deus homo liber domni ans. cant. arch. *T* INC. LIB. CUR DEUS HOMO (*ab alia manu add.* per dialogum) *M* Inc. lib. sancti ans. cant. arch. qui appellatur cur deus homo *in margine pro illuminatore praescribitur F* *textus dividitur numeris capitulorum in marginibus positis BRDT* (*in RD numeri ad partem ab aliis manibus suppleti sunt; in T numeri exceptis II-IV abscisi sunt*) *numeris et parvis litteris initialibus rubri coloris N* *sine ulla textus divisione M* 6-7 quatenus — commendem] *haec propositio numeris superscriptis hoc modo ordinatur*: quatenus scribendo memoriae commendem rationes cuiusdam quaestionis de fide nostra, quas soleo respondere quaerentibus *M* 7 commendem] *ab alia ut videtur manu superscriptum* vel (commen)darem *D* 11 rationem se *F*

et infideles nobis simplicitatem Christianam quasi fatuam deridentes obicere, et fideles multi in corde versare: qua scilicet ratione vel necessitate deus homo factus sit, et morte sua, sicut credimus et confitemur, mundo vitam reddiderit, cum hoc aut per aliam personam, sive angelicam sive humanam, aut sola voluntate facere potuerit. De qua quaestione non solum litterati sed etiam illitterati multi quaerunt et rationem eius desiderant. Quoniam ergo de hac multi tractari postulant, et licet in quaerendo valde videatur difficilis, in solvendo tamen omnibus est intelligibilis et propter utilitatem et rationis pulchritudinem amabilis: quamvis a sanctis patribus inde quod sufficere debeat dictum sit, tamen de illa curabo quod deus mihi dignabitur aperire, petentibus ostendere. Et quoniam ea quae per interrogationem et responsionem investigantur, multis et maxime tardioribus ingeniis magis patent et ideo plus placent, unum ex illis qui hoc flagitant, qui inter alios instantius ad hoc me sollicitat, accipiam mecum disputantem, ut BOSO quaerat et ANSELMUS respondeat hoc modo.

BOSO. Sicut rectus ordo exigit ut profunda Christianae fidei prius credamus, quam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere. Quapropter quoniam gratia dei praeveniente fidem nostrae redemptionis sic puto me tenere, ut etiam si nulla possum quod credo ratione comprehendere, nihil tamen sit quod ab eius firmitate me valeat evellere, a te peto mihi aperiri quod, ut scis, plures mecum petunt: qua necessitate scilicet et ratione deus, cum sit omnipotens, humilitatem et infirmitatem humanae naturae pro eius restauratione assumpserit.

ANSELMUS. Quod quaeris a me supra me est, et idcirco »altiora« me tractare timeo, ne forte cum putaverit aut etiam viderit aliquis me non

poscit fidei et spei meae et video, quod antequam credat, capere non potest, hanc ipsam ei reddo rationem, in qua, si fieri potest, videat, quam praepostere ante fidem poscat rationem earum rerum, quas capere non potest. 14 BOSO, tunc monachus, postea (1124-1136) abbas Beccensis, per aliquot annos cum Anselmo Cantuariae degebat. 16-17 discutere] Cf. *Epist. de incarn. verbi*, n. I, p. 6,5 ss. 17-18 intelligere] Cf. AUGUSTINUS, *Epist.* CXX, n. 6 (*CSEL* XXXIIII, p. 708 ; *PL* 33,454) : Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohortarer. 25-26 altiora me] Cf. Eccli. 3,22 : Altiora te ne quaesieris.

5 facere *om. T* 14 Ansellmus *N* 16 Boso] *sic omnes codices* 25 Anselmus] *sic codices;* Ans. *F*

sibi satisfacere, plus existimet rei veritatem mihi deficere, quam intellectum meum ad eam capiendam non sufficere.

B. Non hoc tantum timere debes quantum et reminisci quia saepe contingit in colloquendo de aliqua quaestione, ut deus aperiat quod prius latebat; et sperare de gratia dei quia, si ea quae gratis accepisti libenter impertiris, altiora ad quae nondum attigisti mereberis accipere.

A. Est et aliud propter quod video aut vix aut nullatenus posse ad plenum inter nos de hac re nunc tractari, quoniam ad hoc est necessaria notitia potestatis et necessitatis et voluntatis et quarundam aliarum rerum, quae sic se habent, ut earum nulla possit plene sine aliis considerari. Et ideo tractatus earum opus suum postulat, non multum, ut puto, facile nec omnino inutile; nam earum ignorantia quaedam facit difficilia, quae per earum notitiam fiunt facilia.

B. Sic breviter de his suis locis dicere poteris, ut et quod sufficiat ad praesens opus habeamus, et quod plus dicendum est in aliud tempus differamus.

A. Hoc quoque multum me retrahit a petitione tua, quia materia non solum pretiosa, sed, sicut est de specioso »forma prae filiis hominum«, sic etiam est speciosa ratione super intellectus hominum. Unde timeo, ne, quemadmodum ego soleo indignari pravis pictoribus, cum ipsum dominum informi figura pingi video, ita mihi contingat, si tam decoram materiam incompto et contemptibili dictamine exarare praesumo.

B. Nec hoc te debet retrahere quia, sicut tu permittis, ut qui potest melius dicat, sic nulli praestituis, ut cui dictamen tuum non placet, pulchrius non scribat. Verum ut omnes excusationes tuas excludam: quod postulo non facies doctis, sed mihi et hoc ipsum mecum petentibus.

5 gratis accepisti] Cf. Matth. 10,8: gratis accepistis, gratis date. 7-16 differamus] Cf. FR. S. SCHMITT, *Ein neues, unvollendetes Werk des hl. Anselm von Canterbury* (*Beiträge zur Gesch. der Philos. und Theol. des MA*, XXXIII, 3) (1936), p. 23,1-3: Discipulus. Plura sunt, de quibus tuam diu desidero responsionem. Ex quibus sunt potestas et impotentia, possibilitas et impossibilitas, necessitas atque libertas. 18 hominum] Ps. 44,3.

3 B.] *sic omnes codices* 7 A.] *sic omnes codices* 10 sine aliis plene *T*
15 ad opus praesens *T* 25 non scribat] non *expunctum M*

Capitulum II.

Quomodo accipienda sint quae dicenda sunt.

A. Quoniam video importunitatem tuam et illorum qui hoc tecum ex caritate et religioso studio petunt, tentabo pro mea possibilitate, deo adiuvante et vestris orationibus, quas hoc postulantes saepe mihi petenti ad hoc ipsum promisistis, quod quaeritis non tam ostendere quam tecum quaerere; sed eo pacto quo omnia quae dico volo accipi: Videlicet ut, si quid dixero quod maior non confirmet auctoritas – quamvis illud ratione probare videar –, non alia certitudine accipiatur, nisi quia interim ita mihi videtur, donec deus mihi melius aliquo modo revelet. Quod si aliquatenus quaestioni tuae satisfacere potero, certum esse debebit quia et sapientior me plenius hoc facere poterit. Immo sciendum est, quidquid inde homo dicere possit, altiores tantae rei adhuc latere rationes.

Capitulum III.

Obiectiones infidelium et responsiones fidelium.

B. Patere igitur ut verbis utar infidelium. Aequum enim est ut, cum nostrae fidei rationem studemus inquirere, ponam eorum obiectiones, qui nullatenus ad fidem eandem sine ratione volunt accedere. Quamvis enim illi ideo rationem quaerant, quia non credunt, nos vero, quia credimus: unum idemque tamen est quod quaerimus. Et si quid responderis cui auctoritas obsistere sacra videatur, liceat illam mihi obtendere, quatenus quomodo non obsistat aperias.

A. Dic quod tibi videtur.

B. Obiciunt nobis deridentes simplicitatem nostram infideles quia deo facimus iniuriam et contumeliam, cum eum asserimus in uterum mulieris descendisse, natum esse de femina, lacte et alimentis humanis nutritum crevisse, et – ut multa alia taceam quae deo non videntur convenire – lassitudinem, famem, sitim, verbera et inter latrones crucem mortemque sustinuisse.

A. Nos non facimus deo iniuriam ullam aut contumeliam, sed toto corde gratias agentes laudamus et praedicamus ineffabilem altitudinem misericordiae illius, quia quanto nos mirabilius et praeter opinionem de tantis et

7-10 revelet] Cf. *Monologion*, c. I, vol. I, p. 14,1-4.

3 qui hoc] ipsum *add. T* 10 aliquo modo melius *T* 16 Aequum] equum *T* 20 est tamen *T* 24 *hic incipit cap. III R*

tam debitis malis in quibus eramus, ad tanta et tam indebita bona quae perdideramus, restituit, tanto maiorem dilectionem erga nos et pietatem monstravit. Si enim diligenter considerarent quam convenienter hoc modo procurata sit humana restauratio, non deriderent nostram simplicitatem, sed dei nobiscum laudarent sapientem benignitatem. Oportebat namque ut, sicut per hominis inoboedientiam mors in humanum genus intraverat, ita per hominis oboedientiam vita restitueretur. Et quemadmodum peccatum quod fuit causa nostrae damnationis, initium habuit a femina, sic nostrae iustitiae et salutis auctor nasceretur de femina. Et ut diabolus, qui per gustum ligni quem persuasit hominem vicerat, per passionem ligni quam intulit ab homine vinceretur. Sunt quoque multa alia quae studiose considerata, inenarrabilem quandam nostrae redemptionis hoc modo procuratae pulchritudinem ostendunt.

Capitulum IV.

Quod hae responsiones videantur infidelibus sine necessitate et quasi quaedam picturae.

B. Omnia haec pulchra et quasi quaedam picturae suscipienda sunt. Sed si non est aliquid solidum super quod sedeant, non videntur infidelibus sufficere, cur deum ea quae dicimus pati voluisse credere debeamus. Nam qui picturam vult facere, eligit aliquid solidum super quod pingat, ut maneat quod pingit. Nemo enim pingit in aqua vel in aëre, quia nulla ibi manent picturae vestigia. Quapropter cum has convenientias quas dicis infidelibus

5-7 restitueretur] Cf. Rom. 5,19; 12. — LEO MAGNUS, *Sermo* XXV, c. V (*PL* 54,211 s.): Ille diabolo obtemperans usque ad praevaricationem, meruit ut in ipso omnes morerentur; hic Patri obediens usque ad crucem, fecit ut in ipso omnes vivificarentur. 9 de femina] Cf. TERTULLIANUS, *De carne Christi*, c. XVII (*PL* 2,827 s.): In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis; in virginem aeque introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitae; ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. — AMBROSIUS, *Expositio in Lucam*, l. II, n. 28 (*CSEL* XXXII, pars IV, p. 56; *PL* 15,1643): Nam sicut peccatum a mulieribus coepit, ita etiam bona a mulieribus inchoantur.— AUGUSTINUS, *Sermo* CCXXXII, c. II, n. 2 (*PL* 38,1108): Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo, quia virgo Christum pepererat, femina resurrexisse nuntiabat. Per feminam mors, per feminam vita. 9-11 vinceretur] Cf. *Missale Romanum*, Praefationem de passione et s. cruce : et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

17 solidum aliquid *F*

quasi quasdam picturas rei gestae obtendimus, quoniam non rem gestam, sed figmentum arbitrantur esse quod credimus, quasi super nubem pingere nos existimant. Monstranda ergo prius est veritatis soliditas rationabilis, id est necessitas quae probet deum ad ea quae praedicamus debuisse aut potuisse humiliari; deinde ut ipsum quasi corpus veritatis plus niteat, istae convenientiae quasi picturae corporis sunt exponendae.

A. Nonne satis necessaria ratio videtur, cur deus ea quae dicimus facere debuerit: quia genus humanum, tam scilicet pretiosum opus eius, omnino perierat, nec decebat ut, quod deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur, nec idem eius propositum ad effectum duci poterat, nisi genus hominum ab ipso creatore suo liberaretur?

Capitulum V.

Quod redemptio hominis non potuit fieri per aliam quam per dei personam.

B. Haec ipsa liberatio si per aliam quam per dei personam, sive per angelum sive per hominem, esse facta quolibet modo diceretur, mens hoc humana multo tolerabilius acciperet. Potuit enim deus hominem aliquem facere sine peccato, non de massa peccatrice, nec de alio homine, sed sicut fecit ADAM, per quem hoc ipsum opus fieri potuisse videtur.

A. An non intelligis quia, quaecumque alia persona hominem a morte aeterna redimeret, eius servus idem homo recte iudicaretur? Quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non pecasset: cum ipse, qui non nisi dei servus et aequalis angelis bonis per omnia futurus erat, servus esset eius, qui deus non esset et cuius angeli servi non essent.

17 de massa peccatrice] Cf. PSEUDO-AMBROSIUS, *Comment. in Epist. ad Rom.*, c. V, 12 (*PL* 17,97): Manifestum itaque est in Adam omnes peccasse quasi in massa. — AUGUSTINUS (inter alia): *Sermo* XXVI, c. XII, n. 13 (*PL* 38,177): Una erat massa perditionis ex Adam, cui nonnisi supplicium debebatur... certe iam illi massae iusta damnatio debebatur. — *Sermo* XXII, c. IX, n. 9 (153): Sed quia nos nihil fieri voluimus peccando, et traducem mortalitatis de parentibus duximus, et massa peccati, massa irae facti sumus... 22 aequalis angelis bonis] Cf. Luc. 20,36: aequales enim Angelis sunt. 24 essent] Ad c. V cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XIII, c. XVIII, n. 23 (*PL*

2 esse arbitrantur *T* 11 hominum] humanum *F* 15 diceretur modo *T* (*abhinc crebras verborum transpositiones huius codicis non afferam*) hoc *om. T* 16 aliquem hominem *F* 17 de alio] vel alio *superscript. D*

Capitulum VI.

Qualiter reprehendant infideles quod dicimus deum morte sua nos redemisse et sic dilectionem suam erga nos ostendisse et pro nobis expugnare diabolum venisse.

B. Hoc est quod valde mirantur, quia liberationem hanc redemptionem vocamus. In qua namque – aiunt nobis – captione, aut in quo carcere aut in cuius potestate tenebamini, unde vos deus non potuit liberare, nisi vos tot laboribus et ad ultimum sanguine suo redimeret? Quibus cum dicimus: redemit nos a peccatis et ab ira sua et de inferno et de potestate diaboli, quem, quia nos non poteramus, ipse pro nobis venit expugnare, et redemit nobis regnum caelorum, et quia haec omnia hoc modo fecit, ostendit quan-

42,1032): Poterat enim utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei et hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo genus obligavit humanum; sicut ipsum quem primum creavit, non de genere creavit alicuius. Poterat ergo vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum alium de quo vinceretur victor prioris: sed melius iudicavit, et de ipso quod victum fuerat genere assumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. — GILBERTUS CRISPINUS, *Disputatio Iudaei cum Christiano* (*PL* 159,1022 s.): Quis autem hominum de communi massa perditionis natus id explere posset, ut reliquam humani generis massam restitueret?... (1023) Quod si novus, vel aliunde natus homo [seu angelus factus homo] hominem liberaret, non sic ad pristinum dignitatis ingenitae statum restitui posset. Cum enim angelis homo par creatus, non natura, sed rationis et concessae libertatis gratia, soli Deo Creatori ad serviendum erat obnoxius, ad eundem libertatis statum, seu per hominem, seu per angelum restitui non valebat. A quo enim quis a servitute redimitur, ei obnoxius esse ad serviendum iudicatur. 6-8 redimeret?] Cf. AUGUSTINUS, *Sermo* XXVII, c. II, n. 2 (*PL* 38,179): Ex prima enim transgressione primi hominis, universum genus humanum natum cum obligatione peccati, victor diabolus possidebat. Si enim sub captivitate non teneremur, Redemptore non indigeremus. Venit ad captivos non captus: venit ad captivos redimendos nihil in se captivitatis, hoc est iniquitatis habens, sed carne mortali pretium nostrum portans. 8-11 caelorum] Cf. ORIGENES, *Comment. in epist. ad Rom.*, l. II, n. 13 (*PG* 14,911): Si ergo »pretio empti« sumus, ut etiam Paulus astipulatur, ab aliquo sine dubio empti sumus, cuius eramus servi, qui et pretium poposcit quod voluit, ut de potestate dimitteret quos tenebat. Tenebat autem nos diabolus, cui distracti fueramus peccatis nostris. Poposcit ergo pretium nostrum sanguinem Christi. — *Ibid.*, l. III, n. 7 (945): Redemptio dicitur id quod datur hostibus pro his quos in captivitate detinent, ut eos restituant pristinae libertati. Detinebatur ergo apud hostes humani generis captivitas peccato tanquam bello superata: venit Filius Dei »qui factus est nobis« non solum »sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio«, sed »et redemptio«: et semetipsum dedit redemptionem, id est semetipsum hostibus tradidit, ac sitientibus eis suum sangui-

8 redimeret?]? *om. T* 10 redemit] *in margine* (*ab alia manu?*) vel reddidit *D*

tum nos diligeret, respondent: Si dicitis quia facere deus haec omnia non potuit solo iussu, quem cuncta creasse iubendo dicitis, repugnatis vobismet-ipsis, quia impotentem illum facitis. Aut si fatemini quia potuit, sed non voluit nisi hoc modo: quomodo sapientem illum potestis ostendere, quem sine ulla ratione tam indecentia velle pati asseritis? Omnia enim haec quae obtenditis, in eius voluntate consistunt. Ira namque dei non est aliud quam voluntas puniendi. Si ergo non vult punire peccata hominum, liber est homo a peccatis et ab ira dei et ab inferno et a potestate diaboli, quae omnia propter peccata patitur, et recipit ea quibus propter eadem peccata privatur. Nam in cuius potestate est infernus aut diabolus, aut cuius est regnum caelorum, nisi eius qui fecit omnia? Quaecumque itaque timetis aut desideratis, eius voluntati subiacent, cui nihil potest resistere. Quapropter si humanum genus salvare noluit, nisi quo modo dicitis, cum sola voluntate potuit: ut mitius dicam, videte quomodo eius sapientiae repugnatis. Nam si homo quod facile posset, cum gravi labore sine ratione faceret, non utique sapiens ab ullo iudicaretur. Quippe quod dicitis deum taliter ostendisse quantum vos diligeret, nulla ratione defenditur, si nullatenus aliter hominem potuisse sal-

nem fudit: et haec est credentibus facta redemptio. — AMBROSIUS, *Epist.*, LXXII, n. 8 (*PL* 16,1299): Nam si redempti sumus non corruptibilibus argento et auro, sed pretioso sanguine Domini nostri Iesu Christi (1 Petr. 1,18; 19); quo utique vendente, nisi eo qui nostrum iam peccatricis successionis aere quaesitum servitium possidebat: sine dubio ipse flagitabat pretium, ut servitio exueret, quos tenebat obstrictos. Pretium autem nostrae liberationis erat sanguis Domini Iesu, quod necessario solvendum erat ei cui peccatis nostris venditi eramus. 1-5 asseritis?] Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XIII, c. X, n. 13 (*PL* 42,1024): Eos itaque qui dicunt, Itane defuit deo modus alius quo liberaret homines a miseria mortalitatis huius ut unigenitum Filium Deum sibi coaeternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam et carnem, mortalemque factum mortem perpeti? Parum est sic refellere, ut istum modum quo nos per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum et divinae congruum dignitati: verum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacent; sed sanandae nostrae miseriae convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. — LEO MAGNUS, *Sermo* LXIII, c. I (*PL* 54,353): Omnipotentia enim Filii Dei, qua per eandem essentiam aequalis est Patri, potuisset humanum genus a dominatu diaboli solo imperio suae voluntatis eruere, nisi divinis operibus maxime congruisset, ut nequitiae hostilis adversitas de eo quod vicerat vinceretur. 16-17 diligeret] Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. VIII, c. X, n. 13 (*PL* 42,1024): Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram..., quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret?

1 deus facere *M*

vare non monstratur. Nam si aliter non potuisset, tunc forsitan necesse esset, ut hoc modo dilectionem suam ostenderet. Nunc vero cum aliter posset salvare hominem: quae ratio est, ut propter ostendendam dilectionem suam ea quae dicitis faciat et sustineat? An enim non ostendit bonis angelis quantum eos diligat, pro quibus talia non sustinet? Quod vero dicitis eum venisse expugnare pro vobis diabolum: quo sensu audetis proferre? Nonne dei omnipotentia regnat ubique? Quomodo ergo indigebat deus, ut ad vincendum diabolum de caelo descenderet? Haec nobis infideles obicere posse videntur.

Capitulum VII.

Quod nullam diabolus habebat iustitiam adversus hominem; et quare videatur habuisse cur deus hoc modo hominem liberaret.

Sed et illud quod dicere solemus, deum scilicet debuisse prius per iustitiam contra diabolum agere, ut liberaret hominem, quam per fortitudinem, ut cum diabolus eum, in quo nulla mortis erat causa et qui deus erat, occideret, iuste potestatem quam super peccatores habebat amitteret, alioquin

6 expugnare pro vobis diabolum] Cf. *Epist. de incarn. verbi,* n . X, p. 26,15. 9 videntur] Ad c. VI cf. TERTULLIANUS, *De baptismo,* c. XI (*CSEL* XX, p. 210; *PL* 1, 1321):... quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius. — HILARIUS, *In Matthaeum,* c. XXXI, n. 7 (*PL* 9,1068): Numquid possibile erat non pati Christum? Atquin iam a constitutione mundi sacramentum hoc in eo erat nostrae salutis ostensum... (1069) atque ideo, quia non est possibile se non pati... — AMBROSIUS, *Expositio in Lucam,* l. IIII, n. 48 (*CSEL* XXXII, pars IV, p. 136; *PL* 15,1694): Unde manifestum est et Christum potuisse mori, sed noluisse, ut nobis mors illa prodesset. — *De excessu Fratris sui Satyri,* l. II, n. 46 (*PL* 16, 1385): Potuit Christus non mori si voluisset; sed neque refugiendum mortem quasi ignavam putavit, neque melius nos quam moriendo servasset. — AUGUSTINUS, *De agone Christiano,* c. XI (*PL* 40,297): Sunt autem stulti qui dicunt, Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret. 13 Ad sequentia cf. IRENAEUS, *Contra haereses,* l. V, c. XXI, n. 3 (*PG* 7, 1182): Quoniam enim in initio homini suasit transgredi praeceptum factoris, ideo eum habuit in sua potestate... Et captivus quidem ductus est iuste is, qui hominem iniuste captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus est a possessoris potestate, secundum misericordiam Dei Patris. —

4 faciat] et faciat *N* 6 diabolum pro vobis *F*

iniustam violentiam fecisset illi, quoniam iuste possidebat hominem, quem non ipse violenter attraxerat, sed idem homo ad illum se sponte contulerat: non video quam vim habeat. Namque si diabolus aut homo suus esset aut al- 3
terius quam dei, aut in alia quam in dei potestate maneret, forsitan hoc recte diceretur. Cum autem diabolus aut homo non sit nisi dei et neuter extra potestatem dei consistat: quam causam debuit agere deus cum suo, de suo, 6

Ibid., c. I, n. 1 (1120 s.). — AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XIII, c. XIII-XIV (*PL* 42,1026-1028). — *Ibid.*, c. XIII (1027): Placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed iustitia vinceretur. — *Enchiridion*, c. XLIX (*PL* 40,255 s.). — *De libero arbitrio*, l. III, c. X, n. 31 (*PL* 32,1286 s.): Atque Verbum Dei unicus Dei Filius, diabolum quem semper sub legibus suis habuit et habebit, homine indutus etiam homini subiugavit: nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege iustitiae; ut quoniam, femina decepta, et deiecto per feminam viro, omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen iure aequissimo vindicabat, tamdiu potestas eius valeret, donec interficeret iustum, in quo nihil dignum morte posset ostendere... Iustissime itaque dimittere cogitur credentes in eum quem iniustissime occidit... (1281) Ita factum est ut neque diabolo per vim eriperetur homo, quem nec ipse vi, sed persuasione ceperat. — *Ibid.*, n. 29 (1285 s.). — *Sermo* CXXX, n. 2 (*PL* 38, 726): Et in eo quod fudit sanguinem non debitoris, iussus est reddere debitores. Fudit sanguinem innocentis: iussus est recedere a nocentibus. — *Sermo* CXXXIV, c. V, n. 6 (745). — *Sermo* CCLXIII, n. 2 (1210). — LEO MAGNUS, *Sermo* XXII, c. III (*PL* 54,196): Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiae, sed ratione iustitiae. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suae voluntatis illexerat. Non itaque iuste amitteret originalem humani generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. — *Sermo* XXI, c. I (191): In quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili aequitatis iure certatum est. — *Sermo* LXIV, c. II (358 s.). — *Sermo* LX, c. III (344): Nec ipse itaque diabolus intellexit, quod saeviendo in Christum, suum destrueret principatum, quia antiquae fraudis iura non perderet, si se a Domini Iesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi avida, dum irruit, ruit; dum capit, capta est; dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem. — *Sermo* LXII, c. III (351): Fefellit ergo illum malignitas sua: intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. — *Sermo* LXIX, c. IV (378); et passim. — GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, l. XVII, c. XXX, n. 46 et 47 (*PL* 76,32 s.). — PSEUDO-BEDA, *Aliquot quaestiones*: XV: *De redemptione humana* (*PL* 93,471): Si solo verbo hominem salvum esse praecepisset, diabolus conqueri posset eum magis usum Dominica potestate quam iustitiae aequitate. — GILBERTUS CRISPINUS, *Disputatio Iudaei cum Christiano* (*PL* 159,1022 s.). — HILDEBERTUS LAVARDIN, *Sermo* IX (*PL* 171,381 ss.). 5-6 consistat] Cf. cap.

2 ipse *om.* *T* 4 in dei] in *om.* *F*

in suo, nisi ut servum suum puniret, qui suo conservo communem dominum deserere et ad se transire persuasisset, ac traditor fugitivum, fur furem cum furto domini sui suscepisset? Uterque namque fur erat, cum alter altero persuadente se ipsum domino suo furabatur. Quid enim iustius fieri posset, si hoc deus faceret? Aut si iudex omnium deus hominem sic possessum, de potestate tam iniuste possidentis vel ad puniendum illum aliter quam per diabolum vel ad parcendum illi eriperet: quae haec iniustitia esset? Quamvis enim homo iuste a diabolo torqueretur, ipse tamen illum iniuste torquebat. Homo namque meruerat ut puniretur, nec ab ullo convenientius quam ab illo, cui consenserat ut peccaret. Diaboli vero meritum nullum erat ut puniret; immo tanto hoc faciebat iniustius, quanto non ad hoc amore iustitiae trahebatur, sed instinctu malitiae impellebatur. Nam non hoc faciebat deo iubente, sed incomprehensibili sapientia sua, qua etiam mala bene ordinat, permittente.

Et puto illos, qui diabolum aliquam opinantur habere in possidendo hominem iustitiam, ad hoc inde adduci, quia vident hominem diaboli vexationi iuste subiacere et deum hoc iuste permittere, et idcirco putant diabolum illam iuste inferre. Contingit enim idem aliquid diversis considerationibus esse iustum et iniustum, et ob hoc a non diligenter intuentibus totum iustum aut iniustum iudicari. Evenit enim ut aliquis innocentem iniuste percutiat, unde ipse iuste percuti mereatur. Si tamen percussus vindicare se non debet et percutit percutientem se, iniuste hoc facit. Haec igitur percussio ex parte percutientis est iniusta quia non debuit se vindicare; ex parte vero percussi iusta, quia iniuste percutiens iuste percuti meruit. Diverso igitur intuitu iusta et iniusta est eadem actio, quam contingere potest ab alio iudicari iustam tantum, ab alio iniustam. Hoc itaque modo diabolus dicitur iuste vexare hominem, quia deus hoc iuste permittit et homo iuste patitur. Sed et hoc quod homo iuste dicitur pati, non sua iustitia pati iuste dicitur, sed quia iusto iudicio dei punitur.

praecedens, p. 54,10-11. — AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XIII, c. XII (*PL* 42, 1026: Nec hominem a lege suae potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit; quia nec ipse diabolus a potestate Omnipotentis alienus est. 3-4 furabatur] Cf. AUGUSTINUS, *Enarratio in Ps.* LXVIII, *Sermo* I, n. 9 (*PL* 36,848): Sed quis rapuit? Adam. Quis rapuit primo? Ille ipse qui seduxit Adam... Rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem.

3 alter altero persuadente] alter alteri persuadendo *N* 14 opinantur] putantur; *superscr.* opinantur *T*

At si obtenditur »chirographum« illud »decreti, quod adversum nos« dicit apostolus fuisse et per mortem Christi deletum esse, et putat aliquis per illud significari, quia diabolus quasi sub cuiusdam pacti chirographo ab homine iuste ante Christi passionem peccatum, velut usuram primi peccati quod persuasit homini et poenam peccati exigeret, ut per hoc iustitiam suam super hominem probare videatur: nequaquam ita intelligendum puto. Quippe chirographum illud non est diaboli, quia dicitur chirographum »decreti«. Decretum enim illud non erat diaboli, sed dei. Iusto namque dei iudicio decretum erat et quasi chirographo confirmatum, ut homo qui sponte peccaverat, nec peccatum nec poenam peccati vitare per se posset. Est enim »spiritus vadens et non rediens«, et »qui facit peccatum, servus est peccati«, nec qui peccat impunitus debet dimitti, nisi misericordia peccatori parcat et

1 adversum nos] Coll. 2,14 (Vulg.: adversus nos). 1-6 puto] Cf. HILARIUS, *Tract. in Ps.* CXXIX, n. 9 (*PL* 9,723): Hic est, qui venit tollere peccata mundi, qui cruci chirographum legis affigens, edictum damnationis veteris delevit. – PSEUDO-AMBROSIUS, *Comment. in Epist. ad Rom.*, c. V, 12 (*PL* 17,97): ... sententia enim tenebantur data in Adam, quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia autem decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram: anima vero vinculis inferni detenta exitia pateretur. — AMBROSIUS, *De virginitate*, c. XIX, n. 126 (*PL* 16,314): Eramus oppignorati malo creditori peccatis; contraximus chirographum culpae, poenam sanguinis debebamus: venit Dominus Iesus, suum pro nobis obtulit. — *Enarr. in Ps.* XL, n. 1 (*PL* 14,1119): ... qui solus chirographum decreti, sanguinis sui effusione delevit. — AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh.* LII, n. 6 (*PL* 35,1771): Possidebat ergo diabolus genus humanum, et reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum. — *De peccatorum meritis et remissione*, l. II, c. XXX (*CSEL* LX, p. 120; *PL* 44,180 s.): Nostrum ergo corpus mortuum est propter peccatum, Christi autem corpus solum mortuum est sine peccato, ut fuso sanguine sine culpa omnium culparum chirographa delerentur, quibus debitores, qui in eum credunt, a diabolo antea tenebantur. — *De Trinitate*, l. IV, c.XIII, n. 17 (*PL* 42,900). — LEO MAGNUS, *Sermo* XXII, c. IV (*PL* 54,197): Perstitit ergo improbus praedo et avarus exactor in eum qui nihil ipsius habebat insurgere, et dum vitiatae originis praeiudicium generale persequitur, chirographum quo nitebatur excedit, ab illo iniquitatis exigens poenam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque lethiferae pactionis malesuasa conscriptio, et per iniustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. — *Sermo* LXI, c. IV (348): Evacuatum est igitur generale illud venditionis nostrae et lethale chirographum, et pactum captivitatis in ius transiit Redemptoris. — *Sermo* LIII, c. I (317). — *Epist.* CXXIV, c. VII (1066 s.). — GREGORIUS MAGNUS, *Homil. in Ev.* XXIX, n. 10 (*PL* 76,1218): Sed hoc nobis magnopere, fratres charissimi, in hac solemnitate pensandum est, quia deletum est hodierna die chirographum damnationis nostrae, mutata est sententia corruptionis nostrae. 11 rediens] Ps. 77,39. peccati] Ioh. 8,34.

1 cyrographum *NT*

eum liberet ac reducat. Quamobrem per hoc chirographum nullam inveniri posse diaboli iustitiam in hominis vexatione credere debemus. Denique sicut in bono angelo nulla omnino est iniustitia, ita in malo nulla penitus est iustitia. Nihil igitur erat in diabolo, cur deus contra illum ad liberandum hominem sua uti fortitudine non deberet.

Capitulum VIII.

Quomodo licet humilia quae dicimus de Christo, non pertineant ad divinitatem, tamen inconveniens videatur infidelibus ea de illo dici secundum hominem; et unde illis videatur idem homo non sponte mortuus esse.

A. Sufficere nobis debet ad rationem voluntas dei cum aliquid facit, licet non videamus cur velit. Voluntas namque dei numquam est irrationabilis.

B. Verum est, si constat deum id velle unde agitur. Nequaquam enim acquiescunt multi deum aliquid velle, si ratio repugnare videtur.

A. Quid tibi videtur repugnare rationi, cum deum ea voluisse fatemur quae de eius incarnatione credimus?

B. Ut breviter dicam: altissimum ad tam humilia inclinari, omnipotentem aliquid facere cum tanto labore.

A. Qui hoc dicunt, non intelligunt quod credimus. Divinam enim naturam absque dubio asserimus impassibilem, nec ullatenus posse a sua celsitudine humiliari, nec in eo quod facere vult laborare. Sed dominum Christum IESUM dicimus verum deum et verum hominem, unam personam in duabus naturis et duas naturas in una persona. Quapropter cum dicimus deum aliquid humile aut infirmum pati, non hoc intelligimus secundum sublimitatem impassibilis naturae, sed secundum infirmitatem humanae substantiae quam gerebat; et sic nostrae fidei nulla ratio obviare cognoscitur. Sic enim nullam divinae substantiae significamus humilitatem, sed unam dei et hominis monstramus esse personam. Non ergo in incarnatione dei ulla eius humilitas intelligitur facta, sed natura hominis creditur exaltata.

18-28 exaltata] Cf. LEO MAGNUS, *Sermo* XLVI, c. I (*PL* 54,292): Nam quidam erubescentes Evangelium crucis ... ipsam verae carnis in Domino negavere naturam, non intelligentes impassibilem Dei Verbi atque incommutabilem Deitatem, ita inclinatam ad humanam salutem, ut et potenter propria non amitteret, et misericorditer nostra susciperet. Duplicis itaque in Christo formae una persona est ... — Et passim.

4 illum] eum; *superscr.* ill(um) *T* 20-21 Jesum Christum *RTF*

B. Ita sit, nihil imputetur divinae naturae, quod secundum infirmitatem hominis de Christo dicitur. Verum quomodo iustum aut rationabile probari poterit, quia deus hominem illum, quem pater filium suum dilectum in quo sibi bene complacuit, vocavit et quem filius se ipsum fecit, sic tractavit aut tractari permisit? Quae autem iustitia est hominem omnium iustissimum morti tradere pro peccatore? Quis homo, si innocentem damnaret ut nocentem liberaret, damnandus non iudicaretur? Ad idem enim res deduci videtur inconveniens, quod supra dictum est. Nam si aliter peccatores salvare non potuit quam iustum damnando: ubi est eius omnipotentia? Si vero potuit sed non voluit: quomodo defendemus sapientiam eius atque iustitiam?

A. Deus pater non, quemadmodum videris intelligere, hominem illum tractavit aut innocentem pro nocente morti tradidit. Non enim eum invitum ad mortem ille coegit aut occidi permisit, sed idem ipse sponte sua mortem sustinuit, ut homines salvaret.

B. Etiam si non invitum, quoniam voluntati patris consensit, quodam tamen modo illum coegisse videtur praecipiendo. Dicitur enim quia Christus »humiliavit se ipsum, factus oboediens« patri »usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et deus illum exaltavit«; et quia »didicit oboedientiam ex iis quae passus est«; et quia »proprio filio non pepercit« pater, »sed pro nobis omnibus tradidit illum«. Et idem filius dicit: »Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius qui misit me«. Et iturus ad passionem dicit: »Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio«. Item: »Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?« Et alibi: »Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu«. Et: »Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua«.

3-4 complacuit] Cf. Matth. 3,17. 8 supra] Cf. c. VI, p. 54,1-5. 17-18 exaltavit] Phil. 2,8 s. (Vulg.: semetipsum [cf. p. 62,16]; exaltavit illum). 18-19 passus est] Hebr. 5,8 (Vulg.: didicit ex iis, quae passus est, oboedientiam). 19-20 illum] Rom. 8,32. 20-21 misit me] Ioh. 6,38 (Vulg.: quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. — Cf. AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh.* XXV, n. 15 et 16 [*PL* 35,1603 s.]). 22 facio] Ioh. 14,31. 22-23 illum] Ioh. 18,11. 23-24 sicut tu] Matth. 26,39 (Vulg.: Pater mi). 25 voluntas tua] Ibidem, 26,42 (Vulg.: Pater mi).

1 nihil] Nihil *N* 17 semetipsum *corr. ex* seipsum (*ab alia manu?*) *D* 19 ex his *TF* filio] suo *add. T* 24 Et] Idem *add. F* *in marg. add.* (*alia manus?*) alibi *N*

In his omnibus plus videtur Christus oboedientia cogente quam spontanea voluntate disponente mortem sustinuisse.

Capitulum IX.

Quod sponte mortuus sit; et quid sit: »factus est oboediens usque ad mortem«, et: »propter quod et deus illum exaltavit«, et: »non veni voluntatem meam facere«, et: »proprio filio suo non pepercit« deus, et: »non sicut ego volo, sed sicut tu«.

A. Ut mihi videtur, non bene discernis inter hoc quod fecit exigente oboedientia, et quod sibi factum, quia servavit oboedientiam, sustinuit non exigente oboedientia.

B. Necesse habeo ut hoc apertius exponas.

A. Cur persecuti sunt eum Iudaei usque ad mortem?

B. Non ob aliud, nisi quia veritatem et iustitiam vivendo et loquendo indeclinabiliter tenebat.

A. Hoc puto quia deus ab omni rationali creatura exigit, et hoc illa per oboedientiam deo debet.

B. Sic fateri nos oportet.

A. Hanc igitur oboedientiam debebat homo ille deo patri, et humanitas divinitati, et hanc ab illo exigebat pater.

B. Hoc nulli dubium.

A. Ecce habes quid fecit exigente oboedientia.

B. Verum est; et iam video quid sibi illatum, quia oboediendo perseveravit, sustinuit. Nam illata est illi mors, quia perstitit in oboedientia, et hanc sustinuit. Sed quomodo hoc oboedientia non exigat non intelligo.

A. Si homo numquam peccasset: deberet pati mortem, aut deus deberet hoc ab illo exigere?

B. Quemadmodum credimus, nec homo moreretur nec hoc ab illo exigeretur, sed huius rei a te audire volo rationem.

A. Rationalem creaturam iustam factam esse et ad hoc, ut deo fruendo beata esset, non negas.

B. Non.

A. Deo autem nequaquam existimabis convenire, ut quam fecit iustam

28 volo audire *RD*

ad beatitudinem, miseram esse sine culpa cogat. Hominem enim invitum mori miserum est.

B. Patet quia, si non peccasset homo, non deberet ab eo deus mortem exigere.

A. Non ergo coegit deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum; sed ipse sponte sustinuit mortem, non per oboedientiam deserendi vitam, sed propter oboedientiam servandi iustitiam, in qua tam fortiter perseveravit, ut inde mortem incurreret.

Potest etiam dici quia praecepit illi pater mori, cum hoc praecepit unde incurrit mortem. Ita ergo, »sicut mandatum dedit« illi »pater«, sic fecit, et »calicem, quem dedit«, bibit, et »factus« est »oboediens« patri »usque ad mortem«, et sic »didicit ex iis quae passus est oboedientiam«, id est, quousque servari debeat oboedientia. Verbum autem quod positum est, »didicit«, duobus modis intelligi potest. Aut enim »didicit« dictum est pro: alios fecit discere, aut quia quod per scientiam non ignorabat, experimento didicit. Quod autem apostolus, cum dixisset: »humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis«, subdidit: »propter quod et deus illum exaltavit et donavit illi nomen, quod est super omne nomen« – cui simile est quod DAVID dixit: »de torrente in via bibit, propterea exaltavit caput« –: non ita dictum est, quasi nullatenus potuisset pervenire ad hanc exaltationem nisi per hanc mortis oboedientiam, et haec exaltatio non nisi in retributionem huius oboedientiae collata sit – prius enim quam pateretur, ipse dixit »omnia« sibi esse »tradita« »a patre«, et omnia patris esse sua –; sed quoniam ipse cum patre sanctoque spiritu disposuerat se non aliter quam per mortem celsitudinem omnipotentiae suae mundo ostensurum. Quippe quod non nisi per illam mortem fieri dispositum est: cum per illam fit, non incongrue dicitur propter illam fieri.

Si enim intendimus facere aliquid, sed proponimus nos aliud prius facturos, per quod illud fiat: cum iam factum est quod volumus praecedere, si

10 fecit] Cf. Ioh. 14,31. 11 bibit] Cf. Ioh. 18,11. 11-12 mortem] Cf. Phil. 2,8. 12 oboedientiam] Hebr. 5,8. 16-17 crucis] Phil. 2,8. 17-18 nomen] Ibidem, 2,9 (Vulg.: exaltavit illum). 19 caput] Ps. 109,7 (Vulg.: bibet; exaltabit. — Cf. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* CIX, n. 20 [*PL* 37,1462]). 22-23 a patre] Cf. Luc. 10,22. 23 esse sua] Cf. Ioh. 16,15.

1 Hominem] hominem *N* 10 pater *bis F* 12 ex his *MTF* 17 propter] Propter *T* 19 bibet *corr. ex* bibit *M* exaltabit (*rasura?*) *M*

fit quod intendimus, recte dicitur propterea fieri, quoniam factum est propter quod differebatur; quia non nisi per illud fieri dispositum erat. Nam si flu-
3 vium quem equo et navi transire possum, propono me non nisi navi transiturum et idcirco differo transmeare, quia navis abest: cum iam praesto est navis, si transeo, recte de me dicitur: navis parata fuit, propterea transivit.
6 Et non solum ita loquimur, quando per illud quod praecedere volumus, sed etiam quando non per illud, sed tantummodo post illud facere aliud aliquid statuimus. Si quis enim differt cibum sumere propterea, quia nondum ea die
9 missae celebrationi affuit: peracto quod prius facere volebat, non incongrue illi dicitur: iam sume cibum, propterea quia iam fecisti propter quod sumere differebas. Multo igitur minus inusitata est locutio, cum Christus dicitur exal-
12 tatus propterea, quia mortem sustinuit, per quam et post quam illam exaltationem facere decrevit. Potest hoc et eo modo intelligi quo idem dominus legitur profecisse »sapientia« »et gratia apud deum«, non quia ita erat, sed
15 quia ille sic se habebat, ac si ita esset. Nam sic post mortem exaltatus est, quasi propter illam hoc fieret.

Quod autem ipse ait: »non veni voluntatem meam facere, sed eius
18 qui misit me«, tale est quale est et illud: »mea doctrina non est mea«. Nam quod, quis non habet a se, sed a deo, hoc non tam suum quam dei dicere debet. Nullus vero homo a se habet veritatem quam docet, aut iu-
21 stam voluntatem, sed a deo. Non ergo venit Christus voluntatem suam facere sed patris, quia iusta voluntas quam habebat, non erat ex humanitate, sed ex divinitate. »Proprio« vero »filio suo non pepercit« deus, »sed pro nobis
24 tradidit illum«, non est aliud quam: non liberavit eum. Nam multa in sacra scriptura huiusmodi inveniuntur. Ubi autem dicit: »pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu«; et:
27 »si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua«: naturalem salutis per voluntatem suam significat appetitum, quo humana caro dolorem mortis fugiebat. Voluntatem vero »patris« dicit, non quoniam ma-
30 luerit pater filii mortem quam vitam, sed quia humanum genus restaurari nolebat pater, nisi faceret homo aliquid tam magnum, sicut erat mors illa; quia non poscebat ratio quod alius facere non poterat, idcirco dicit filius illum
33 velle mortem suam, quam ipse mavult pati, quam ut genus humanum non

14 apud deum] Luc. 2,52. 17-18 misit me] Ioh. 6,38 (Vulg.: vide supra).
18 mea] Ibidem, 7,16. 23-24 illum] Rom. 8,32 (Vulg.: pro nobis omnibus).
25-26 sicut tu] Matth. 26,39 (Vulg.: Pater mi). 27 tua] Ibidem, 26,42.

salvetur. Ac si diceret: Quoniam non vis aliter reconciliationem mundi fieri, dico te hoc modo velle mortem meam. Fiat igitur haec voluntas tua, id est fiat mors mea, ut mundus tibi reconcilietur. Nam saepe aliquem velle dicimus aliquid, quia non vult aliud, quod si vellet, non fieret illud quod dicitur velle; ut cum dicimus illum velle lucernam extinguere, qui non vult claudere fenestram, per quam ventus intrat, qui lucernam extinguit. Sic igitur voluit pater mortem filii, quia non aliter voluit mundum salvari, nisi homo tam magnum aliquid faceret, ut dixi. Quod filio volenti salutem hominum tantundem valuit – quoniam alius hoc facere non valebat –, quantum si illi mori praeciperet. Unde ille »sicut mandatum dedit« illi »pater, sic« fecit, et »calicem quem dedit« ei »pater«, bibit »oboediens usque ad mortem«.

Capitulum X.

Item de eisdem, quomodo aliter recte intelligi possunt.

Potest etiam recte intelligi, quia per illam piam voluntatem, qua voluit filius pro salute mundi mori, »dedit« illi »pater«, non tamen cogendo, »mandatum« et »calicem« passionis, et »non pepercit« illi, »sed pro nobis tradidit illum« et mortem illius voluit; et quia ipse filius »oboediens« fuit »usque ad mortem«, et »didicit ex iis quae passus est oboedientiam«. Quemadmodum enim secundum humanitatem non habebat a se voluntatem iuste vivendi, sed a patre, ita et voluntatem illam qua, ut tantum bonum faceret, mori voluit, non potuit habere nisi »a patre luminum«, a quo est »omne datum optimum et omne donum perfectum«. Et sicut pater trahere dando voluntatem dicitur, ita non incongrue fit, si impellere asseritur. Sicut enim filius

10 fecit] Cf. Ioh. 14,31. 10-11 bibit] Cf. Ioh. 18,11. 11 ad mortem] Phil. 2,8. 15-16 mandatum] Cf. Ioh. 14,31. 16 et calicem passionis] Cf. ibidem, 18,11. 16-17 illum] Cf. Rom. 8,32. – AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh.* CXII, n. 5 (*PL* 35,1932): Quod autem a Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est quod ait Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Verum auctor calicis huius est etiam qui bibit. Unde idem apostolus item dicit: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis...* 17-18 ad mortem] Cf. Phil. 2,8. 18 oboedientiam] Hebr. 5,8. 21-22 perfectum] Iac. 1,17.

18 ex his *MTF*

dicit de patre: »nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum«, ita dicere potuit: nisi impulerit eum. Similiter quoque proferre potuit: nemo currit ad mortem propter nomen meum, nisi pater impulerit aut traxerit eum. Quoniam namque voluntate quisque ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconvenienter trahere aut impellere deus, cum talem dat voluntatem, affirmatur. In quo tractu vel impulsu nulla intelligitur violentiae necessitas, sed acceptae bonae voluntatis spontanea et amata tenacitas. Si ergo hoc modo negari nequit patrem voluntatem illam dando ad mortem filium traxisse vel impulisse: quis non videat eadem ratione »mandatum« illi ut mortem sponte sustineret, et »calicem« quem non invitus biberet, dedisse? Et si filius sibi non pepercisse, sed pro nobis spontanea voluntate se ipsum tradidisse recte dicitur: quis neget recte dici quia »pater«, a quo talem voluntatem habuit, illi »non pepercit, sed pro nobis tradidit illum« et mortem eius voluit? Hoc etiam modo indeclinabiliter et sponte servando acceptam a patre voluntatem filius »factus« est illi »oboediens usque ad mortem«, et »didicit ex iis quae passus est oboedientiam«, id est quam magna res facienda sit per oboedientiam. Nam tunc est simplex et vera oboedientia, cum rationalis natura non necessitate, sed sponte servat voluntatem a deo acceptam.

Aliis quoque modis recte possumus patrem voluisse filii mortem intelligere, quamvis isti possint sufficere. Nam sicut velle dicimus eum, qui facit ut alius velit, ita dicimus etiam illum velle, qui non facit ut alius velit, sed approbat quia vult. Ut cum videmus aliquem fortiter pati velle molestiam, ut perficiat quod bene vult: quamvis fateamur nos velle ut illam poenam sustineat, non tamen volumus aut amamus poenam eius, sed voluntatem. Illum quoque qui prohibere potest et non prohibet, solemus dicere quia vult quod non prohibet. Quoniam ergo patri filii voluntas placuit, nec prohibuit eum velle aut implere quod volebat: recte voluisse ut filius mortem tam pie, tam utiliter sustineret – quamvis poenam eius non amaret – affirmatur. Non

1 traxerit eum] Ioh. 6,44 (Vulg.: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. — Cf. AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh.* XXVI, n. 2 [*PL* 35,1608]: nemo venit ad me). 9-10 dedisse] Cf. Ioh. 14,31 et 18,11. 11-12 tradidisse] Cf. Rom. 8,32. 13 tradidit illum] Cf. ibidem. 15 ad mortem] Phil. 2,8. 16 oboedientiam] Hebr. 5,8. 26-27 prohibet] Cf. *De casu diaboli*, c. XXVIII, vol. I, p. 276,9-11.

15 illi] ei *T* 16 ex his *MTF*

autem potuisse calicem transire, nisi biberet illum, dixit, non quia non posset mortem vitare si vellet, sed quoniam – sicut dictum est – mundum erat aliter impossibile salvari; et ipse indeclinabiliter volebat potius mortem pati, quam ut mundus non salvaretur. Idcirco autem illa verba dixit, ut doceret humanum genus aliter salvari non potuisse quam per mortem suam, non ut ostenderet se mortem nequaquam valuisse vitare. Nam quaecumque de illo dicuntur iis quae dicta sunt similia, sic sunt exponenda, ut nulla necessitate, sed libera voluntate mortuus credatur. Erat namque omnipotens; et de illo legitur quia »oblatus est, quoniam ipse voluit«. Et ipse dicit: »Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam«. Quod ergo idem ipse sua potestate et sua voluntate facit, nullatenus ad hoc cogi recte dicitur.

B. Hoc solum, quia permittit deus illum sic tractari quamvis volentem, non videtur tali patri de tali filio convenire.

A. Immo maxime decet talem patrem tali filio consentire, si quid vult laudabiliter ad honorem dei et utiliter ad salutem hominum, quae aliter fieri non potuit.

B. In hoc adhuc versamur, qualiter mors illa rationabilis et necessaria monstrari possit. Aliter namque nec ipse filius eam velle, nec pater cogere aut permittere debuisse videtur. Quaeritur enim cur deus aliter hominem salvare non potuit; aut si potuit, cur hoc modo voluit. Nam et inconveniens videtur esse deo hominem hoc modo salvasse, nec apparet quid mors ista valeat ad salvandum hominem. Mirum enim est, si deus sic delectatur aut eget sanguine innocentis, ut non nisi eo interfecto parcere velit aut possit nocenti.

1 illum] Cf. Ioh. 18,11. 9 voluit] Is. 53,7 (Vulg.: quia *pro* quoniam). 9-12 sumendi eam] Ioh. 10,17 s. (Vulg.: et potestatem *pro* Potestatem). 6-13 dicitur] Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. IV, c. XIII, n. 16 (*PL* 42,898 s.): ... demonstravit spiritus Mediatoris, quam nulla poena peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus hinc ait: *Potestatem habeo...* (Ioh. 10,18). – *Enarr. in Ps.* LXXXVI, n. 5 (*PL* 37,1104 s.). 21-22 voluit] Cf. c. VI, p. 54,1-5, et c. VIII, p. 60,5-10.

6 valuisse] voluisse *M* dicuntur de illo *F* iis] his *TF* 10 ut] et *corr. ex* ut *M* 11 potestatem habeo *om. F* 23 quid] quod *F* 24 ista mors *F*

A. Quoniam accipis in hac quaestione personam eorum, qui credere nihil volunt nisi praemonstrata ratione, volo tecum pacisci, ut nullum vel minimum inconveniens in deo a nobis accipiatur, et nulla vel minima ratio, si maior non repugnat, reiciatur. Sicut enim in deo quamlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas, ita quamlibet parvam rationem, si maiori non vincitur, comitatur necessitas.

B. Nihil in hac re accipio libentius, quam ut hoc pactum inter nos communiter servetur.

A. De incarnatione tantum dei et de iis quae de illo assumpto homine credimus, quaestio est.

B. Ita est.

A. Ponamus ergo dei incarnationem et quae de illo dicimus homine numquam fuisse; et constet inter nos hominem esse factum ad beatitudinem, quae in hac vita haberi non potest, nec ad illam posse pervenire quemquam nisi dimissis peccatis, nec ullum hominem hanc vitam transire sine peccato, et alia quorum fides ad salutem aeternam necessaria est.

B. Ita fiat, quia nihil in his impossibile aut inconveniens deo videtur.

A. Necessaria est igitur homini peccatorum remissio, ut ad beatitudinem perveniat.

B. Sic omnes tenemus.

1-2 ratione] Cf. c. III, p. 50,16-18. 4-5 impossibilitas] Cf. *Epist. de incarn. verbi,* n. X, p. 26,4. 12-16 necessaria est] Cf. Praefatio, p. 42,11-13. 20 tenemus] Ad cc. IX et X cf. PSEUDO-AMBROSIUS, *Comment. in epist. ad Eph.* V, 2 (*PL* 17, 416): Sed non ita est, quia Christus Deo se dicitur obtulisse, dum occidi se passus est, in Dei Patris sui voluntate perdurans ; quia qui iuste occiditur diabolo se offerens, voluntatem eius facit, ut occidi mereatur. Ita et Christus dum Dei voluntati adhaeret, diabolo displicuit, et ideo illum occidit, quia Deo se obtulit, iustitiam exsequendo. In oblatione enim iustitia signatur et veritas ; hanc enim respicit Deus, et hoc est eius sacrificium acceptum. Itaque immeritus, qui occiditur, placet Deo ; non quia occiditur, sed quia usque ad mortem iustitiam conservavit... Nunc quaerendum est quomodo illum Deus tradidit, aut quomodo se ipse obtulit Deo ; nam hoc quantum ad verba pertinet, videtur contrarium. Deus illum tradidisse dicitur, dum illum occidi permisit, sicut dicit Dominus ad Pilatum: »Non haberes adversum me potestatem, nisi data tibi esset desuper« (Ioh. 19,11). Data est enim ei, sed volenti, potestas, hoc est permissum est illi facere quod voluit, et hoc est tradere : dum enim dissimulat, tradit ; si enim noluisset permittere, non fuisset occisus. Permisit ergo occidi eum, sed ab eis qui eum volebant non coacte, sed sponte occidere... Quod autem Christus ipse se obtulit, aut Deus illum tradidit, unum est ; quia amborum una voluntas est.

8 servetur] conservetur *N* 9 de his *MTF* 15 sine peccato transire *F*

Capitulum XI.

Quid sit peccare et pro peccato satisfacere.

A. Quaerendum ergo est qua ratione deus dimittat peccata hominibus. Et ut hoc faciamus apertius, prius videamus quid sit peccare et quid pro peccato satisfacere.

B. Tuum est ostendere, et meum intendere.

A. Si angelus et homo semper redderet deo quod debet, numquam peccaret.

B. Nequeo contradicere.

A. Non est itaque aliud peccare quam non reddere deo debitum.

B. Quod est debitum quod deo debemus?

A. Omnis voluntas rationalis creaturae subiecta debet esse voluntati dei.

B. Nihil verius.

A. Hoc est debitum quod debet angelus et homo deo, quod solvendo nullus peccat, et quod omnis qui non solvit peccat. Haec est iustitia sive rectitudo voluntatis, quae iustos facit sive rectos corde, id est voluntate. Hic est solus et totus honor, quem debemus deo et a nobis exigit deus. Sola namque talis voluntas opera facit placita deo, cum potest operari; et cum non potest, ipsa sola per se placet, quia nullum opus sine illa placet. Hunc honorem debitum qui deo non reddit, aufert deo quod suum est, et deum exhonorat; et hoc est peccare. Quamdiu autem non solvit quod rapuit, manet in culpa. Nec sufficit solummodo reddere quod ablatum est, sed pro contumelia illata plus debet reddere quam abstulit. Sicut enim qui laedit salutem alterius, non sufficit si salutem restituit, nisi pro illata doloris iniuria recompenset aliquid: ita qui honorem alicuius violat non sufficit honorem reddere, si non secundum exhonorationis factam molestiam aliquid, quod placeat illi quem exhonoravit, restituit. Hoc quoque attendendum quia, cum aliquis quod iniuste abstulit solvit, hoc debet dare, quod ab illo non posset exigi, si alienum non rapuisset. Sic ergo debet omnis qui peccat, hono-

15-16 voluntatis] Cf. *De veritate*, c. XII, vol. I, p. 194,30-34. 16 rectos corde] Cf. Ps. 35,11.

3 est ergo *F* 4 Et] et *T* 6 meum] est *add. F* 26 reddere] deo (*expunctum*) *M* 28 aliquis] aliquid *D* aliquis *corr. ex* aliquid *R* 29 Sic] sic (*in marg.* S) *N*

rem deo quem rapuit solvere; et haec est satisfactio, quam omnis peccator deo debet facere.

B. In his omnibus, quoniam rationem sequi proposuimus, quamvis aliquantulum me terreas, nihil habeo quod dicere possim contra.

Capitulum XII.

Utrum sola misericordia sine omni debiti solutione deceat deum peccatum dimittere.

A. Redeamus et videamus utrum sola misericordia, sine omni solutione ablati sibi honoris deceat deum peccatum dimittere.

B. Non video cur non deceat.

A. Sic dimittere peccatum non est aliud quam non punire. Et quoniam recte ordinare peccatum sine satisfactione non est nisi punire: si non punitur, inordinatum dimittitur.

B. Rationabile est quod dicis.

A. Deum vero non decet aliquid inordinatum in suo regno dimittere.

B. Si aliud volo dicere, timeo peccare.

A. Non ergo decet deum peccatum sic impunitum dimittere.

B. Ita sequitur.

A. Est et aliud quod sequitur, si peccatum sic impunitum dimittitur: quia similiter erit apud deum peccanti et non peccanti; quod deo non convenit.

B. Non possum negare.

A. Vide et hoc. Iustitiam hominum nemo nescit esse sub lege, ut secundum eius quantitatem mensura retributionis a deo recompensetur.

B. Ita credimus.

A. Si autem peccatum nec solvitur nec punitur, nulli legi subiacet.

B. Non possum aliter intelligere.

A. Liberior igitur est iniustitia, si sola misericordia dimittitur, quam iustitia; quod valde inconveniens videtur. Ad hoc etiam extenditur haec inconvenientia, ut iniustitiam deo similem faciat; quia sicut deus nullius legi subiacet, ita et iniustitia.

B. Resistere nequeo rationi tuae. Sed cum deus nobis praecipiat omnino dimittere peccantibus in nos, videtur repugnare, ut hoc nobis praecipiat quod ipsum facere non decet.

31-32 in nos] Cf. Matth. 6,12.

A. Nulla in hoc est repugnantia, quia deus hoc nobis praecipit, ut non praesumamus quod solius dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere, nisi ad illum qui dominus est omnium. Nam cum terrenae potestates hoc recte faciunt, ipse facit, a quo ad hoc ipsum sunt ordinatae.

B. Removisti repugnantiam quam putabam inesse; sed est aliud ad quod tuum habere volo responsum. Nam cum deus sic sit liber ut nulli legi, nullius subiaceat iudicio, et ita sit benignus, ut nihil benignius cogitari queat, et nihil sit rectum aut decens nisi quod ipse vult: mirum videtur si dicimus quia nullatenus vult aut non ei licet suam iniuriam dimittere, a quo etiam de iis quas aliis facimus solemus indulgentiam petere.

A. Verum est quod dicis de libertate et voluntate et benignitate illius; sed sic eas debemus rationabiliter intelligere, ut dignitati eius non videamur repugnare. Libertas enim non est nisi ad hoc quod expedit aut quod decet, nec benignitas dicenda est quae aliquid deo indecens operatur. Quod autem dicitur quia quod vult iustum est, et quod non vult non est iustum, non ita intelligendum est ut, si deus velit quodlibet inconveniens, iustum sit, quia ipse vult. Non enim sequitur: si deus vult mentiri, iustum esse mentiri; sed potius deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas, immo quae deserendo veritatem corrupta est. Cum ergo dicitur: si deus vult mentiri, non est aliud quam: si deus est talis natura quae velit mentiri; et idcirco non sequitur iustum esse mendacium. Nisi ita intelligatur, sicut cum de duobus impossibilibus dicimus: si hoc est, illud est; quia nec hoc nec illud est. Ut si quis dicat: si aqua est sicca, et ignis est humidus; neutrum enim verum est. Itaque de illis tantum verum est dicere: si deus hoc vult, iustum est, quae deum velle non est inconveniens. Si enim deus vult ut pluat, iustum est ut pluat; et si vult ut homo aliquis occidatur, iustum est ut occidatur. Quapropter si non decet deum aliquid iniuste aut inordinate facere, non pertinet ad eius libertatem aut benignitatem aut voluntatem, peccantem qui non solvit deo quod abstulit impunitum dimittere.

3 omnium] Cf. Rom. 12,19. 14-27 occidatur] Cf. AUGUSTINUS, *De Symbolo*, c. I, n. 2 (*PL* 40,627): Nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens. Prorsus omnipotens Pater noster peccare non potest. Facit quidquid vult: ipsa est omnipotentia. Facit quidquid bene vult, quidquid iuste vult: quidquid autem male fit, non vult.

4 ad hoc] in hoc *M* 10 de his *MTF* 22 cum *om. RD*

B. Omnia mihi aufers quae putabam tibi obici posse.

A. Vide adhuc cur deum hoc facere non deceat.

B. Libenter ausculto quidquid dicis.

Capitulum XIII.

Quod nihil minus sit tolerandum in rerum ordine, quam ut creatura creatori debitum honorem auferat et non solvat quod aufert.

A. Nihil minus tolerandum in rerum ordine, quam ut creatura creatori debitum honorem auferat et non solvat quod aufert.

B. Hoc nihil clarius.

A. Nihil autem iniustius toleratur, quam quo nihil est minus tolerandum.

B. Nec hoc est obscurum.

A. Puto ergo quia non dices deum debere tolerare quo nihil toleratur iniustius, ut creatura non reddat deo quod aufert.

B. Immo penitus negandum esse video.

A. Item. Si deo nihil maius aut melius, nihil iustius quam honorem illius servat in rerum dispositione summa iustitia, quae non est aliud quam ipse deus.

B. Hoc quoque nil apertius.

A. Nihil ergo servat deus iustius quam suae dignitatis honorem.

B. Concedere me oportet.

A. Videtur tibi quod eum integre servet, si sic auferri sibi permittit, ut nec solvatur nec ipse auferentem puniat?

B. Non audeo dicere.

A. Necesse est ergo, ut aut ablatus honor solvatur aut poena sequatur. Alioquin aut sibi deus ipsi iustus non erit aut ad utrumque impotens erit; quod nefas est vel cogitare.

3 dicis] Ad c. XII cf. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* L, n. 11 (*PL* 36,592): *Veritatem dilexisti*: id est, impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti. *Veritatem dilexisti*: sic misericordiam praerogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur. 16-17 deus] Cf. *Monologion*, c. XVI, vol. I, p. 30 s.

2 A. Vide adhuc] *hic incipit c. XIII N* 15 quam] quae *add. R in marg. insert.* (*ab alia manu?*) *D*

Capitulum XIV.

Cuiusmodi honor dei sit poena peccantis.

B. Nihil rationabilius dici posse intelligo. Sed volo a te audire, si poena peccantis sit illi honor, aut cuiusmodi honor sit. Si enim poena peccantis non est eius honor, cum peccator non solvit quod abstulit, sed punitur, sic perdit deus honorem suum ut non recuperet; quod iis quae dicta sunt repugnare videtur.

A. Deum impossibile est honorem suum perdere. Aut enim peccator sponte solvit quod debet, aut deus ab invito accipit. Nam aut homo debitam subiectionem deo sive non peccando sive quod peccat solvendo, voluntate spontanea exhibet, aut deus eum invitum sibi torquendo subicit et sic se dominum eius esse ostendit, quod ipse homo voluntate fateri recusat. In quo considerandum quia, sicut homo peccando rapit quod dei est, ita deus puniendo aufert quod hominis est. Quippe non solum id suum alicuius esse dicitur quod iam possidet, sed quod in eius potestate est ut habeat. Quoniam ergo homo ita factus est, ut beatitudinem habere posset, si non peccaret: cum propter peccatum beatitudine et omni bono privatur, de suo quamvis invitus solvit quod rapuit; quia licet deus hoc ad usum sui commodi non transferat quod aufert – sicut homo pecuniam quam alii aufert in suam convertit utilitatem –, hoc tamen quod aufert utitur ad suum honorem, per hoc quia aufert. Auferendo enim peccatorem et quae illius sunt, sibi subiecta esse probat.

Capitulum XV.

Si deus vel ad modicum patiatur honorem suum violari.

B. Placet quod dicis. Sed est et aliud ad quod tuam responsionem postulo. Nam si deus ita sicut probas suum debet honorem servare: cur vel ad modicum patitur illum violari? Quod enim aliquo modo laedi sinitur, non integre nec perfecte custoditur.

A. Dei honori nequit aliquid, quantum ad illum pertinet, addi vel minui. Idem namque ipse sibi est honor incorruptibilis et nullo modo mutabilis. Verum quando unaquaeque creatura suum et quasi sibi praeceptum

5 aubstulit *D* 6 iis] his *MTF* 21 sunt] frater (fr̃.) *N* 25 Sed] sed *F* Sed est et] et *om. R* 26 Nam si] *hic incipit c. XV N*

ordinem sive naturaliter sive rationabiliter servat, deo oboedire et eum honorare dicitur, et hoc maxime rationalis natura, cui datum est intelligere quid debeat. Quae cum vult quod debet, deum honorat; non quia illi aliquid confert, sed quia sponte se eius voluntati et dispositioni subdit, et in rerum universitate ordinem suum et eiusdem universitatis pulchritudinem, quantum in ipsa est, servat. Cum vero non vult quod debet, deum, quantum ad illam pertinet, inhonorat, quoniam non se sponte subdit illius dispositioni, et universitatis ordinem et pulchritudinem, quantum in se est, perturbat, licet potestatem aut dignitatem dei nullatenus laedat aut decoloret.

Si enim ea quae caeli ambitu continentur, vellent non esse sub caelo aut elongari a caelo, nullatenus possent nisi sub caelo esse nec fugere caelum nisi appropinquando caelo. Nam et unde et quo et qua irent, sub caelo essent; et quanto magis a qualibet caeli parte elongarentur, tanto magis oppositae parti propinquarent. Ita quamvis homo vel malus angelus divinae voluntati et ordinationi subiacere nolit, non tamen eam fugere valet, quia si vult fugere de sub voluntate iubente, currit sub voluntatem punientem; et si quaeris qua transit: non nisi sub voluntate permittente; et hoc ipsum quod perverse vult aut agit, in universitatis praefatae ordinem et pulchritudinem summa sapientia convertit. Ipsa namque perversitatis spontanea satisfactio vel a non satisfaciente poenae exactio – excepto hoc quia deus de malis multis modis bona facit – in eadem universitate suum tenent locum et ordinis pulchritudinem. Quas si divina sapientia, ubi perversitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet, fieret in ipsa universitate quam deus debet ordinare, quaedam ex violata ordinis pulchritudine deformitas, et deus in sua dispositione videretur deficere. Quae duo quoniam sicut sunt

19-25 deficere] Cf. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* VII, n. 19 (*PL* 36,108): Non enim oportet ignosci, nisi dicenti: Peccavi. Qui ergo videt merita animarum sic ordinari a Deo, ut dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo universitatis nulla ex parte violetur, in omnibus laudat Deum. — *Epist.* CXL, c. II, n. 4 (*CSEL* XXXXIIII, pars III, p. 157 s.; *PL* 33,539): Nec efficit anima perverse utens creaturis, ut ordinationem effugiat creatoris, quoniam, si illa male utitur bonis, ille bene utitur etiam malis ac per hoc illa perverse bonis utendo fit mala, ille ordinate etiam malis utendo permanet bonus. Qui enim iniuste se ordinat in peccatis, iuste ordinatur in poenis. — *De libero arbitrio*, l. III, c. IX, n. 26 (*PL* 32,1283 s.).

8 pulchritudinem *om. T* 13 essent] *sic M; Trecenses 750 et 752 (s. XII.)* esset *B (in rasura) RDNTF; et multi alii codices*

inconvenientia, ita sunt impossibilia, necesse est ut omne peccatum satisfactio aut poena sequatur.

B. Satisfecisti obiectioni meae.

A. Palam igitur est quia deum, quantum in ipso est, nullus potest honorare vel exhonorare; sed quantum in se est, hoc aliquis facere videtur, cum voluntatem suam voluntati eius subicit aut subtrahit.

B. Nescio quid contra queam dicere.

Capitulum XVI.

Ratio quod numerus angelorum qui ceciderunt restituendus sit de hominibus.

A. Adhuc addam aliquid.

B. Tamdiu dic, donec me taedeat audire.

A. Deum constat proposuisse, ut de humana natura quam fecit sine peccato, numerum angelorum qui ceciderant restitueret.

B. Hoc credimus, sed vellem aliquam huius rei rationem habere.

A. Fallis me. Non enim proposuimus tractare nisi de sola incarnatione dei, et tu mihi interseris alias quaestiones.

B. Ne irascaris, »hilarem datorem diligit deus«. Nam nemo magis probat se hilariter dare quod promittit, quam qui plus dat quam promittit. Dic ergo libenter quod quaero.

A. Rationalem naturam, quae dei contemplatione beata vel est vel futura est, in quodam rationabili et perfecto numero praescitam esse a deo, ita ut nec maiorem nec minorem illum esse deceat, non est dubitandum.

1-2 sequatur] Cf. TERTULLIANUS, *De pudicitia*, c. II (*CSEL* XX, p. 224; *PL* 2,1036): Omne delictum aut venia dispungit aut poena, venia ex castigatione, poena ex damnatione. 12-13 restitueret] Cf. *De casu diaboli*, cc. V et XXIII, vol. I, p. 243, 9-10 et 270,13-18. — AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c. XXIX (*PL* 40,246; cf. vol. I. p. 270). — *Ibidem*, c. LXI (261) :... ex ipsa hominum redemptione ruinae illius angelicae detrimenta reparantur. — GREGORIUS MAGNUS, *Homil. in Evang.* XXI, n. 2 (*PL* 76,1171): Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit; et angelorum festivitas exstitit, quia nos revocando ad coelestia eorum numerum implevit. In sua ergo ac nostra festivitate angelus in albis vestibus apparuit, quia dum nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimur, coelestis patriae damna reparantur. 15-16 dei] Cf. c. X, p. 67,9-10. 17 deus] 2 Cor. 9,7.

18 quod promittit] quod promittitur *M* dat quam] dat quod *T*

Aut enim nescit deus in quo numero melius eam deceat constitui, quod falsum est; aut si scit, in eo illam constituet, quem ad hoc decentiorem intelliget. Quapropter aut angeli illi qui ceciderunt, facti erant ad hoc ut essent intra illum numerum; aut quia extra illum permanere non potuerunt, ex necessitate ceciderunt, quod absurdum est opinari.

B. Veritas est aperta quod dicis.

A. Quoniam ergo de illo numero esse debuerunt: aut restaurandus est ex necessitate numerus eorum, aut in imperfecto remanebit numero rationalis natura, quae in numero perfecto praescita est; quod esse non potest.

B. Restaurandi procul dubio sunt.

A. Necesse est ergo eos de humana, quoniam non est alia de qua possint, natura restaurari.

Capitulum XVII.

Quod alii angeli pro illis non possint restitui.

B. Cur non aut ipsi aut alii angeli pro illis possunt restitui?

A. Cum videbis nostrae restaurationis difficultatem, intelliges eorum reconciliationis impossibilitatem. Alii autem angeli pro illis restitui non possunt ideo – ut taceam quomodo hoc repugnare videatur primae creationis perfectioni –, quia non debent, nisi tales esse possint, quales illi fuissent, si non peccassent, cum illi nulla visa vindicta peccati perseverassent; quod post illorum casum aliis, qui pro illis restituerentur, esset impossibile. Non enim pariter laudabiles sunt, si stant in veritate: et qui nullam novit peccati poenam, et qui eam semper aspicit aeternam. Nam nequaquam putandum est bonos angelos esse confirmatos casu malorum, sed suo merito. Sicut namque, si boni cum malis peccassent, simul damnati essent, ita iniusti, si cum iustis stetissent, pariter confirmati essent. Quippe si aliqui eorum non nisi aliorum casu confirmandi erant, aut nullus umquam confirmaretur, aut necesse erat aliquem casurum, qui ad alios confirmandos puniretur; quae utraque absurda sunt.

12 restaurari] Ad c. XVI cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XIV, c. XXVI (*CSEL* XXXX, pars II, p. 54 s.; *PL* 41,435): Verumtamen omnipotenti Deo... non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in sua sapientia praedestinatum etiam ex damnato genere humano suae civitatis impleret. 16 difficultatem] Cf. l. II, c. XXI.

16 A. Cum videbis] *hic incip. c. XVII R*

Illo itaque modo confirmati sunt illi qui steterunt, quo pariter confirmati essent omnes, si stetissent. Quem modum ostendi, sicut potui, ubi tractavi cur deus diabolo perseverantiam non dedit.

B. Probasti malos angelos de humana natura restaurandos; et patet ex hac ratione quia non in minori numero erunt homines electi, quam sunt angeli reprobi. Sed utrum plures futuri sint, si potes ostende.

Capitulum XVIII.

Utrum plures futuri sint sancti homines quam sint mali angeli.

A. Si angeli, antequam quidam illorum caderent, erant in illo perfecto de quo diximus numero, non sunt homines facti nisi pro restauratione angelorum perditorum, et palam est quia non erunt plures illis. Si autem ille numerus non erat in illis omnibus angelis, complendum est de hominibus et quod periit et quod prius deerat, et erunt electi homines plures reprobis angelis; et sic dicemus quia non fuerunt homines facti tantum ad restaurandum numerum imminutum, sed etiam ad perficiendum nondum perfectum.

B. Quid potius tenendum est: an angeli prius facti sint in numero perfecto, an non?

A. Quod mihi videtur dicam.

B. Non possum a te plus exigere.

A. Si homo factus est post casum malorum angelorum, sicut quidam intelligunt in Genesi, non video posse me per hoc probare alterum horum determinate. Potest enim, ut puto, esse quod angeli prius fuerint in numero perfecto, et postea factus sit homo propter restaurandum imminutum eorum numerum; et potest esse quod non fuerint in numero perfecto, quia differebat deus – sicut adhuc differt – illum implere numerum, facturus humanam naturam suo tempore; unde aut solummodo numerum nondum integrum perficeret, aut etiam, si minueretur, restitueret. Si autem tota creatura simul facta est, et dies illi in quibus MOYSES istum mundum non simul esse factum

2-3 dedit] Cf. *De casu diaboli*, cc. II, III, XXIV, vol. I, p. 235 ss. et 271 s. 10 diximus] Cf. c. XVI, p. 74,20-75,3. 27 simul facta] Cf. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litt.*, l. IV, c. XXXIII (*CSEL* XXVIII, p. 131 ss.; *PL* 34,317 s.). — IOANNES SCOTUS ERIUGENA, *De divisione naturae*, l. V (*PL* 122, 1006 ss.).

2 Quem ad modum *NT* 4 B. Probasti] *hic incipit c. XVIII N* 21 intelligunt] dicunt *F* 24 fuerit *R*

videtur dicere, aliter sunt intelligendi, quam sicut videmus istos dies in quibus vivimus: intelligere nequeo quomodo facti sint angeli in illo integro numero. Quippe si ita esset, videtur mihi quia ex necessitate aut aliqui angeli vel homines casuri erant, aut plures essent in illa caelesti civitate, quam illa perfecti numeri convenientia exigeret. Si ergo omnia simul facta sunt, sic videntur angeli et duo primi homines in numero imperfecto fuisse, ut de hominibus, si nullus angelus caderet, quod deerat solum perficeretur, et si aliquis periret, hoc quoque quod caderet restitueretur, et hominis natura, quae infirmior erat, quasi deum excusaret atque diabolum confunderet, si ille casum suum infirmitati suae imputaret, cum ipsa infirmior staret; ac si et eadem ipsa caderet, multo magis deum defenderet contra diabolum et contra se ipsam, cum ipsa facta valde infirmior et mortalis in electis de tanta infirmitate tanto altius ascenderet, quam unde diabolus cecidisset, quanto boni angeli, quorum aequalitas ei debetur, profecerunt post ruinam malorum, quia perseveraverunt.

Ex iis rationibus potius mihi videtur quia in angelis non fuit ille perfectus numerus, quo civitas illa superna perficietur, quoniam si homo simul cum angelis factus non est, sic possibile est esse; et si simul facti sunt – quod magis putant multi, quoniam legitur: »qui vivit in aeternum, creavit omnia simul« –, videtur necesse esse. Sed et si perfectio mundanae creaturae

76,27-77,2 vivimus] Cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XI, c. IX (*CSEL* XXXX, pars I, p. 524; *PL* 41,324 s.): Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent angeli, ipsi sunt illa lux, quae diei nomen accepit, cuius unitas ut commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies unus. Nec alius est dies secundus aut tertius aut caeteri; sed idem ipse unus ad implendum senarium vel septenarium numerum repetitus est propter senariam vel septenariam cognitionem; senariam scilicet operum, quae fecit Deus, et septenariam quietis Dei. — GREGORIUS MAGNUS, *Moral.* l. XXXII, c. XII (*PL* 76,644 s.). 19-20 simul] Eccli. 18,1.— Cf. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litt.*, l. V, c. XXIII (*CSEL* XXVIII, p. 167 ss.; *PL* 34,337 s.). — *Ibid.*, l. VI, c. V (174 ss.; 341 s.). — *De Genesi ad litt. lib. imperf.*, c. IX, n. 31 (*CSEL* XXVIII, pars II, p. 481 s.; *PL* 34,233): Quod si non fastidii evitandi gratia ita variatum est, illud certe intelligere cogimur, quod dictum est: *et fecit deus omnia simul*. Quare enim primo ibi vidit quia bonum est et postea nomen imposuit, hic autem primo nomen imposuit et postea vidit quia bonum est? nisi quia ista indifferentia significat morarum intervalla non esse in operatione dei, quamvis in ipsis inveniantur operibus?

2 sint] sunt *NT* numero] et perfecto *in marg. insert.* (*ab alia manu?*) *D* 4 aut plures] ut plures *F* essent *om. N* 5 ergo] igitur *N* 16 Ex iis rationibus *B* potius *om. T* 17 perficeretur *T*

non tantum est intelligenda in numero individuorum quantum in numero naturarum, necesse est humanam naturam aut ad complementum eiusdem perfectionis esse factam, aut illi superabundare, quod de minimi vermiculi natura dicere non audemus. Quare pro se ipsa ibi facta est, et non solum pro restaurandis individuis alterius naturae. Unde palam est quia, etiam si angelus nullus perisset, homines tamen in caelesti civitate suum locum habuissent. Sequitur itaque quia in angelis, antequam quidam illorum caderent, non erat ille perfectus numerus. Alioquin necesse erat, ut aut homines aut angeli aliqui caderent, quoniam extra numerum perfectum ibi nullus manere poterat.

B. Non nihil effecisti.

A. Est et alia ratio, ut mihi videtur, quae non parum suffragatur illi sententiae, quae angelos non esse factos in perfecto numero existimat.

B. Dic illam.

A. Si angeli in illo numero perfecto facti sunt, et nullatenus facti sunt homines nisi pro restauratione perditorum angelorum: palam est quia, nisi angeli ab illa beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent.

B. Hoc constat.

A. Si quis ergo dixerit quia tantum laetabuntur electi homines de angelorum perditione, quantum gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio haec non esset, nisi illa fuisset: quomodo poterunt ab hac perversa gratulatione defendi? Aut quomodo dicemus angelos qui ceciderunt in hominibus restauratos, si illi sine hoc vitio permansuri erant, si non cecidissent, id est sine gratulatione de casu aliorum, isti vero sine illo esse non poterunt? Immo qualiter cum hoc vitio beati esse debebunt? Deinde qua audacia dicemus deum non velle aut non posse hanc restaurationem sine hoc vitio facere?

B. Nonne similiter est in gentibus quae ad fidem vocatae sunt, quia illam Iudaei reppulerunt?

A. Non. Nam si Iudaei omnes credidissent, gentes tamen vocarentur, quia »in omni gente qui timet deum et operatur iustitiam, acceptus est illi«. Sed quoniam Iudaei apostolos contempserunt, ea tunc fuit occasio, ut ad gentes illi converterentur.

8-9 poterat] Cf. c. XVI, p. 74,4-5. 30 est illi] Act. 10,35.

12 in perfecto] imperfecto *M* 18 ergo] autem *RD* 18-19 de perditione gelorum *M* 21 Aut] aut *T* 29 omnes iudei *RD*

B. Nullo modo video quid contra haec dicere possim.

A. Unde tibi videtur accidere singulis illa laetitia de alieno casu?

B. Unde, nisi quia certus erit unusquisque quoniam, ubi erit nullatenus esset, nisi alius inde cecidisset?

A. Si ergo nullus hanc certitudinem haberet, non esset unde ullus de alieno damno gauderet.

B. Ita videtur.

A. Putasne illorum aliquem habiturum hanc certitudinem, si multo plures erunt quam qui ceciderunt?

B. Nequaquam possum opinari quod eam habeat aut habere debeat. Quomodo namque poterit quis scire, utrum pro restaurando quod imminutum erat, aut pro complendo quod nondum perfectum erat de illo numero constituendae civitatis, sit factus? Sed omnes certi erunt se factos esse ad perficiendam illam civitatem.

A. Ergo si plures erunt quam reprobi angeli, nullus poterit aut debebit scire se non esse ibi assumptum nisi pro alieno casu.

B. Verum est.

A. Non igitur habebit aliquis cur gaudere debeat de alterius perditione.

B. Ita sequitur.

A. Cum itaque videamus quia, si plures erunt homines electi quam sint reprobi angeli, illa non sequatur inconvenientia, quam sequi est necesse, si plures non erunt; et cum impossibile sit ullum in illa civitate futurum inconveniens: videtur necesse esse, ut angeli non sint facti in illo perfecto numero, et plures futuri sint beati homines, quam sint miseri angeli.

B. Non video qua ratione hoc negari queat.

A. Aliam adhuc eiusdem sententiae posse dici puto rationem.

B. Hanc quoque proferre debes.

A. Credimus hanc mundi molem corpoream in melius renovandam, nec hoc futurum esse, donec impleatur numerus electorum hominum et illa beata perficiatur civitas, nec post eius perfectionem differendum. Unde colligi potest

28 renovandam] Cf. 2 Petr. 3,13 : Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus. — Apoc. 21,1 : Et vidi caelum novum et terram novam. 28-30 differendum] Cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XX, c. XIV (*CSEL* XXXX, pars II, p. 461 ; *PL* 41,679) : *Et vidi*, inquit, *thronum magnum et candidum et sedentem super eum, cuius a facie fugit caelum et terra, et locus eorum inventus non est*

11 quod *bis T*

deum ab initio proposuisse, ut utrumque simul perficeret: quatenus et minor quae deum non sentiret natura ante maiorem quae deo frui deberet, nequaquam perficeretur, et in maioris perfectione mutata in melius suo quodam modo quasi congratularetur; immo omnis creatura de tam gloriosa et tam admirabili sui consummatione ipsi creatori et sibi et invicem quaeque suo modo aeterne congaudendo iucundaretur. Quatenus quod voluntas in rationali natura sponte facit, hoc etiam insensibilis creatura per dei dispositionem naturaliter exhiberet. Solemus namque in maiorum nostrorum exaltatione congaudere, ut cum in nataliciis sanctorum festiva exultatione iucundamur, de gloria illorum laetantes. Quam sententiam illud adiuvare videtur quia, si ADAM non peccasset, differret tamen deus illam civitatem perficere, donec completo ex hominibus quem expectabat numero, ipsi quoque homines in corporum – ut ita dicam – immortalem immortalitatem transmutarentur. Habebant enim in paradiso quandam immortalitatem, id est potestatem non moriendi; sed non erat immortalis haec potestas, quia poterat mori, ut scilicet ipsi non possent non mori.

Quod si ita est, ut videlicet rationalem illam et beatam civitatem et hanc mundanam insensibilemque naturam deus ab initio proposuerit simul perficere, videtur quia aut illa civitas non erat completa in numero angelorum ante malorum ruinam, sed expectabat deus ut eam de hominibus com-

(Apoc. 20,11). Non ait :,Vidi thronum magnum et candidum et sedentem super eum, et ab ieus facie fugit caelum et terra, quoniam non tunc factum est, id est, antequam esset de vivis et mortuis iudicatum ; sed eum se vidisse dixit in throno sedentem, a cuius facie fugit caelum et terra, sed postea. Peracto quippe iudicio, tunc esse desinet hoc caelum et haec terra, quando incipiet esse caelum novum et terra nova. — *Ibidem*, c. XVI (p. 464 ss. ; 681 s.). 10-13 transmutarentur] Cf. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litt.*, l. IX, c. III, n. 6 (*CSEL* XXVIII, p. 271 s. ; *PL* 34,395) : Quamquam enim iam emissi de paradiso convenisse et genuisse commemorantur, tamen non video, quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiae... ; non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis, qui genuissent, in aliquo formae statu manentibus et ex ligno vitae, quod ibi plantatum erat, corporalem vigorem sumentibus et illi, qui gignerentur, ad eundem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si iuste omnes oboedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio, ut sine illa morte animalia corpora conversa in aliam qualitatem, eo quod ad omnem nutum regenti se spiritui deservirent et solo spiritu vivificante sine ullis alimentorum corporalibus sustentaculis viverent, spiritalia vocarentur. Potuit hoc fieri, si non praecepti transgressio mortis supplicium mereretur.

12 completa *R*

pleret, quando corpoream mundi naturam in melius mutaret; aut si perfecta erat in numero, non erat perfecta in confirmatione, et differenda erat eius confirmatio, etiam si nullus in ea peccasset, usque ad eandem mundi quam expectamus renovationem; aut si non diutius illa confirmatio differenda erat, acceleranda erat mundana renovatio, ut cum eadem confirmatione fieret. Sed quod mundum noviter factum statim deus renovare, et eas res quae post renovationem illam non erunt, in ipso initio, antequam appareret cur factae essent destruere instituerit, omni caret ratione. Sequitur igitur quia angeli non ita fuerunt in numero perfecto, ut eorum confirmatio diu non differretur, propterea quia mundi novi renovationem mox oporteret fieri; quod non convenit. Quod autem eandem confirmationem usque ad mundi futuram renovationem differre deus voluerit inconveniens videtur, praesertim cum illam in aliquibus tam cito perfecerit, et cum intelligi possit quia in primis hominibus, quando peccaverunt, illam fecisset, si non peccassent, sicut fecit in perseverantibus angelis. Quamvis enim nondum proveherentur ad illam aequalitatem angelorum, ad quam perventuri erant homines, cum perfectus esset numerus de illis assumendus: in illa tamen iustitia in qua erant videtur quia, si vicissent, ut tentati non peccarent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, ut ultra peccare non possent; quemadmodum, quia victi peccaverunt, sic infirmati sunt, ut quantum in ipsis est, sine peccato esse non possint. Quis enim audeat dicere plus valere iniustitiam ad alligandum in servitute hominem in prima suasione sibi consentientem, quam valeret iustitia ad confirmandum eum in libertate sibi in eadem prima tentatione adhaerentem? Nam quemadmodum, quoniam humana natura tota erat in primis parentibus, tota in illis victa est ut peccaret – excepto illo solo homine, quem deus sicut sine semine viri de virgine facere, sic scivit a peccato ADAE secernere –: ita in eisdem tota vicisset, si non peccassent. Restat ergo ut non completa in illo primo angelorum numero superna civitas, sed de hominibus complenda fuisse dicatur. Quae si rata sunt, plures erunt electi homines, quam sint angeli reprobi.

B. Rationabilia mihi valde videntur quae dicis.

Sed quid dicemus quia legitur de deo: »constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum ISRAEL«? Quod quidam, quia pro »filiorum ISRAEL« invenitur »angelorum dei«, sic exponunt, ut secundum numerum bonorum angelorum assumendus intelligatur numerus hominum electorum.

31-32 ISRAEL] Deut. 32,8. 33 angelorum dei] Septuaginta: κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. 32-34 electorum] Cf. GREGORIUS MAGNUS, *Homil. in Ev.* XXXIV,

A. Hoc non repugnat praedictae sententiae, si certum non est quod totidem angeli cecidissent quot remanserunt. Nam si plures sunt electi angeli quam reprobi: et necesse est ut reprobos electi homines restaurent, et potest fieri ut beatorum numero coaequentur; et sic plures erunt homines iusti quam angeli iniusti. Sed memento quo pacto incepi respondere quaestioni tuae: videlicet ut si quid dixero quod maior non confirmet auctoritas – quamvis illud ratione probare videar –, non alia certitudine accipiatur, nisi quia interim ita mihi videtur, donec deus mihi melius aliquo modo revelet. Certus enim sum, si quid dico quod sacrae scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est; nec illud tenere volo si cognovero. Sed si in illis rebus de quibus diversa sentiri possunt sine periculo, sicuti est istud unde nunc agimus – si enim nescimus utrum plures homines eligendi sint quam sint angeli perditi an non, et alterum horum magis aestimamus quam alterum, nullum puto esse animae periculum –; si, inquam, in huiusmodi rebus sic exponimus divina dicta, ut diversis sententiis favere videantur, nec alicubi invenitur ubi quid indubitanter tenendum sit determinent, non arbitror reprehendi debere.

Illud autem quod dixisti: »constituit terminos populorum« seu gentium »iuxta numerum angelorum dei«, quod in alia translatione legitur: »iuxta numerum filiorum ISRAEL«: quoniam ambae translationes aut idem significant aut diversa sine repugnantia, ita intelligendum est, ut et per angelos dei et per filios ISRAEL significentur angeli boni tantummodo, aut soli homines electi, aut simul angeli et homines electi, tota scilicet illa civitas superna; aut per angelos dei sancti angeli tantum et per filios ISRAEL soli iusti homines, aut soli angeli per filios ISRAEL et iusti homines per angelos dei. Si boni angeli tantum designantur per utrumque, idem est quod si solum per angelos dei; si vero tota caelestis civitas, hic est sensus quia tam diu assumentur populi, id est multitudines electorum hominum, aut tam diu erunt

n. 11 (*PL* 76,1252): Quia enim superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei* (Deut. 32,8), debemus et nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum civium ad usum nostrae conversationis trahere... Quia enim tanta illuc ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum, superest ut ipsi quoque homines qui ad caelestem patriam redeunt ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur.
5-8 revelet] Cf. c. 11, p. 50,7-10. 17-19 ISRAEL] Deut. 32,8.

15 favere] facẽre *N* 27 assumuntur *F*

in hoc saeculo populi, donec de hominibus praedestinatus numerus illius civitatis nondum perfectus compleatur.

Sed non video nunc, quomodo soli angeli aut simul et angeli et homines sancti per filios ISRAEL intelligantur. Sanctos autem homines ‚filios ISRAEL' sicut ‚filios ABRAHAE' vocari non est alienum. Qui angeli quoque dei per hoc recte possunt vocari, quia vitam angelicam imitantur atque similitudo et aequalitas illis angelorum promittitur in caelo, et quia omnes iuste viventes angeli sunt dei; unde ipsi ‚confessores' aut ‚martyres' dicuntur. Qui enim confitetur et testatur veritatem dei, nuntius, id est angelus eius est. Et si malus homo dicitur diabolus, sicut de IUDA dicit dominus, propter similitudinem malitiae: cur non et bonus homo dicetur angelus propter imitationem iustitiae? Quare possumus – ut puto – dicere deum constituisse »terminos populorum iuxta numerum« electorum hominum, quia tam diu erunt populi et erit hominum in hoc mundo procreatio, donec numerus eorundem electorum compleatur; et eo completo cessabit esse hominum generatio, quae fit in hac vita.

At si per angelos dei intelligimus sanctos angelos tantum, et per filios ISRAEL solummodo iustos homines, duobus modis intelligi potest quia »constituit deus terminos populorum iuxta numerum angelorum dei«: aut quia tantus populus, id est tot homines assumentur quot sunt sancti angeli dei; aut quia tam diu erunt populi, donec numerus angelorum dei compleatur ex hominibus; et uno solo modo exponi posse video »constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum ISRAEL«, id est quia, sicut supra dictum est, tam diu erunt populi in hoc saeculo, donec numerus hominum sanctorum assummatur; et colligetur ex utraque translatione, quia tot assumentur homines quot remanserunt angeli. Unde tamen non sequetur, quamvis perditi angeli ex hominibus restaurandi sint, tot angelos cecidisse quot perseveraverunt. Quod tamen si dicitur, inveniendum erit quomodo ratae non sint supra positae rationes, quae videntur ostendere non fuisse in angelis, priusquam quidam illorum caderent, illum perfectum numerum, quem supra dixi, et plures homines

10 dominus] Cf. Ioh. 6,71 : et ex vobis unus diabolus est? 30 supra] Cf. c. XVI, p. 74,20-75,9.

5 habrahe *F* 7 angelorum] angelis *F* 8 aut] ac *N* 11 dicitur *F* 14 eorundem numerus *RD* 20 quot] quod (*ab alia manu superscript.* vel quot) *N* 22 solo modo] solummodo *T* 24 sanctorum hominum *N* 27 sint] sunt *N* Quod] quod *N*

electos futuros quam sint angeli mali.

B. Non me paenitet quia coegi te, ut de angelis haec diceres. Nam non frustra factum est. Nunc redi ad id unde digressi sumus. 3

Capitulum XIX.

Quod homo non possit salvari sine peccati satisfactione.

A. Constat deum proposuisse, ut de hominibus angelos qui ceciderant 6 restauraret.

B. Certum est.

A. Tales ergo oportet esse homines in illa civitate superna qui pro 9 angelis in illam assumentur, quales ibi futuri erant illi pro quibus ibidem erunt, id est quales nunc sunt boni angeli. Alioquin non erunt restaurati qui ceciderunt, et sequetur quia deus aut non poterit perficere bonum quod in- 12 cepit, aut paenitebit eum tantum bonum incepisse; quae duo absurda sunt.

B. Vere oportet ut aequales sint homines bonis angelis.

A. Angeli boni umquamne peccaverunt? 15

B. Non.

A. Potesne cogitare quod homo, qui aliquando peccavit nec umquam deo pro peccato satisfecit, sed tantum impunitus dimittitur, aequalis sit an- 18 gelo qui numquam peccavit?

B. Verba ista cogitare et dicere possum, sed sensum eorum ita cogitare nequeo, sicut falsitatem non possum intelligere veritatem esse. 21

A. Non ergo decet deum hominem peccantem sine satisfactione ad restaurationem angelorum assumere perditorum, quoniam veritas non patitur eum levari ad aequalitatem beatorum. 24

3 sumus] Ad c. XVIII cf. AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c. XXIX (*PL* 40,246): Ita superna Ierusalem mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum daemonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctae matris... permanebunt. Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est eius artificis, qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt (Rom. 4,17), atque in mensura et numero et pondere cuncta disponit (Sap. 11,21). — *De civitate Dei*, l. XXII, c. I (*CSEL* XXXX, pars II, p. 583; *PL* 41,752). 6 Constat] Cf. c. XVI, p. 74 s. 9-11 angeli] Cf. c. XVII, p. 75,17-20.

10 assumuntur *F* 15 A. Angeli] *hic incipit c. XIX N*

B. Sic ostendit ratio.

A. Considera etiam in solo homine, sine hoc quia debet angelis aequari, utrum eum taliter deus ad beatitudinem ullam, vel talem qualem habebat, antequam peccaret, debeat provehere.

B. Dic tu quod cogitas, et ego considerabo prout potero.

A. Ponamus divitem aliquem in manu tenere margaritam pretiosam, quam nulla umquam pollutio tetigit, et quam nullus possit alius amovere de manu eius nisi ipso permittente, et eam disponat recondere in thesaurum suum, ubi sint carissima et pretiosissima quae possidet.

B. Cogito hoc, velut ante nos sit.

A. Quid si ipse permittat eandem margaritam ab aliquo invido excuti de manu sua in caenum, cum prohibere possit, ac postea eam de caeno sumens pollutam et non lotam in aliquem suum mundum et carum locum, deinceps illam sic servaturus, recondat? Putabisne illum sapientem?

B. Quomodo hoc possum? Nam nonne melius esset satis, ut margaritam suam mundam teneret et servaret quam pollutam?

A. Nonne similiter faceret deus, qui hominem angelis sociandum sine peccato quasi in manu sua tenebat in paradiso et permisit, ut accensus invidia diabolus eum in lutum peccati quamvis consentientem deiceret – si enim prohibere vellet diabolum, non posset tentare hominem –; nonne, inquam, similiter faceret, si hominem peccati sorde maculatum sine omni lavatione, id est absque omni satisfactione, talem semper mansurum saltem in paradisum, de quo eiectus fuerat, reduceret?

B. Similitudinem si deus hoc faceret, negare non audeo, et idcirco eum hoc facere posse non annuo. Videretur enim aut quod proposuerat peragere non potuisse, aut boni propositi eum paenituisse; quae in deum cadere nequeunt.

A. Tene igitur certissime quia sine satisfactione, id est sine debiti solutione spontanea, nec deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem, vel talem qualem habebat, antequam peccaret, pervenire. Non enim hoc modo repararetur homo, vel talis qualis fuerat ante peccatum.

B. Rationibus tuis omnino contradicere non possum.

6 Ponam *F* 9 sint] sunt *T* 19 deiceret] diceret *F* 28 quia] aut *add. F*
31 reparetur *bis; secundo loco corr. in* repararetur *N*

Sed quid est quod dicimus deo: »dimitte nobis debita nostra«, et omnis gens orat deum quem credit, ut dimittat sibi peccata? Si enim solvimus quod debemus: cur oramus ut dimittat? Numquid deus iniustus est, ut iterum exigat quod solutum est? Si autem non solvimus: cur frustra oramus ut faciat, quod, quia non convenit, facere non potest?

A. Qui non solvit, frustra dicit: »dimitte«. Qui autem solvit, supplicat, quoniam hoc ipsum pertinet ad solutionem ut supplicet. Nam deus nulli quicquam debet, sed omnis creatura illi debet; et ideo non expedit homini ut agat cum deo, quemadmodum par cum pari. Sed de hoc non opus est tibi nunc respondere. Cum enim cognosces cur Christus est mortuus, forsitan per te videbis quod quaeris.

B. Sufficit ergo nunc mihi quod de hac quaestione respondes. Quod autem nullus homo ad beatitudinem pervenire queat cum peccato aut solvi a peccato, nisi solvat quod rapuit peccando, sic aperte monstrasti ut, etiam si velim, non possim dubitare.

Capitulum XX.

Quod secundum mensuram peccati oporteat esse satisfactionem, nec homo eam per se facere possit.

A. Hoc quoque non dubitabis, ut puto, quia secundum mensuram peccati oportet satisfactionem esse.

B. Aliter aliquatenus inordinatum maneret peccatum, quod esse non potest, si deus nihil relinquit inordinatum in regno suo. Sed hoc est praestitutum quia quamlibet parvum inconveniens impossibile est in deo.

A. Dic ergo: quid solves deo pro peccato tuo?

B. Paenitentiam, cor contritum et humiliatum, abstinentias et multimodos labores corporis, et misericordiam dandi et dimittendi, et oboedientiam.

A. Quid in omnibus his das deo?

B. An non honoro deum, quando propter timorem eius et amorem in cordis contritione laetitiam temporalem abicio, in abstinentiis et laboribus de-

1 nostra] Matth. 6,12. 21-22 in regno suo] Cf. c. XII, p. 69,15. 22-23 praestitutum] Cf. c. X, p. 67,1-6.

4 non solvimus] non *om.* *R* 6 Qui] Quia; qui *insert.* *R* 21 B. Aliter] *hic incip. c. XX B* 23 quamlibet] quodlibet *F*

lectationes et quietem huius vitae calco, in dando et dimittendo quae mea sunt largior, in oboedientia me ipsum illi subicio?

A. Cum reddis aliquid quod debes deo, etiam si non peccasti, non debes hoc computare pro debito quod debes pro peccato. Omnia autem ista debes deo quae dicis. Tantus namque debet esse in hac mortali vita amor, et – ad quod pertinet oratio – desiderium perveniendi ad id ad quod factus es, et dolor quia nondum ibi es, et timor ne non pervenias, ut nullam laetitiam sentire debeas, nisi de iis quae tibi aut auxilium aut spem dant perveniendi. Non enim mereris habere quod non, secundum quod est, amas et desideras, et de quo, quia nondum habes et adhuc utrum habiturus sis an non in tanto es periculo, non doles. Ad quod etiam pertinet quietem et delectationes mundanas, quae animum ab illa vera quiete et delectatione revocant, fugere, nisi quantum ad intentionem illuc perveniendi cognoscis sufficere. Dationem vero ita considerare debes te facere ex debito, sicut intelligis quia quod das non a te habes, sed ab illo, cuius servus es tu et ille cui das. Et natura te docet, ut conservo tuo, id est homo homini, facias, quod tibi ab illo vis fieri; et quia qui non vult dare quod habet, non debet accipere quod non habet. De dimissione vero breviter dico quia nullatenus pertinet ad te vindicta, sicut supra diximus; quoniam nec tu tuus es, nec ille tuus aut suus qui tibi fecit iniuriam, sed unius domini servi facti ab illo de nihilo estis; et si de conservo tuo te vindicas, iudicium quod proprium domini et iudicis omnium est, super illum superbe praesumis. In oboedientia vero quid das deo quod non debes, cui iubenti totum quod es et quod habes et quod potes debes?

B. Nihil iam audeo in omnibus his dicere me dare deo quod non debeo.

A. Quid ergo solves deo pro peccato tuo?

B. Si me ipsum et quidquid possum, etiam quando non pecco, illi debeo ne peccem, nihil habeo quod pro peccato reddam.

A. Quid ergo erit de te? Quomodo poteris salvus esse?

B. Si rationes tuas considero, non video quomodo. Si autem ad fidem meam recurro: in fide Christiana, »quae per dilectionem operatur«, spero

16-17 fieri] Cf. Matth. 7,12. 19 supra] Cf. c. XII, p. 70,2-3. 31 operatur] Gal. 5,6 (Vulg.: per caritatem).

3 Cum] Cur *F* 7 ibi nondum *F* 8 de his *MF* de is (*in rasura*) *T* Non] non *F* 9 habere] abere *N* 12 animam *T*

me posse salvari, et quia legimus: »si iniustus conversus fuerit ab iniustitia et fecerit iustitiam«, omnes iniustitias eius tradi oblivioni.

A. Hoc non dicitur nisi illis, qui aut expectaverunt Christum antequam veniret, aut credunt in eum postquam venit. Sed Christum et Christianam fidem quasi numquam fuisset posuimus, quando sola ratione, utrum adventus eius ad salvationem hominum esset necessarius, quaerere proposuimus.

B. Ita fecimus.

A. Sola igitur ratione procedamus.

B. Quamvis me in angustias quasdam ducas, desidero tamen multum ut, sicut incepisti, progrediaris.

Capitulum XXI.

Quanti ponderis sit peccatum.

A. Ponamus omnia illa quae modo posuisti te pro peccato posse solvere, te non debere, et videamus utrum possint sufficere ad satisfactionem unius tam parvi peccati, sicuti est unus aspectus contra voluntatem dei.

B. Nisi quia audio te hoc ponere in quaestionem, putarem me hoc peccatum una sola compunctione delere.

A. Nondum considerasti, quanti ponderis sit peccatum.

B. Nunc ostende mihi.

A. Si videres te in conspectu dei, et aliquis tibi diceret: aspice illuc; et deus econtra: nullatenus volo ut aspicias: quaere tu ipse in corde tuo quid sit in omnibus quae sunt, pro quo contra voluntatem dei deberes illum aspectum facere.

B. Nihil invenio propter quod hoc debeam, nisi forte sim in ea necessitate positus, ut sit necesse me aut hoc aut maius facere peccatum.

A. Remove hanc necessitatem et de solo hoc peccato considera, si possis illud facere pro te ipso redimendo.

B. Aperte video quia non possum.

1-2 iustitiam] Ezech. 18,27 (Vulg.: cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam). 2 oblivioni] Cf. ibidem, 18, 22; 33,16. 4-5 posuimus] Cf. c. X, p. 67,12-13; cf. etiam Praefationem, p. 42,11-16. 6 proposuimus] Cf. c. X, p. 67,1-6, et Praefationem, p. 42.

2 tradi] tradam *F* 8 A. Sola] *hic incipit c. XXI R*

A. Ne te diutius protraham: quid si necesse esset aut totum mundum et quidquid deus non est perire et in nihilum redigi, aut te facere tam parvam rem contra voluntatem dei?

B. Cum considero actionem ipsam, levissimum quiddam video esse; sed cum intueor quid sit contra voluntatem dei, gravissimum quiddam et nulli damno comparabile intelligo. Sed solemus aliquando facere contra voluntatem alicuius non reprehensibiliter, ut res eius serventur, quod postea illi placet contra cuius voluntatem facimus.

A. Hoc fit homini qui aliquando non intelligit quid sibi sit utile, aut non potest quod perdit restaurare; sed deus nullo indiget et omnia si perirent posset, sicut ea fecit, restituere.

B. Fateri me necesse est quia pro conservanda tota creatura nihil deberem facere contra voluntatem dei.

A. Quid si plures essent mundi pleni creaturis, sicut iste est?

B. Si infinito numero multiplicarentur et similiter mihi obtenderentur, id ipsum responderem.

A. Nihil rectius potes.

Sed considera etiam, si contingeret, ut contra voluntatem dei illum aspectum faceres, quid posses pro hoc peccato solvere.

B. Non habeo aliquid maius quam quod supra dixi.

A. Sic graviter peccamus, quotienscumque scienter aliquid quamlibet parvum contra voluntatem dei facimus, quoniam semper sumus in conspectu eius, et semper ipse praecipit nobis ne peccemus.

B. Ut audio, nimis periculose vivimus.

A. Patet quia secundum quantitatem peccati exigit deus satisfactionem.

B. Non possum negare.

A. Non ergo satisfacis, si non reddis aliquid maius, quam sit id pro quo peccatum facere non debueras.

B. Et rationem video sic exigere, et omnino esse impossibile.

A. Nec deus ullum obligatum aliquatenus debito peccati assumere potest ad beatitudinem, quia non debet.

B. Nimis est gravis haec sententia.

20 supra] In c. praecedente, p. 86,25-26.

6 contra voluntatem alicuius facere *F* 12 nihil] nil *BN* 18 Sed] sed *F* 21 Sic] Sed *N*

Capitulum XXII.

Quam contumeliam fecit homo deo, cum se permisit vinci a diabolo, pro qua satisfacere non potest.

A. Audi adhuc aliud, cur non minus sit difficile hominem reconciliari deo.

B. Nisi fides me consolaretur, hoc solum me cogeret desperare.

A. Audi tamen.

B. Dic.

A. Homo in paradiso sine peccato factus quasi positus est pro deo inter deum et diabolum, ut vinceret diabolum non consentiendo suadenti peccatum, ad excusationem et honorem dei et ad confusionem diaboli, cum ille infirmior in terra non peccaret eodem diabolo suadente, qui fortior peccavit in caelo nullo suadente. Et cum hoc facile posset efficere, nulla vi coactus sola se suasione sponte vinci permisit ad voluntatem diaboli et contra voluntatem et honorem dei.

B. Ad quid vis tendere?

A. Iudica tu ipse, si non est contra honorem dei, ut homo reconcilietur illi cum calumnia huius contumeliae deo irrogatae, nisi prius honoraverit deum vincendo diabolum, sicut illum inhonoravit victus a diabolo. Victoria vero talis debet esse, ut sicut fortis ac potestate immortalis consensit facile diabolo ut peccaret, unde iuste incurrit poenam mortalitatis, ita infirmus et mortalis, qualem ipse se fecit, per mortis difficultatem vincat diabolum ut nullo modo peccet. Quod facere non potest, quamdiu ex vulnere primi peccati concipitur et nascitur in peccato.

B. Iterum dico quia et ratio probat quod dicis, et impossibile est.

Capitulum XXIII.

Quid abstulit deo cum peccavit, quod reddere nequit.

A. Adhuc accipe unum sine quo iuste non reconciliatur homo, nec minus impossibile.

24 in peccato] Cf. Ps. 50,7.

6 cogeret me *RD* 22 vinceret *corr. ex* vincat *N*

B. Tot iam proposuisti nobis quae facere debemus, ut quidquid superaddas non me magis terrere possit.

A. Audi tamen.

B. Audio.

A. Quid abstulit homo deo, cum vinci se permisit a diabolo?

B. Dic tu, ut incepisti, quia ego nescio quid super haec mala quae ostendisti potuit addere.

A. Nonne abstulit deo, quidquid de humana natura facere proposuerat?

B. Non potest negari.

A. Intende in districtam iustitiam, et iudica secundum illam, utrum ad aequalitatem peccati homo satisfaciat deo, nisi id ipsum quod permittendo se vinci a diabolo deo abstulit, diabolum vincendo restituat; ut quemadmodum per hoc quod victus est, rapuit diabolus quod dei erat et deus perdidit, ita per hoc quod vincat, perdat diabolus et deus recuperet.

B. Nec districtius nec iustius potest aliquid cogitari.

A. Putasne summam iustitiam hanc iustitiam posse violare?

B. Non audeo cogitare.

A. Nullatenus ergo debet aut potest accipere homo a deo quod deus illi dare proposuit, si non reddit deo totum quod illi abstulit; ut sicut per illum deus perdidit, ita per illum recuperet. Quod non aliter fieri valet nisi ut, quemadmodum per victum tota humana corrupta et quasi fermentata est peccato, cum quo nullum deus assumit ad perficiendam illam civitatem caelestem, ita per vincentem iustificentur a peccato tot homines quot illum numerum completuri erant, ad quem complendum factus est homo. Sed hoc facere nullatenus potest peccator homo, quia peccator peccatorem iustificare nequit.

B. Et nihil iustius et nihil impossibilius. Sed ex his omnibus videtur misericordia dei et spes hominis perire, quantum ad beatitudinem spectat, ad quam factus est homo.

8 proposuerat] Cf. c. XVI, p. 74, 12-13.

1 B. Tot iam] *hic incipit c. XXIII B*

Capitulum XXIV.

Quod quamdiu non reddit deo quod debet, non possit esse beatus nec excusetur impotentia.

A. Expecta adhuc parum.

B. Quid habes amplius?

A. Si homo dicitur iniustus, qui homini non reddit quod debet: multo magis iniustus est, qui deo quod debet non reddit.

B. Si potest et non reddit, vere iniustus est. Si vero non potest: quomodo iniustus est?

A. Forsitan si nulla est in illo causa impotentiae, aliquatenus excusari potest. Sed si in ipsa impotentia culpa est: sicut non levigat peccatum, ita non excusat non reddentem debitum. Nam si quis iniungat opus aliquod servo suo, et praecipiat illi ne se deiciat in foveam quam illi monstrat, unde nullatenus exire possit, et servus ille contemnens mandatum et monitionem domini sui sponte se in monstratam mittat foveam, ut nullatenus possit opus iniunctum efficere: putasne illi aliquatenus impotentiam istam ad excusationem valere, cur opus iniunctum non faciat?

B. Nullo modo, sed potius ad augmentum culpae, quoniam ipse impotentiam illam sibi fecit. Dupliciter namque peccavit, quia et quod iussus est facere non fecit, et quod praeceptum est ne faceret fecit.

A. Ita homo, qui se sponte obligavit illo debito quod solvere non potest, et sua culpa deiecit se in hanc impotentiam, ut nec illud possit solvere quod debebat ante peccatum, id est ne peccaret, nec hoc quod debet, quia peccavit, inexcusabilis est. Ipsa namque impotentia culpa est, quia non debet eam habere, immo debet eam non habere. Nam sicut culpa est non habere quod habere debet, ita culpa est habere quod debet non habere. Sicut igitur culpa est homini non habere postestatem illam, quam accepit ut posset cavere peccatum, sic culpa est illi habere impotentiam, qua nec iustitiam tenere et peccatum cavere, nec quod pro peccato debet reddere potest. Sponte namque fecit, unde perdidit illam potestatem et devenit in hanc impotentiam. Idem enim est non habere potestatem quam debet habere, et habere impotentiam quam debet non habere. Quapropter impotentia red-

6 A. Si] *hic incipit c. XXIV N* 10 causa] culpa *N* 23 nec] ne *M* 29 et peccatum] nec peccatum *corr. ex* et pecc. (*ab alia manu?*) *D*

dendi deo quod debet, quae facit ut non reddat, non excusat hominem, si non reddit; quoniam effectum peccati non excusat peccatum quod facit.

B. Et grave nimis est, et ita esse necesse est.

A. Iniustus ergo est homo, qui non reddit deo quod debet.

B. Nimis est verum. Nam iniustus est, quia non reddit, et iniustus est, quia reddere nequit.

A. Nullus autem iniustus admittetur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia in qua nulla est indigentia, sic nulli convenit, nisi in quo ita pura est iustitia, ut nulla in eo sit iniustitia.

B. Non audeo aliter credere.

A. Qui ergo non solvit deo quod debet, non poterit esse beatus.

B. Nec hoc consequi negare possum.

A. Quod si vis dicere: misericors deus dimittit supplicanti quod debet, idcirco quia reddere nequit: non potest dici dimittere, nisi aut hoc quod homo sponte reddere debet nec potest, id est quod recompensari possit peccato, quod fieri non deberet pro conservatione omnis rei quae deus non est; aut hoc quod puniendo ablaturus erat invito, sicut supra dixi, id est beatitudinem. Sed si dimittit quod sponte reddere debet homo, ideo quia reddere non potest, quid est aliud quam: dimittit deus quod habere non potest? Sed derisio est, ut talis misericordia deo attribuatur. At si dimittit quod invito erat ablaturus, propter impotentiam reddendi quod sponte reddere debet: relaxat deus poenam et facit beatum hominem propter peccatum, quia habet quod debet non habere. Nam ipsam impotentiam debet non habere, et idcirco, quamdiu illam habet sine satisfactione, peccatum est illi. Verum huiusmodi misericordia dei nimis est contraria iustitiae illius, quae non nisi poenam permittit reddi propter peccatum. Quapropter quemadmodum deum sibi esse contrarium, ita hoc modo illum esse misericordem impossibile est.

B. Aliam misericordiam dei video esse quaerendam quam istam.

A. Verum esto: dimittit deus ei, qui non solvit quod debet, idcirco, quoniam non potest.

8 indigentia] Cf. BOETHIUS, *De consolat. philosophiae*, l. III, prosa II (*CSEL* LXVII, p. 49; *PL* 63,726 s.): Atqui non est aliud, quod aeque perficere beatitudinem possit quam copiosus bonorum omnium status nec alieni egens, sed sibi ipse sufficiens. 16-17 non est] Cf. c. XXI, p. 88 s. 17 supra] Cf. c. XIV, p. 72,16-18.

9 sit in eo *RD* 29 dei misericordiam *RD*

B. Ita vellem.

A. At quamdiu non reddet, aut volet reddere aut non volet. Sed si volet quod non poterit, indigens erit. Si vero non volet, iniustus erit.

B. Hoc nihil clarius.

A. Sive autem indigens sive iniustus sit, beatus non erit.

B. Et hoc apertum.

A. Quamdiu ergo non reddet, beatus esse non poterit.

B. Si rationem sequitur deus iustitiae, non est qua evadat miser homuncio, et misericordia dei perire videtur.

A. Rationem postulasti, rationem accipe. Misericordem deum esse non nego, qui »homines et iumenta« salvat, »quemadmodum« multiplicavit »misericordiam« suam. Nos autem loquimur de illa ultima misericordia, qua post hanc vitam beatum facit hominem. Hanc beatitudinem nulli dari debere nisi illi, cui penitus dimissa sunt peccata, nec hanc dimissionem fieri nisi debito reddito, quod debetur pro peccato secundum magnitudinem peccati, supra positis rationibus puto me sufficienter ostendisse. Quibus si quid tibi videtur posse rationibus obici, dicere debes.

B. Ego utique nullam tuarum rationum aliquatenus infirmari posse video.

A. Neque ego, si bene considerentur, existimo. Verumtamen, si vel una de omnibus quas posui inexpugnabili veritate roboratur, sufficere debet. Sive namque uno sive pluribus argumentis veritas inexpugnabiliter monstretur, aequaliter ab omni dubitatione defenditur.

B. Ecce ita est.

Capitulum XXV.

Quod ex necessitate per Christum salvetur homo.

Quomodo ergo salvus erit homo, si ipse nec solvit quod debet, nec salvari, si non solvit, debet? Aut qua fronte asseremus deum in misericordia divitem supra intellectum humanum, hanc misericordiam facere non posse?

11-12 misericordiam suam] Cf. Ps. 35,7-8. 15-16 supra positis rationibus] Cf. cc. XIX et XX, p. 84 ss. 27-28 divitem] Cf. Eph. 2,4: Deus autem, qui dives est in misericordia.

7 igitur] ergo *T* 8 miser evadat *RD* 9 videatur *N* 13 dare *F* 14 nec] ne *M* 27 debet] debetur *N*

A. Hoc debes ab illis nunc exigere, qui Christum non esse credunt necessarium ad illam salutem hominis, quorum vice loqueris, ut dicant qualiter homo salvari possit sine Christo. Quod si non possunt ullo modo, desinant nos irridere, et accedant et iungant se nobis, qui non dubitamus hominem per Christum posse salvari, aut desperent hoc ullo modo fieri posse. Quod si horrent, credant nobiscum in Christum, ut possint salvari.

B. A te quaeram, sicut incepi, ut ostendas mihi qua ratione salvetur homo per Christum.

A. Nonne sufficienter probatur per Christum hominem posse salvari, cum etiam infideles non negent hominem ullo modo fieri posse beatum, et satis ostensum sit quia, si ponimus Christum non esse, nullo modo potest inveniri salus hominis? Aut enim per Christum, aut alio aliquo, aut nullo modo poterit homo salvus esse. Quapropter si falsum est quia nullo aut alio aliquo modo potest hoc esse, necesse est fieri per Christum.

B. Si quis videns rationem, quia alio modo non potest esse, et non intelligens qua ratione per Christum esse valeat, asserere velit quia nec per Christum nec ullo modo queat hoc esse: quid huic respondebimus?

A. Quid respondendum est illi, qui idcirco astruit esse impossibile quod necesse est esse, quia nescit quomodo sit?

B. Quia insipiens est.

A. Ergo contemnendum est quod dicit.

B. Verum est. Sed hoc ipsum est illi ostendendum, qua ratione sit quod putat impossibile.

A. An non intelligis ex iis quae supra diximus, quia necesse est aliquos homines ad beatitudinem pervenire? Nam si deo inconveniens est hominem cum aliqua macula perducere ad hoc, ad quod illum sine omni macula fecit, ne aut boni incepti paenitere aut propositum implere non posse videatur: multo magis propter eandem inconvenientiam impossibile est nullum hominem ad hoc provehi ad quod factus est. Quapropter aut extra fidem Christianam invenienda est peccati satisfactio, qualem supra esse debere osten-

24 supra] Cf. c. XVI, p. 74 s. 25-29 factus est] Cf. c. IV, p. 52,7-11. 30 supra] Cf. cc. XIX, et XX, p. 84 ss.

1 A. Hoc] *hic incip. c. XXV N* nunc ab illis *RD* 2 ad illam] ad illa *T* 6 credant — salvari] *ab alia manu hoc modo mutatum:* credant nobiscum, ut in Christum credant, hortamur, ut possint salvari *M* 7 B. A te] *hic incip. c. XXV R* 15 alio modo] aliquo modo *N* 18 Quid] quid *R* 24 ex his *MF*

dimus – quod ratio nulla potest ostendere –, aut indubitanter in illa esse credenda est. Quod enim necessaria ratione veraciter esse colligitur, id in nullam deduci debet dubitationem, etiam si ratio quomodo sit non percipitur.

B. Verum est quod dicis.

A. Quid ergo quaeris amplius?

B. Non ad hoc veni ut auferas mihi fidei dubitationem, sed ut ostendas mihi certitudinis meae rationem. Quapropter sicut me rationabiliter deduxisti ad hoc, ut videam peccatorem hominem hoc debere deo pro peccato quod et reddere nequit, et nisi reddiderit salvari non valet: ita me volo perducas illuc, ut rationabili necessitate intelligam esse oportere omnia illa, quae nobis fides catholica de Christo credere praecipit, si salvari volumus; et quomodo valeant ad salutem hominis; et qualiter deus misericordia salvet hominem, cum peccatum non dimittat illi, nisi reddiderit quod propter illud debet. Et ut certiores sint argumentationes tuae, sic a longe incipe, ut eas super firmum fundamentum constituas.

A. Adiuvet me nunc deus, quia tu nullatenus mihi parcis nec consideras imbecillitatem scientiae meae, cui tam magnum opus iniungis. Tentabo tamen, quandoquidem incepi, non in me sed in deo confidens, et faciam quod ipso adiuvante potero. Sed ne fastidium haec volenti legere nimis longa continuatione generetur, a dictis dicenda alio exordio distinguamus.

2-3 percipitur] Cf. *Monologion*, c. LXIV, vol. I, p. 75,1-3. 10-11 volumus] Cf. l. II,cc. V-XVIII. 11-12 hominis] Cf. l. II, c. XIX. 12-13 debet] Cf. l. II, c. XX. 13-15 constituas] Cf. l. II, cc. I-IV.

3 ratio] *in marg.* (*ab alia manu?*) ratione *R* 13 reddiderit] scilicet homo *superscript. D* 20 distinguamus] *add.* EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT SECUNDUS *B* *idem in litt. minusc. N* EXPLICIT LIBER PRIMUS *R* Incip. lib. II. anselmi cantuar. arch. non posse fieri hominem beatum nisi per hominem deum *R ab alia manu D* *sine* Explicit et Incipit *DTF*

Liber secundus.

Capitulum I.

Hominem factum esse iustum ut beatus esset.

Rationalem naturam a deo factam esse iustam, ut illo fruendo beata esset, dubitari non debet. Ideo namque rationalis est, ut discernat inter iustum et iniustum, et inter bonum et malum, et inter magis bonum et minus bonum. Alioquin frustra facta esset rationalis. Sed deus non fecit eam rationalem frustra. Quare ad hoc eam factam esse rationalem dubium non est. Simili ratione probatur quia ad hoc accepit potestatem discernendi, ut odisset et vitaret malum, ac amaret et eligeret bonum, atque magis bonum magis amaret et eligeret. Aliter namque frustra illi deus dedisset potestatem istam discernendi, quia in vanum discerneret, si secundum discretionem non amaret et vitaret. Sed non convenit ut deus tantam potestatem frustra dederit. Ad hoc itaque factam esse rationalem naturam certum est, ut summum bonum super omnia amaret et eligeret, non propter aliud, sed propter ipsum. Si enim propter aliud, non ipsum sed aliud amat. At hoc nisi iusta facere nequit. Ut igitur frustra non sit rationalis, simul ad hoc rationalis et iusta facta est. Quod si ad summum bonum eligendum et amandum iusta facta est, aut talis ad hoc facta est, ut aliquando assequeretur quod amaret et eligeret, aut non. Sed si ad hoc iusta non est facta, ut quod sic amat et eligit assequatur, frustra facta est talis, ut sic illud amet et eligat, nec ulla erit ratio cur illud assequi debeat aliquando. Quamdiu ergo amando et

4-5 debet] Cf. l. I, c. IX, p. 13,38-39. 5-16 amat] Cf. *Monologion*, c. LXVIII, vol. I, p. 78 s.

4 Rationalem] A. *anteponit D* Anselmus *inserunt BM*

eligendo summum bonum iusta faciet, ad quod facta est, misera erit, quia indigens erit contra voluntatem, non habendo quod desiderat; quod nimis absurdum est. Quapropter rationalis natura iusta facta est, ut summo bono, id est deo, fruendo beata esset. Homo ergo qui rationalis natura est, factus est iustus ad hoc, ut deo fruendo beatus esset.

Capitulum II.

Quod non moreretur, si non peccasset.

Quod autem talis factus sit, ut necessitate non moreretur, hinc facile probatur quia, ut iam diximus, sapientiae et iustitiae dei repugnat, ut cogeret mortem pati sine culpa, quem iustum ad aeternam fecit beatitudinem. Sequitur ergo quia, si numquam peccasset, numquam moreretur.

Capitulum III.

Quod cum corpore, in quo vivit in hac vita, resurgat.

Unde aperte quandoque futura resurrectio mortuorum probatur. Quippe si homo perfecte restaurandus est, talis debet restitui, qualis futurus erat, si non peccasset.

B. Aliter esse non potest.

A. Quemadmodum igitur, si non peccasset homo, cum eodem quod gerebat corpore in incorruptibilitatem transmutandus erat, ita oportet, ut cum restaurabitur, cum suo in quo vivit in hac vita corpore restauretur.

B. Quid respondebimus, si quis dicat quia hoc fieri oportet de illis in quibus humanum genus restaurabitur, de reprobis vero non est necesse?

A. Nihil iustius aut convenientius intelligitur quam ut, sicut homo, si perseverasset in iustitia, totus, id est anima et corpore, aeterne beatus esset, ita si perseverat in iniustitia, totus similiter aeterne miser sit.

B. Breviter mihi de his satisfecisti.

97,18-98,5 esset] Cf. *Cur deus homo*, c. LXIX, vol. I, p. 79 s. 9 diximus] Cf. l. I, c. IX, p. 61,25-62,4. 11 moreretur] Ad c. II cf. *Monologion*, c. LXIX, p. 79 s. 14-16 peccasset] Cf. l. I, c. XIX, p. 85,29-31. 18-19 transmutandus erat] Cf. I. I, c. XVIII, p. 80,10-13.

1 iusta] iuxta *F* 18 A. Quemadmodum] *hic incipit c. III N*

Capitulum IV.

Quod de humana natura perficiet deus quod incepit.

A. Ex his est facile cognoscere quoniam aut hoc de humana perficiet deus natura quod incepit, aut in vanum fecit tam sublimem naturam ad tantum bonum. At si nihil pretiosius cognoscitur deus fecisse quam rationalem naturam ad gaudendum de se, valde alienum est ab eo, ut ullam rationalem naturam penitus perire sinat.

B. Non potest aliter putare cor rationale.

A. Necesse est ergo, ut de humana natura quod incepit perficiat. Hoc autem fieri, sicut diximus, nequit, nisi per integram peccati satisfactionem, quam nullus peccator facere potest.

B. Intelligo iam necesse esse, ut deus faciat quod incepit, ne aliter quam deceat videatur a suo incepto deficere.

Capitulum V.

Quod quamvis hoc necesse sit fieri, tamen non hoc faciet cogente necessitate; et quod sit necessitas quae aufert gratiam aut minuit, et sit necessitas quae auget.

Sed si ita est, videtur quasi cogi deus necessitate vitandi indecentiam, ut salutem procuret humanam. Quomodo ergo negari poterit plus hoc propter se facere quam propter nos? Aut si ita est: quam gratiam illi debemus pro eo quod facit propter se? Quomodo etiam imputabimus nostram salutem eius gratiae, si nos salvat necessitate?

A. Est necessitas quae benefacienti gratiam aufert aut minuit, et est necessitas qua maior beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis ea necessi-

3-7 sinat] Cf. l. I, c. IV, p. 52,7-11. 10 diximus] Cf. l. I, c. XIX, p. 84 ss. 13 deficere] Ad c. IV cf. IRENAEUS, *Contra haeres.*, l. III, c. 23, n. 1 (*PG* 7,960): Necesse ergo fuit Dominum ad perditam ovem venientem et tantae dispositionis recapitulationem facientem et suum plasma requirentem, illum ipsum hominem salvare, qui factus fuerat secundum imaginem et similitudinem eius, i. e. Adam...; quoniam et omnis dispositio salutis quae circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, uti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars eius. Si enim qui factus fuerat a Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam laesus serpente qui depravaverat eum, iam non reverteretur ad vitam, sed in totum proiectus esset morti, victus esset Deus, et superasset serpentis nequitia voluntatem Dei.

21 facit] fecit *MRDF; Trecenses 750 et 752*

tate cui subiacet, invitus bene facit, aut nulla aut minor illi gratia debetur. Cum vero ipse sponte se necessitati benefaciendi subdit nec invitus eam sustinet, tunc utique maiorem beneficii gratiam meretur. Non enim haec est dicenda necessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscepit aut servat, sed gratis. Nam si quod hodie sponte promittis cras te daturum, eadem cras voluntate das, quamvis necesse sit te cras reddere promissum, si potes, aut mentiri: non tamen minus tibi debet ille pro impenso beneficio cui das, quam si non promisisses, quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es cunctatus. Tale est, cum quis sanctae conversationis sponte vovet propositum. Quamvis namque servare illud ex necessitate post votum debeat, ne apostatae damnationem incurrat, et licet cogi possit servare, si nolit: si tamen non invitus servat quod vovit, non minus sed magis gratus est deo, quam si non vovisset; quoniam non solum communem vitam, sed etiam eius licentiam sibi propter deum abnegavit, nec sancte vivere dicendus est necessitate, sed eadem qua vovit libertate.

Quare multo magis, si deus facit bonum homini quod incepit, licet non deceat eum a bono incepto deficere, totum gratiae debemus imputare, quia hoc propter nos, non propter se nullius egens incepit. Non enim illum latuit quid homo facturus erat, cum illum fecit, et tamen bonitate sua illum creando sponte se ut perficeret inceptum bonum quasi obligavit. Denique deus nihil facit necessitate, quia nullo modo cogitur aut prohibetur facere aliquid; et cum dicimus deum aliquid facere quasi necessitate vitandi inhonestatem, quam utique non timet, potius intelligendum est quia hoc facit necessitate servandae honestatis. Quae scilicet necessitas non est aliud quam immutabilitas honestatis eius, quam a se ipso et non ab alio habet, et idcirco improprie dicitur necessitas. Dicamus tamen quia necesse est, ut bonitas dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine quod incepit, quamvis totum sit gratia bonum quod facit.

B. Concedo.

18-20 obligavit] Cf. AUGUSTINUS, *De catechizandis rudibus*, c. XVIII, n. 30 (*PL* 40,332): Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccaturum praenosceret, cum et stantem coronaret, et cadentem ordinaret, et surgentem adiuvaret, semper et ubique ipse gloriosus bonitate, iustitia, clementia? maxime quia et illud praesciebat, de propagine mortalitatis eius futuros sanctos, qui... cum Angelis sanctis semper vivere et beate vivere mererentur?

4 illam] eam *N* 6 voluntate cras *F*

Capitulum VI.

Quod satisfactionem per quam salvatur homo, non possit facere nisi deus-homo.

A. Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui solvat deo pro peccato hominis aliquid maius quam omne quod praeter deum est.

B. Ita constat.

A. Illum quoque qui de suo poterit deo dare aliquid, quod superet omne quod sub deo est, maiorem esse necesse est quam omne quod non est deus.

B. Nequeo negare.

A. Nihil autem est supra omne quod deus non est, nisi deus.

B. Verum est.

A. Non ergo potest hanc satisfactionem facere nisi deus.

B. Sic sequitur.

A. Sed nec facere illam debet nisi homo. Alioquin non satisfacit homo.

B. Non videtur aliquid iustius.

A. Si ergo, sicut constat, necesse est ut de hominibus perficiatur illa superna civitas, nec hoc esse valet, nisi fiat praedicta satisfactio, quam nec potest facere nisi deus nec debet nisi homo: necesse est ut eam faciat deus-homo.

B. »Benedictus deus«, iam magnum quiddam invenimus de hoc quod quaerimus. Prosequere igitur, ut incepisti. Spero enim quia deus nos adiuvabit.

Capitulum VII.

Quod necesse sit eundum ipsum esse perfectum deum et perfectum hominem.

A. Investigandum nunc est quomodo esse possit deus-homo. Divina enim natura et humana non possunt in invicem mutari, ut divina fiat humana aut humana divina; nec ita misceri ut quaedam tertia sit ex duabus,

5 constat] Cf. l. I, c. XXI, p. 88 s. 14 homo] Cf. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* LXIII, n. 13 (*PL* 36,766): Accessit ergo homo ad illas omnes passiones, quae in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. 16 constat] Cf. l. I, c. XVI, p. 74 s., et c. XIX, p. 84 ss. 20 Benedictus deus] Ps. 65,20; et passim. 21 adiuvabit] Ad c. VI cf. LEO MAGNUS, *Sermo* LVI, c. I (*PL* 54,326 s.).

4 quam] et *insert D* 13 Sic *om. M* 16 Si ergo sicut] Sicut ergo *R* 24 possit esse *RDT*

quae nec divina sit omnino nec humana. Denique si fieri posset ut altera in alteram converteretur, aut esset tantum deus et non homo, aut solum homo et non deus. Aut si miscerentur ita, ut fieret ex duabus corruptis quaedam tertia – quemadmodum de duobus individuis animalibus diversarum specierum masculo et femina nascitur tertium, quod nec patris integram nec matris servat naturam, sed ex utraque tertiam mixtam –: nec homo esset nec deus. Non igitur potest fieri homo-deus quem quaerimus, ex divina et humana natura, aut conversione alterius in alteram, aut corruptiva commixtione utriusque in tertiam, quia haec fieri nequeunt; aut si fieri valerent, nihil ad hoc quod quaerimus valerent.

Si autem ita quolibet modo coniungi dicuntur hae duae naturae integrae, ut tamen alius sit homo, alius deus, et non idem sit deus qui et homo: impossibile est, ut ambo faciant quod fieri necesse est. Nam deus non faciet, quia non debebit ; et homo non faciet, quia non poterit. Ut ergo hoc faciat deus-homo, necesse est eundem ipsum esse perfectum deum et perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturus est; quoniam eam facere nec potest nisi verus deus, nec debet nisi verus homo. Quoniam ergo servata integritate utriusque naturae necesse est inveniri deum-hominem, non minus est necesse has duas naturas integras conveniri in unam personam – quemadmodum corpus et anima rationalis conveniunt in unum hominem –, quoniam aliter fieri nequit, ut idem ipse sit perfectus deus et perfectus homo.

B. Totum mihi placet quod dicis.

Capitulum VIII.

Quod ex genere ADAE et de virgine-femina deum oporteat assumere hominem.

A. Restat nunc quaerere unde et quomodo assumet deus humanam naturam. Aut enim assumet eam de ADAM, aut faciet novum hominem, quemadmodum fecit ADAM de nullo alio homine. Sed si novum hominem facit non ex ADAE genere, non pertinebit ad genus humanum quod natum est de ADAM. Quare non debebit satisfacere pro eo, quia non erit de illo.

27-28 homine] Cf. l. I, c. V, p. 52,16-18.

3 Aut] aut *T* 7 ex divina et] et *erasum R* 12 alius sit deus *RD* 19 integras *om. T*

Sicut enim rectum est, ut pro culpa hominis homo satisfaciat, ita necesse est, ut satisfaciens idem sit qui peccator aut eiusdem generis. Aliter namque nec ADAM nec genus eius satisfaciet pro se. Ergo sicut de ADAM et EVA peccatum in omnes homines propagatum est, ita nullus nisi vel ipsi vel qui de illis nascitur, pro peccato hominum satisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeunt, necesse est, ut de illis sit qui hoc faciet.

Amplius. Sicut ADAM et totum genus eius per se stetisset sine sustentatione alterius creaturae, si non peccasset: ita oportet ut, si idem genus resurgit post casum, per se resurgat et relevetur. Nam per quemcumque in statum suum restituatur: per illum utique stabit, per quem statum suum recuperabit. Deus etiam quando humanam naturam primitus fecit in solo ADAM, nec feminam, ut de utroque sexu multiplicarentur homines, facere voluit nisi de ipso, aperte monstravit se non nisi de ADAM voluisse facere, quod de natura humana facturus erat. Quapropter si genus ADAE per aliquem relevatur hominem qui non sit de eodem genere: non in illam dignitatem, quam habiturum erat, si non peccasset ADAM. et ideo non integre restaurabitur et dei propositum deficere videbitur; quae duo inconvenientia sunt. Ergo necesse est ut de ADAM assumatur homo, per quem restaurandum est genus ADAE.

B. Si rationem sequimur, sicut proposuimus, hoc inevitabiliter oportet esse.

A. Investigemus nunc utrum assumenda sit a deo natura hominis de patre et matre, sicut alii sunt homines, aut de viro sine femina, aut de femina sine viro. Nam quocumque modo ex his tribus modis sit: de ADAM et de EVA erit, de quibus est omnis homo utriusque sexus; nec aliquis modus ex tribus istis facilior est deo quam alii, ut eo modo potius debeat assumi.

B. Bene procedis.

A. Verum non est opus multo labore, ut ostendatur quia mundius et honestius procreabitur homo ille de solo viro vel femina, quam de commixtione utriusque, sicut omnes alii filii hominum.

B. Sufficit.

7-19 ADAE] Cf. *ibid.*, p. 52,19-24.

5 de illis] de ipsis *R* 12 multiplicaretur *T* 16 habiturum] scilicet genus *superscript. D* 24 et de EVA] de *om. RD* 25 alius *corr. ex* alii *M* 30 hominum filii *RD*

A. Aut ergo de solo viro aut de sola femina assumendus est.

B. Aliunde non potest.

A. Quatuor modis potest deus hominem facere. Videlicet aut de viro et femina, sicut assiduus monstrat usus; aut nec de viro nec de femina, sicut creavit ADAM; aut de viro sine femina, sicut fecit EVAM; aut de femina sine viro, quod nondum fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet suae subiacere potestati et ad hoc ipsum opus dilatum esse, nil convenientius, quam ut de femina sine viro assumat illum hominem quem quaerimus. Utrum autem de virgine aut de non-virgine dignius hoc fiat, non est opus disputare, sed sine omni dubitatione asserendum est quia de virgine deum-hominem nasci oportet.

B. Secundum placitum cordis mei loqueris.

A. Estne hoc solidum quod diximus, aut vanum aliquid sicut nubes, quod dixisti nobis infideles obicere?

B. Nihil solidius.

A. Pinge igitur non super fictam vanitatem, sed super solidam veritatem, et dic quia valde convenit ut, quemadmodum hominis peccatum et causa nostrae damnationis principium sumpsit a femina, ita medicina peccati et causa nostrae salvationis nascatur de femina. Ac ne mulieres desperent se pertinere ad sortem beatorum, quoniam de femina tantum malum processit, oportet ut ad reformandam spem earum de muliere tantum bonum procedat. Pinge et hoc: Si virgo erat quae causa fuit humano generi totius mali, multo magis decet, ut virgo sit quae causa erit totius boni. Hoc quoque pinge: Si mulier quam fecit deus de viro sine femina, facta est de virgine, convenit valde ut vir quoque, qui fiet de femina sine viro, fiat de virgine. Sed de picturis quae pingi possunt super hoc, quia deus-homo de virgine-muliere nasci debet, ista nunc sufficiant.

B. Valde pulchrae et rationabiles sunt istae picturae.

8-11 oportet] Cf. TERTULLIANUS, *De carne Christi*, c. XVII (*PL* 2,827): Ante omnia autem commendanda erit ratio quae praefuit, ut Dei Filius de virgine nasceretur. 14 dixisti] Cf. l. I, c. IV, p. 51 s. 16-19 de femina] Cf. l. I, c. III, p. 51,7-9. 28 picturae] Ad c. VIII cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XIII, c. XVIII (*PL* 42, 1032 s.). — LEO MAGNUS, *Sermo* XXII, c. II (*PL* 54,195): Nova autem nativi-

7 nil] nihil *T* 10 sed] Sed *R* 16 igitur] ergo *R* 23 Hoc] hoc *N* quoque] igitur *F* 24 de virgine] scilicet virgo *superscript. D* 25 de virgine] scilicet matre *superscript. D*

Capitulum IX.

Quod necesse sit verbum solum et hominem in unam convenire personam.

A. Nunc quoque quaerendum est in qua persona deus, qui est tres personae, hominem assumat. Plures enim personae nequeunt unum eundemque hominem assumere in unitatem personae. Quare in una tantum persona hoc fieri necesse est. Sed de hac unitate personae dei et hominis, et in qua persona dei hoc magis fieri oporteat, in epistola *De incarnatione verbi* ad domnum papam URBANUM directa, quantum ad praesentem investigationem sufficere puto, locutus sum.

B. Breviter tamen hic tange, cur potius filii persona debeat incarnari, quam patris aut spiritus sancti.

A. Si quaelibet alia persona incarnetur, erunt duo filii in trinitate, filius scilicet dei, qui et ante incarnationem filius est, et ille qui per incarnationem filius erit virginis; et erit in personis, quae semper aequales esse debent, inaequalitas secundum dignitatem nativitatum. Digniorem namque nativitatem habebit natus ex deo quam natus ex virgine. Item si pater fuerit incarnatus, erunt duo nepotes in trinitate, quia pater erit nepos parentum virginis per hominem assumptum; et verbum, cum nihil habeat de homine, nepos tamen erit virginis, quia filii eius erit filius. Quae omnia inconvenientia sunt, nec in incarnatione verbi contingunt. Est et aliud cur magis conveniat incarnari filio quam aliis personis: quia convenientius sonat filium supplicare patri quam aliam personam alii. Item. Homo pro quo erat oraturus, et diabolus quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem dei per propriam voluntatem praesumpserant. Unde quasi specialius adversus personam filii peccaverant, qui vera patris similitudo creditur. Illi itaque cui specialius fit iniuria, convenientius attribuitur culpae vindicta aut indulgentia. Quapropter cum nos ratio

tate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret. 6-9 locutus sum] Cf. Opusculum praecedens; imprimis n. VI-XI, p. 20 ss. 25 similitudo] Cf. 2 Cor. 4,4: qui est imago Dei. — Col. 1,15: qui est imago Dei invisibilis.

4 eundemque] eundem *M* 19 filii eius] scilicet virginis *superscript. D* 20 in incarnatione] in *om. R* 26 vindicta] scilicet in diabolum et hominem *superscript. D* aut indulgentia] scilicet tantum in hominem *superscript. D*

inevitabilis perduxerit ad hoc, ut necesse sit divinam et humanam naturam in unam convenire personam, nec hoc fieri possit in pluribus personis dei, et hoc convenientius fieri pateat in persona verbi quam in aliis: necesse est verbum deum et hominem in unam convenire personam.

B. Sic est via qua me ducis, undique munita ratione, ut neque ad dexteram neque ad sinistram videam ab illa me posse declinare.

A. Non ego te duco, sed ille de quo loquimur, sine quo nihil possumus, nos ducit ubicumque viam veritatis tenemus.

Capitulum X.

Quod idem homo non ex debito moriatur; et quomodo possit vel non possit peccare; et cur ille vel angelus de sua iustitia laudandus sit, cum peccare non possint.

Utrum autem ille homo moriturus sit ex debito, sicut omnes alii homines ex debito moriuntur, nunc investigare debemus. Sed si ADAM moriturus non erat, si non pecasset: multo magis iste mortem pati non debebit, in quo peccatum esse non poterit, quia deus erit.

B. In hoc volo te aliquantum morari. Sive enim dicatur posse sive non posse peccare, in utroque mihi non parva nascitur quaestio. Nam si peccare non posse dicitur, difficile credi debere videtur. Ut enim aliquantulum loquar non quasi de illo qui numquam fuerit, sicut hactenus fecimus, sed velut de eo quem et cuius facta novimus: quis neget illum multa potuisse facere quae peccata dicimus? Quippe – ut alia taceam – quomodo dicemus eum non potuisse mentiri, quod semper peccatum est? Cum enim dicat Iudaeis de patre: »si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax«, et inter haec verba dicat: »non scio eum«: quis eum dicet easdem tres nequivisse proferre dictiones sine aliis verbis, ut sic diceret: »non scio eum«? Quod si faceret, ut ipse ait, esset mendax, quod est esse peccatorem. Quare quoniam hoc potuit, peccare potuit.

A. Et hoc dicere potuit, et peccare non potuit.

B. Hoc ostende.

8 tenemus] Ad c. IX cf. *Epist. de incarnatione verbi*, n. X, p. 25 ss. 14-15 peccasset] Cf. c. II, p. 98. 24-25 mendax] Ioh. 8,55.

2 nec] ne *F* 21 potuisse] potius se *T* 27 esset] esse *T*

A. Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subauditur: si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas sed necessitas. Nam cum dico quia nolens possum trahi aut vinci, non est haec mea potestas, sed necessitas et potestas alterius. Quippe non est aliud: possum trahi vel vinci, quam: alius me trahere vel vincere potest. Possumus itaque dicere de Christo quia potuit mentiri, si subauditur: si vellet. Et quoniam mentiri non potuit nolens nec potuit velle mentiri, non minus dici potest nequivisse mentiri. Sic itaque potuit et non potuit mentiri.

B. Nunc redeamus ad investigandum de illo quasi nondum sit, sicut incepimus. Dico igitur: Si peccare non poterit, quia, sicut dicis, non poterit velle, ex necessitate servabit iustitiam. Quare non ex libertate arbitrii iustus erit. Quae igitur gratia illi pro iustitia sua debebitur? Solemus namque dicere deum idcirco fecisse angelum et hominem tales qui peccare possent, quatenus, cum possent deserere iustitiam et ex libertate servarent arbitrii, gratiam et laudem mererentur, quae illis, si ex necessitate iusti essent, non deberentur.

A. Nonne angeli qui modo peccare nequeunt laudandi sunt?

B. Sunt utique, quia hoc quod modo non possunt, meruerunt per hoc quod potuerunt et noluerunt.

A. Quid dicis de deo qui peccare non potest nec hoc meruit per potestatem peccandi qua non peccavit: nonne laudandus est pro iustitia sua?

B. Hic volo ut respondeas pro me. Nam si dico eum non esse laudandum, scio me mentiri; si autem dico laudandum, timeo infirmare rationem quam dixi de angelis.

A. Angeli non sunt laudandi de iustitia sua, quia peccare potuerunt, sed quia per hoc quodam modo a se habent quod peccare nequeunt; in quo aliquatenus similes sunt deo, qui a se habet quidquid habet. Dicitur enim dare aliquid, qui non aufert quando potest; et facere esse aliquid, qui cum possit id ipsum facere non esse, non facit. Sic itaque cum angelus

9 mentiri] Ad praecedentia cf. *Proslogion*, c. VII, vol. I, p. 105 s. — *De casu diaboli*, c. VII, vol. I, p. 253,28-32.

22 qua] quia *N* peccavit? *M* est *om. R* 24 ut] quod *F* 31 non facit] non *om. T* cum angelis *N*

potuit auferre sibi iustitiam et non abstulit, et facere se non esse iustum et non fecit, recte asseritur ipse sibi dedisse iustitiam, et se ipsum iustum fecisse. Hoc igitur modo habet a se iustitiam, quia creatura eam aliter a se habere nequit; et idcirco laudandus est de sua iustitia, nec necessitate sed libertate iustus est, quia improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est nec prohibitio. Quapropter quoniam deus perfecte habet a se quidquid habet, ille maxime laudandus est de bonis quae habet et servat, non ulla necessitate, sed, sicut supra dixi, propria et aeterna immutabilitate. Sic ergo homo ille qui idem ipse deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit, a se habebit, non necessitate sed libertate, et a se ipso iustus et idcirco laudandus erit. Quamvis enim natura humana a divina habeat quod habebit, idem tamen ipse a se ipso, quoniam duae naturae una persona erunt, habebit.

B. Satisfecisti mihi ex hoc, et aperte video quia et peccare non poterit, et tamen laudandus erit de iustitia sua.

Sed nunc quaerendum existimo, cum deus talem possit facere hominem, cur non tales fecit angelos et duos primos homines, ut similiter et peccare non possent et de iustitia sua laudandi essent.

A. Intelligis quid dicas?

B. Videor mihi intelligere, et idcirco quaero cur eos tales non fecit.

A. Quoniam nec debuit nec potuit fieri, ut unusquisque illorum esset idem ipse qui deus, sicut de homine isto dicimus. Et si quaeris cur non vel de tot quot sunt personae dei, vel saltem de uno hoc fecit, respondeo quia ratio tunc fieri nullatenus hoc exigebat, sed omnino, quia deus nihil sine ratione facit, prohibebat.

B. Erubesco quia hoc quaesivi; dic quae dicturus eras.

A. Dicamus igitur quia mori non debebit, quoniam non erit peccator.

B. Concedere me oportet.

8 supra] Cf. c. V, p. 99 s. 27 oportet] Ad c. X cf. l. I, cc. IX et X, p. 61 ss.

1 sibi auferre *RDF* se] si *N* 11 humana natura *R* 23 nullatenus hoc exigebat] *hic deficit F*

Capitulum XI.

Quod moriatur ex sua potestate; et quod mortalitas non pertineat ad puram hominis naturam.

A. Nunc autem restat indagare utrum possit mori secundum humanam naturam; nam secundum divinam semper incorruptibilis erit.

B. De hoc cur dubitare debemus, cum ipse verus homo futurus sit et omnis homo naturaliter mortalis sit?

A. Non puto mortalitatem ad puram, sed ad corruptam hominis naturam pertinere. Quippe si numquam peccasset homo et immortalitas ipsius immutabiliter firmata esset, non tamen minus homo esset verus; et quando mortales in incorruptibilitatem resurgent, non minus erunt veri homines. Nam si pertineret ad veritatem humanae naturae mortalitas, nequaquam posset homo esse, qui esset immortalis. Non ergo pertinet ad sinceritatem humanae naturae corruptibilitas sive incorruptibilitas, quoniam neutra facit aut destruit hominem, sed altera valet ad eius miseriam, altera ad beatitudinem. Sed quoniam nullus est homo qui non moriatur, idcirco mortale ponitur in hominis definitione a philosophis, qui non crediderunt totum hominem aliquando potuisse aut posse esse immortalem. Quare non sufficit ad monstrandum illum hominem debere mortalem esse hoc, quia verus homo erit.

B. Quaere tu ergo aliam rationem, quia ego illam nescio, si tu nescis, qua ille probetur posse mori.

A. Dubium non est quia sicut deus erit, ita omnipotens erit.

B. Verum est.

8-9 pertinere]] Cf. AUGUSTINUS, *Contra Iulian. op. imperf.*, l. I, c. XCVI (*PL* 45,1112): Scimus vos ideo dicere, peccato hominis naturae statum non mutari, quia deseruistis fidem catholicam, quae dicit primum hominem sic factum, ut non haberet moriendi necessitatem; peccato autem ita hunc statum naturae fuisse mutatum, ut hominem necesse sit mori (Cf. etiam l. VI, c. IX [1516]). 11 resurgent] Cf. 1 Cor. 15,42. 16-18 immortalem] Cf. *De grammatico*, n. [VIII], vol. I, p. 152,33-153, 1. — BOETHIUS, *In Isagogen Phorphyrii Commenta*, edit. primae, l. I, c. 20 (*CSEL* XXXXVIII, p. 60; *PL* 64,35): hominem vero, quod ab animali minus est, ita definiunt: animal rationale, mortale, risus et disciplinae perceptibile. — AUGUSTINUS, *De ordine*, l. II, c. XI, n. 31 (*PL* 32,1009): Ac primum videamus ubi hoc verbum, quod ratio vocatur, frequentari solet; nam illud nos movere maxime debet, quod ipse homo a veteribus sapientibus ita definitus est: Homo est animal rationale mortale.

10 firmata] vel (fir)ma *superscript. D* 18 ad demonstrandum *R*

A. Si ergo volet, poterit animam suam ponere et iterum sumere.

B. Si hoc non potest, non videtur quod sit omnipotens.

A. Poterit igitur numquam mori si volet, et poterit mori et resurgere. Sive autem animam suam ponat nullo alio faciente, sive alius hoc faciat, ut eam ponat ipso permittente, quantum ad potestatem nihil differt.

B. Non est dubium.

A. Si igitur voluerit permittere, poterit occidi; et si noluerit, non poterit.

B. Ad hoc nos indeclinabiliter perducit ratio.

A. Ratio quoque nos docuit quia oportet eum maius aliquid habere, quam quidquid sub deo est, quod sponte det et non ex debito deo.

B. Ita est.

A. Hoc autem ⟨nec⟩ sub illo nec extra illum inveniri potest.

B. Verum est.

A. In ipso igitur inveniendum est.

B. Sic sequitur.

A. Aut igitur se ipsum aut aliquid de se dabit.

B. Non possum aliter intelligere.

A. Quaerendum nunc est cuiusmodi esse debebit haec datio. Dare namque se non poterit deo aut aliquid de se, quasi non habenti ut suus sit, quoniam omnis creatura dei est.

B. Sic est.

A. Sic ergo intelligenda est haec datio, quia aliquo modo ponet se ad honorem dei aut aliquid de se, quomodo debitor non erit.

B. Ita sequitur ex supra dictis.

A. Si dicimus quia dabit se ipsum ad oboediendum deo, ut perseveranter servando iustitiam subdat se voluntati eius, non erit hoc dare quod deus ab illo non exigat ex debito. Omnis enim rationalis creatura debet hanc oboedientiam deo.

B. Hoc negari nequit.

A. Alio itaque modo oportet, ut det se ipsum deo aut aliquid de se.

B. Ad hoc nos impellit ratio.

1 sumere] Cf. Ioh. 10,17 s. 9 docuit] Cf. l. I, c. XXI, p. 88 s.; l. II, c. VI, p.101. 9-10 deo] Cf. *ibidem*, p. 101,10. 24 ex supra dictis] Cf. l. I, c. XX, p. 86 ss.

12 nec sub illo] nec *supplevi; omnes codices mss. om.* nec extra] non extra *N* 23 dei *om. T*

A. Videamus si forte hoc sit dare vitam suam, sive ponere animam suam, sive tradere se ipsum morti ad honorem dei. Hoc enim ex debito non exiget deus ab illo; quoniam namque non erit peccatum in illo, non debebit mori, sicut diximus.

B. Aliter nequeo intelligere.

A. Consideremus adhuc utrum sic rationabiliter conveniat.

B. Dic tu, et ego libenter audiam.

A. Si homo per suavitatem peccavit: an non convenit ut per asperitatem satisfaciat? Et si tam facile victus est a diabolo ut deum peccando exhonoraret, ut facilius non posset: nonne iustum est ut homo satisfaciens pro peccato tanta difficultate vincat diabolum ad honorem dei, ut maiori non possit? An non est dignum quatenus, qui se sic abstulit deo peccando, ut se plus auferre non posset, sic se det deo satisfaciendo, ut magis se non possit dare?

B. Non est aliquid rationabilius.

A. Nihil autem asperius aut difficilius potest homo ad honorem dei sponte et non ex debito pati quam mortem, et nullatenus se ipsum potest homo dare magis deo, quam cum se morti tradit ad honorem illius.

B. Vera sunt omnia haec.

A. Talem igitur oportet eum esse qui pro peccato hominis satisfacere volet, ut mori possit si velit.

B. Video plane illum hominem quem quaerimus, talem esse oportere qui nec ex necessitate moriatur, quia omnipotens erit, nec ex debito, quia numquam peccator erit, et mori possit ex libera voluntate, quia necessarium erit.

A. Sunt et alia multa cur eum valde conveniat hominum similitudinem et conversationem absque peccato habere, quae facilius et clarius per se patent in eius vita et operibus, quam velut ante experimentum sola ratione monstrari possint. Quis enim explicet quam necessarie, quam sapienter factum est, ut ille qui homines erat redempturus et de via mortis et perditionis ad viam vitae et beatitudinis aeternae docendo reducturus, cum hominibus conversaretur et in ipsa conversatione, cum eos doceret verbo qualiter vivere

4 sicut diximus] Cf. c. praecedens. 26-27 absque peccato] Cf. Hebr. 4,15. 31-32 conversaretur] Cf. Bar. 3,38: et cum hominibus conversatus est.

16 autem *om.; eius loco aliquid illegibile insert. N*

deberent, se ipsum exemplum praeberet? Exemplum autem se ipsum quomodo daret infirmis et mortalibus, ut propter iniurias aut contumelias aut dolores aut mortem a iustititia non recederent, si ipsum haec omnia sentire non agnoscerent?

Capitulum XII.

Quod quamvis incommodorum nostrorum particeps sit, miser tamen non sit.

B. Omnia haec patenter ostendunt eum mortalem et incommodorum nostrorum esse participem oportere. Sed haec omnia miseriae nostrae sunt. Numquid ergo miser erit?

A. Nequaquam. Nam sicut ad beatitudinem non pertinet commodum quod habet quis contra voluntatem, ita non est miseria apprehendere sapienter nulla necessitate aliquod incommodum secundum voluntatem.

B. Concedendum est.

Capitulum XIII.

Quod cum aliis infirmitatibus nostris ignorantiam non habeat.

Verum in hac similitudine, quam habere debet cum hominibus, dic utrum ignorantiam quoque sicut alias infirmitates nostras habiturus sit.

A. Quid dubitas de deo utrum sit omnia sciens?

B. Quia quamvis sit immortalis futurus ex divina natura, mortalis tamen erit ex humana. Nam cur non similiter poterit homo ille esse vere ignorans, sicut vere mortalis erit?

A. Illa hominis assumptio in unitatem personae dei non nisi sapienter a summa sapientia fiet, et ideo non assumet in homine quod nullo modo utile, sed valde noxium est ad opus quod idem homo facturus est. Ignorantia namque ad nihil illi utilis esset, sed ad multa noxia. Quomodo enim tot et tanta opera quae facturus est, faciet sine immensa sapientia? Aut quomodo illi credent homines, si eum scient nescium? Si autem nescient: ad quid erit illi utilis illa ignorantia? Deinde si nihil amatur nisi quod cognoscitur: sicut nihil erit boni quod non amet, ita nullum bonum erit quod ignoret. Bonum autem nemo perfecte novit, nisi qui illud a malo scit discernere.

12 nulla] in illa *T* *hic incip.* c. *XIII R* 13 B. Concedendum] *hic incip* c. *XIII N* 18 A. Quid] 22 in unitate *N*

Hanc quoque discretionem nullus scit facere, qui malum ignorat. Sicut igitur ille de quo loquimur, omne perfecte sciet bonum, ita nullum ignorabit malum. Omnem igitur habebit scientiam, quamvis eam publice in hominum conversatione non ostendat.

B. Hoc in maiori aetate ita videtur, sicut dicis; sed in infantia sicut non erit tempus congruum, ut in illo appareat sapientia, ita non erit opus et ideo nec congruum, ut illam habeat.

A. Nonne dixi quia sapienter fiet illa incarnatio? Sapienter namque assumet deus mortalitatem, qua sapienter, quia valde utiliter, utetur. Ignorantiam vero non poterit assumere sapienter, quia numquam est utilis sed semper noxia, nisi forte cum per eam mala voluntas, quae numquam in illo erit, ab effectu restringitur. Nam etsi aliquando ad aliud non nocet, hoc solo tamen nocet, quia scientiae bonum aufert. Et ut breviter absolvam quod quaeris: ex quo ille homo erit, plenus deo semper ut se ipso erit. Unde numquam erit sine eius potentia et fortitudine et sapientia.

B. Quamvis hoc in Christo semper fuisse non dubitarem, ideo tamen quaesivi, ut de hoc quoque rationem audirem. Saepe namque aliquid esse certi sumus, et tamen hoc ratione probare nescimus.

Capitulum XIV.

Quomodo mors eius praevaleat numero et magnitudini peccatorum omnium.

Nunc rogo ut doceas me, quomodo mors eius praevaleat numero et magnitudini peccatorum omnium, cum unum quod putamus levissimum peccatum tam infinitum monstres, ut si numerus obtendatur infinitus mundorum, qui sic pleni sint creaturis sicut est iste, nec possint servari quin redigantur in nihilum, nisi faciat aliquis aspectum unum contra voluntatem dei, non tamen fieri debeat.

A. Si esset praesens homo ille et quis esset scires, et diceretur tibi: nisi occideris hominem hunc, peribit mundus iste totus et quidquid deus non est: faceres hoc pro conservanda omni alia creatura?

B. Non facerem, etiam si infinitus mihi numerus mundorum obtenderetur.

22-26 debeat] Cf. l. I, c. XXI, p. 88 s.

1 Hanc] hanc *N* igitur] ergo *N* 7 illa *N* 9 mortalitatem] immortalitatem *T* 15 et sapientia] et *om. N* 30 infinitus *om. T*

A. Quid si iterum tibi diceretur: aut eum occides, aut omnia peccata mundi venient super te?

B. Responderem me potius alia omnia velle peccata suscipere, non solum huius mundi quae fuerunt et quae futura sunt, sed et quaecumque super haec cogitari possunt, quam istud solum. Quod non solum de occisione eius, sed et de qualibet parva laesione quae illum tangeret, respondere me existimo debere.

A. Recte existimas. Sed dic mihi cur ita cor tuum iudicat, ut plus horreat unum peccatum in laesione huius hominis, quam omnia alia quae cogitari possunt, cum omnia quaecumque fiunt peccata contra illum sint.

B. Quoniam peccatum quod in persona eius fit, incomparabiliter superat omnia illa, quae extra personam illius cogitari possunt.

A. Quid dices ad hoc quia saepe libenter aliquis patitur quasdam in sua persona molestias, ne maiores patiatur in rebus suis?

B. Quia deus non eget hac patientia, cuius potestati cuncta subiacent, sicut tu supra cuidam meae interrogationi respondisti.

A. Bene respondes. Videmus ergo quia violationi vitae corporalis huius hominis nulla immensitas vel multitudo peccatorum extra personam dei comparari valet.

B. Apertissimum est.

A. Quantum bonum tibi videtur, cuius interemptio tam mala est?

B. Si omne bonum tam bonum est quam mala est eius destructio, plus est bonum incomparabiliter, quam sint ea peccata mala, quae sine aestimatione superat eius interemptio.

A. Verum dicis. Cogita etiam quia peccata tantum sunt odibilia quantum sunt mala, et vita ista tantum amabilis quantum est bona. Unde sequitur quia vita haec plus est amabilis, quam sint peccata odibilia.

B. Non possum hoc non intelligere.

A. Putasne tantum bonum tam amabile posse sufficere ad solvendum, quod debetur pro peccatis totius mundi?

B. Immo plus potest in infinitum.

A. Vides igitur quomodo vita haec vincat omnia peccata, si pro illis detur.

16 supra] Cf. ibidem, p. 89,9-11.

21 intereptio *N*

B. Aperte.

A. Si ergo dare vitam est mortem accipere: sicut datio huius vitae praevalet omnibus hominum peccatis, ita et acceptio mortis.

B. Ita esse de omnibus peccatis quae personam dei non tangunt constat.

Capitulum XV.

Quomodo deleat mors eadem etiam peccata eum perimentium.

Sed nunc video aliud quaerendum. Nam si tam malum est eum occidere quam bona est vita eius: quomodo potest mors eius superare et delere peccata eorum qui eum occiderunt? Aut si alicuius eorum peccatum delet: quomodo potest aliorum quoque hominum aliquod delere? Credimus enim quia et multi ex illis salvati sunt et innumerabiles alii salvantur.

A. Hanc quaestionem solvit apostolus qui dixit, quia »si cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent«. Tantum namque differunt scienter factum peccatum et quod per ignorantiam fit, ut malum quod numquam facere possent pro nimietate sua, si cognosceretur, veniale sit, quia ignoranter factum est. Deum enim occidere nullus homo umquam scienter saltem velle posset, et ideo qui illum occiderunt ignoranter, non in illud infinitum peccatum, cui nulla alia comparari peccata possunt, proruerunt. Nam non consideravimus eius magnitudinem ad videndum, quam bona esset vita illa, secundum hoc quod ignoranter factum est, sed quasi scienter fieret, quod nec umquam fecit aliquis nec facere potuit.

B. Rationabiliter interemptores Christi ad veniam peccati sui pertingere potuisse monstrasti.

A. Quid iam quaeris amplius? Ecce vides quomodo rationabilis necessitas ostendat ex hominibus perficiendam esse supernam civitatem, nec hoc

12-13 crucifixissent] 1 Cor. 2,8. 23 monstrasti] Ad praecedentia cf. AUGUSTINUS, *Tract. in Ioh.* XCII, n. 1 (*PL* 35,1863):... et tanti sanguinis tam impie atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt (Act. 2,2). Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est. — LEO MAGNUS, *Sermo* LIV, c. II (*PL* 54,320): Quidquid Domino illusionis et contumeliae, quidquid vexationis et poenae furor intulit impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvare quod perierat* (Luc. 19,10); et sic ad omnium redemptionem utebatur malitia persequentium, ut in mortis eius resurrectionisque sacramento, etiam interfectores sui possent salvi esse, si crederent.

posse fieri nisi per remissionem peccatorum, quam homo nullus habere potest nisi per hominem, qui idem ipse sit deus atque morte sua homines peccatores deo reconciliet. Aperte igitur invenimus Christum, quem deum et hominem confitemur et mortuum propter nos. Hoc autem absque omni dubietate cognito: cuncta quae ipse dicit certa esse, quoniam deus mentiri nequit, et sapienter esse facta quae fecit, dubitandum non est, quamvis non eorum ratio intelligatur a nobis.

B. Verum est quod dicis, nec aliquatenus quod dixit esse verum, aut quod fecit rationabiliter esse factum dubito. Sed hoc postulo ut, quod quasi non debere aut non posse fieri videtur infidelibus in fide Christiana, hoc mihi qua ratione fieri debeat aut possit aperias; non ut me in fide confirmes, sed ut confirmatum veritatis ipsius intellectu laetifices.

Capitulum XVI.

Qualiter deus de massa peccatrice assumpsit hominem sine peccato; et de salvatione ADAE et EVAE.

Quapropter sicut eorum quae supra dicta sunt, rationem aperuisti, sic peto ut eorum quae sum adhuc quaesiturus, rationem ostendas. Primum scilicet qualiter de massa peccatrice, id est de humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato quasi azimum de fermentato deus assumpsit. Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio munda sit et absque carnalis delectationis peccato, virgo tamen ipsa unde assumptus est, »in iniquitatibus« concepta est, »et in peccatis concepit« eam »mater« eius, et cum originali peccato nata est, quoniam et ipsa in ADAM peccavit, »in quo omnes peccaverunt«.

18 de massa peccatrice] Cf. l. I, c. V, p. 52,17. 22 mater eius] Cf. Ps. 50,7. 23-24 peccaverunt] Rom. 5,12. 20-24 peccaverunt] Cf. AUGUSTINUS, *Contra Iulianum Pelag.*, l. V, c. XV (*PL* 44,813): Quid est quod laboras magnis argumentationibus pervenire ad impietatis abruptum, ut ‚Christi caro, quia de Maria natus est, cuius virginis caro sicut caeterorum omnium ex Adam fuerat propagata, nihil distet a carne peccati...' ...Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariae corpus quamvis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus quod non inde concepit. — *Contra Iulian. op. imperf.*, l. VI, c. XXII (*PL* 45,1552 s.): Si autem quaeritur, quomodo Christus non fuerit decimatus, cum etiam ipse, quod manifestum est, secundum originem carnis fuerit in lumbis Abra-

4 et mortuum] et *erasum;* esse *superscript. R*

A. Postquam constat hominem illum deum et peccatorum esse reconciliatorem, dubium non est eum omnino sine peccato esse. Hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus. Qua vero ratione sapientia dei hoc fecit, si non possumus intelligere, non debemus mirari, sed cum veneratione tolerare aliquid esse in secretis tantae rei quod ignorenius. Quippe mirabilius deus restauravit humanam naturam quam instauravit. Aequaliter enim utrumque deo facile est; sed homo antequam esset non peccavit, ut fieri non deberet; postquam vero factus est, peccando meruit ut, quod et ad quod factus erat, perderet, quamvis non perdiderit omnino quod factus erat, ut esset qui puniretur aut cui deus misereretur. Neutrum enim horum fieri posset, si in nihilum redactus esset. Tanto ergo mirabilius deus illum restituit quam instituit, quanto hoc de peccatore contra meritum, illud non de peccatore nec contra meritum fecit. Quantum etiam est deum et hominem sic in unum convenire, ut servata integritate utriusque naturae idem sit homo qui deus? Quis ergo praesumat vel cogitare quod humanus intellectus valeat penetrare, quam sapienter, quam mirabiliter tam inscrutabile opus factum sit?

B. Assentior quia nullus homo potest in hac vita tantum secretum penitus aperire, nec peto ut facias quod nullus homo facere potest, sed tantum quantum potes. Plus enim persuadebis altiores in hac re rationes latere, si aliquam te videre monstraveris, quam si te nullam in ea rationem intelligere nihil dicendo probaveris.

A. Video me ab importunitate tua non posse liberari. Sed si aliquatenus potero quod postulas ostendere, gratias agamus deo. Si vero non

hae, quando a Melchisedech pater ille decimatus est; nihil occurrit, nisi quod Maria quidem mater eius, de qua carnem sumpsit, de carnali concupiscentia parentum nata est; non autem Christum sic ipsa concepit, quem non de virili semine, sed de Spiritu sancto procreavit. 1-2 sine peccato esse] Cf. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, l. XXIV, c. II, n. 4 (*PL* 76,289): Proinde venit ad nos Unigenitus Patris, assumpsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset. BEDA, *In I Epist. Ioannis*, c. III (*PL* 93,100): Nemo enim tollit peccata, quae nec lex quamvis sancta et iusta et bona potuit auferre, nisi ille in quo peccatum non est. 6-7 instauravit] Cf. *Missale Rom.*, Ad Offertorium: Deus qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti... 20 latere] Cf. l. I, c. II, p. 50,12-13.

15 deus?] ?om. *D* quod] quis (*in rasura*) *M* 17 sit?] ?om. *N* 19 nec peto] nec puto *T*

potero, sufficiant ea quae supra probata sunt. Cum enim constat deum hominem fieri oportere, dubium non est sapientiam et potentiam illi non deesse, ut hoc sine peccato fiat.

B. Sic libenter accipio.

A. Oportuit utique ut illa redemptio quam Christus fecit, prodesset non solum illis qui eo tempore fuerunt, sed etiam aliis. Sit enim rex aliquis, cui totus populus suae cuiusdam civitatis sic peccavit, excepto uno solo, qui tamen de illorum est genere, ut nullus eorum facere possit unde mortis damnationem evadat. Ille autem qui solus est innocens, tantam apud regem habet gratiam ut possit, et tantam dilectionem erga reos ut velit omnes qui suo credent consilio reconciliare quodam servitio valde ipsi regi placituro, quod facturus est die secundum voluntatem regis statuto. Et quoniam non omnes possunt qui reconciliandi sunt ad diem illam convenire, concedit rex propter magnitudinem illius servitii, ut quicumque vel ante vel post diem illam confessi fuerint se velle per illud opus quod ea die fiet, veniam impetrare et ad pactum ibi constitutum accedere, ab omni culpa sint absoluti praeterita; et si contigerit ut post hanc veniam iterum peccent, si digne satisfacere et corrigi deinceps voluerint, per eiusdem pacti efficaciam iterum veniam recipiant. Sic tamen ut nullus palatium eius ingrediatur, donec factum sit hoc unde culpae relaxantur. Secundum hanc similitudinem, quoniam non potuerunt omnes homines qui salvandi erant praesentes esse, quando redemptionem illam Christus fecit, tanta fuit vis in eius morte, ut etiam in absentes vel loco vel tempore eius protendatur effectus. Quod autem non solis praesentibus prodesse debeat hinc facile cognoscitur, quia non tot praesentes eius morti esse potuerunt, quot ad supernae civitatis constructionem necessarii sunt, etiam si omnes qui eiusdem mortis tempore ubicumque erant, ad illam redemp-

1 constat] Cf. c. VI, p. 101. 23 effectus] Ad praecedentia cf. LEO MAGNUS, *Sermo* LII, c. I (*PL* 54,314): Non enim quia secundum inscrutabile propositum sapientiae Dei novissimis diebus *Verbum caro factum est* (Ioh. 1,14), ideo salutiferae Virginis partus, extremi tantum temporis generationibus profuit, et non se etiam in praeteritas refudit aetates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud saecula priora sanctorum, in hac fide vixit et placuit; et neque patriarchis, neque prophetis, neque cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus et iustificatio fuit: quae sicut exspectabatur multis prophetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso munere atque opere praesentata.

22 etiam] eius *N* 25 esse morti *MRDNT*

tionem admitterentur. Plures enim sunt daemones, quam de quibus restaurandus est numerus eorum, ea die viverent homines.

Nec credendum est, ex quo factus est homo, ullum tempus fuisse quo mundus iste cum creaturis, quae factae sunt ad usus hominum, sic vacuus fuisset, ut nullus esset in illo ex humano genere ad hoc pertinens, propter quod factus est homo. Videtur enim inconveniens quod deus vel uno momento permiserit humanum genus et ea quae fecit propter usum eorum, de quibus superna civitas perficienda est, quasi frustra extitisse. Nam aliquatenus in vanum esse viderentur, quamdiu non ad hoc propter quod maxime facta essent, viderentur subsistere.

B. Congruenti ratione et cui nihil repugnare videtur, monstras nullum umquam fuisse tempus, ex quo factus est homo, absque aliquo qui ad eam pertineret, sine qua vane factus esset omnis homo, reconciliationem. Quod non solum conveniens sed etiam necessarium esse possumus concludere. Si enim convenientius et rationabilius est hoc, quam aliquando nullum fuisse, de quo intentio dei qua hominem fecit perficeretur, nec est aliquid quod huic obviet rationi, necesse est semper aliquem ad praedictam reconciliationem pertinentem fuisse. Unde ADAM et EVA ad illam pertinuisse redemptionem dubitandum non est, quamvis hoc auctoritas divina aperte non pronuntiet.

A. Incredibile quoque videtur, quando deus illos fecit et proposuit immutabiliter facere de illis omnes homines, quos ad caelestem civitatem assumpturus erat, quod illos duos ab hoc excluserit proposito.

B. Immo illos maxime ad hoc fecisse credi debet, ut essent de illis propter quos facti sunt.

A. Bene consideras. Nulla tamen anima ante mortem Christi paradisum caelestem ingredi potuit, sicut supra dixi de regis palatio.

B. Sic tenemus.

A. Virgo autem illa de qua homo ille assumptus est, de quo loquimur, fuit de illis qui ante nativitatem eius per eum mundati sunt a peccatis, et in eius ipsa munditia de illa assumptus est.

B. Placeret mihi multum quod dicis, nisi cum ipse debeat a se ipso habere munditiam a peccato, videretur eam habere a matre, et non per se mundus esse, sed per illam.

A. Non ita est; sed quoniam matris munditia per quam mundus est, non fuit nisi ab illo, ipse quoque per se ipsum et a se mundus fuit.

1 daemones *om.* *T* 3 ullum] illum *N*

B. Bene est de hoc.

Verum adhuc aliud mihi videtur quaerendum. Diximus enim supra quia non necessitate moriturus erat, et nunc videmus quia mater eius per eius mortem futuram munda fuit, quod nisi illa fuisset, ipse de illa esse non potuisset. Quomodo ergo non necessitate mortuus est, qui non, nisi quia moriturus erat, potuit esse? Nam si moriturus non esset, virgo de qua assumptus est munda non fuisset, quoniam hoc nequaquam valuit esse nisi veram eius mortem credendo, nec ille de illa potuit aliter assumi. Quare si non mortuus est ex necessitate, postquam assumptus est de virgine, potuit non esse de virgine assumptus, postquam est assumptus; quod non est possibile.

A. Si bene quae supra dicta sunt considerasses, hanc quaestionem in illis, ut puto, solutam intellexisses.

B. Non video quomodo.

A. Nonne quando quaesivimus utrum ille mentiri potuerit, monstravimus in mentiendo duas esse potestates, unam videlicet volendi mentiri, alteram mentiendi; et quoniam cum mentiendi potestatem haberet, hoc a se ipso habuit ut non posset velle mentiri, idcirco de sua iustitia qua veritatem servavit eum laudandum esse?

B. Ita est.

A. Similiter est in servando vitam potestas volendi servare et potestas servandi. Cum ergo quaeritur utrum idem deus-homo potuerit servare vitam suam, ut numquam moreretur, dubitandum non est quia semper habuit potestatem servandi, quamvis nequiverit velle servare ut numquam moreretur; et quoniam hoc a se ipso habuit, ut scilicet velle non posset, non necessitate sed libera potestate animam suam posuit.

B. Non omnino similes fuerunt in illo istae potestates, mentiendi videlicet et servandi vitam. Ibi enim sequitur quia, si vellet, posset mentiri; hic vero videtur quia, si non mori vellet, non magis hoc posset, quam posset non esse quod erat. Nam ad hoc erat homo ut moreretur, et propter huius futurae mortis fidem de virgine potuit assumi, sicut supra dixisti.

A. Quemadmodum putas illum non potuisse non mori aut necessitate

2 supra] Cf. cc. X et XI, p. 106 ss. 15-19 laudandum esse?] Cf. c. X, p. 106 ss.

2 Verum] *hic incip. c. XVII N* 3 moriturus] mortuus *T* 4 quod] id est munda *superscript. D*

mortuum esse, quia non potuit non esse quod erat, ita potes asserere illum non potuisse velle non mori aut necessitate mori voluisse, quoniam quod erat non esse non potuit. Non enim magis ipse factus est homo ad hoc ut moreretur, quam ut vellet mori. Quapropter sicut non debes dicere quia non potuit velle non mori aut necessitate voluit mori, sic non est dicendum quia non potuit non mori aut necessitate mortuus est.

B. Immo quoniam eidem subiacent rationi, scilicet et mori et velle mori, utrumque videtur in illo necessitate fuisse.

A. Quis se sponte voluit hominem facere, ut eadem immutabili voluntate moreretur, et per huius fidem certitudinis virgo munda fieret, de qua homo ille assumeretur?

B. Deus, filius dei.

A. Nonne supra monstratum est quia dei voluntas nulla cogitur necessitate, sed ipsa se spontanea sua servat immutabilitate, quando aliquid dicitur necessitate facere?

B. Vere monstratum est. Sed videmus econtra quia, quod deus immutabiliter vult, non potest non esse, sed necesse est esse. Quapropter si deus voluit, ut homo ille moreretur, non potuit non mori.

A. Ex eo quia filius dei assumpsit hominem ea voluntate ut moreretur, probas eundem hominem non potuisse non mori.

B. Ita intelligo.

A. An non similiter apparuit ex iis quae dicta sunt, filium dei et assumptum hominem unam esse personam, ut idem sit deus et homo, filius dei et filius virginis?

B. Sic est.

A. Idem igitur homo sua voluntate non potuit non mori et mortuus est.

B. Negare nequeo.

A. Quoniam ergo voluntas dei nulla necessitate facit aliquid, sed sua potestate, et voluntas illius fuit voluntas dei, nulla necessitate mortuus est, sed sola sua potestate.

B. Argumentationibus tuis obviare nequeo. Nam nec propositiones quas praemittis, nec consequentias quas infers, ullatenus infirmare valeo.

13 supra] Cf. c. V, p. 99 s.; c. X, p. 108,7-8. 22 quae dicta sunt] Cf. c. VII, p. 101 s.

16 econtra] cetera *N* 22 ex his *MD*

Sed tamen hoc mihi semper occurrit quod dixi, quia si vellet non mori, non magis hoc posset, quam non esse quod erat. Vere namque moriturus erat, quoniam si vere non fuisset moriturus, non fuisset vera fides futurae mortis eius, per quam et illa virgo de qua natus est, et multi alii mundati sunt a peccato. Nam si vera non fuisset, nihil prodesse potuisset. Quapropter si potuit non mori, potuit facere non esse verum quod verum erat.

A. Quare verum erat, antequam moreretur, quia moriturus erat?

B. Quoniam hoc ipse sponte voluit et immutabili voluntate.

A. Si ergo, sicut dicis, idcirco non potuit non mori, quia vere moriturus erat, et ideo vere erat moriturus, quia hoc ipse sponte et immutabiliter voluit: sequitur illum non ob aliud non potuisse non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit mori.

B. Ita est. Sed quaecumque fuerit causa, verum est tamen quia non potuit non mori et necesse fuit illum mori.

A. Nimis haeres in nihilo, et ut dici solet, quaeris nodum in scirpo.

B. An es oblitus quid excusationibus tuis obiecerim in huius disputationis nostrae principio, quia videlicet quod postulabam non faceres doctis, sed mihi et hoc ipsum mecum petentibus? Sustine igitur ut pro tarditate et hebetudine nostri quaeram ingenii, quatenus mihi et illis etiam in puerilibus quaestionibus, sicut incepisti, satisfacias.

Capitulum XVII.

Quod in deo non sit necessitas vel impossibilitas; et quod sit necessitas cogens et necessitas non cogens.

A. Iam diximus quia deus improprie dicitur aliquid non posse aut necessitate facere. Omnis quippe necessitas et impossibilitas eius subiacet voluntati; illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati. Nihil enim est necessarium aut impossibile, nisi quia ipse ita vult; ipsum vero aut velle aut nolle aliquid propter necessitatem aut impossibilitatem alienum est a veritate. Quare quoniam omnia quae vult, et non nisi quae

16 in scirpo] Cf. P. TERENTIUS, *Andria*, vers. 941: nodum in scirpo quaeris. 17-19 petentibus] Cf. l. I, c. I, p. 49,25-26. 25 diximus] Cf. c. V, p. 100,22-26.

16 nodum] nondum *N* 17 quid] quod *T*

vult facit: sicut nulla necessitas sive impossibilitas praecedit eius velle aut nolle, ita nec eius facere aut non facere, quamvis multa velit immutabiliter et faciat. Et sicut cum deus facit aliquid, postquam factum est, iam non potest non esse factum, sed semper verum est factum esse; nec tamen recte dicitur impossibile deo esse, ut faciat quod praeteritum est non esse praeteritum – nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi aut impossibilitas faciendi, sed dei sola voluntas, qui veritatem semper, quoniam ipse veritas est, immutabilem, sicuti est, vult esse –: ita si proponit se aliquid immutabiliter facturum, quamvis quod proponit, antequam fiat, non possit non esse futurum, non tamen ulla est in eo faciendi necessitas aut non faciendi impossibilitas, quoniam sola in eo operatur voluntas. Quotiens namque dicitur deus non posse, nulla negatur in illo potestas, sed insuperabilis significatur potentia et fortitudo. Non enim aliud intelligitur, nisi quia nulla res potest efficere, ut ille agat quod negatur posse.

Nam usitata est huiusmodi multum locutio, ut dicatur res aliqua posse, non quia in illa, sed quoniam in alia re est potestas; et non posse, non quoniam in illa, sed quia in alia re est impotentia. Dicimus namque: iste homo potest vinci, pro: aliquis potest eum vincere; et: ille non potest vinci, pro: nullus illum vincere potest. Non enim est potestas posse vinci, sed impotentia; nec vinci non posse impotentia est, sed potestas. Nec dicimus deum necessitate facere aliquid, eo quod in illo sit ulla necessitas, sed quoniam est in alio, sicut dixi de impotentia, quando dicitur non posse. Omnis quippe necessitas est aut coactio aut prohibitio; quae duae necessitates convertuntur invicem contrarie, sicut necesse et impossibile. Quidquid namque cogitur esse prohibetur non esse, et quod cogitui non esse prohibetur esse; quemadmodum quod necesse est esse impossibile est non esse, et quod necesse est non esse impossibile est esse, et conversim. Cum autem dicimus aliquid necesse esse aut non esse in deo, non intelligitur quod sit in illo necessitas aut cogens aut prohibens, sed significatur quia in omnibus aliis rebu sests necessita prohibens eas facere et cogens non facere contra hoc quod de deo dicitur. Nam cum dicimus quia necesse est deum semper verum dicere, et necesse est eum numquam mentiri, non dicitur aliud nisi quia tanta est in illo

15-20 potestas] Cf. *De casu diaboli*, c. XII, vol. I, p. 253,19-27. — *De veritate*, c. VIII, vol. I, p. 188,18-22.

20 est *om.* *R*

constantia servandi veritatem, ut necesse sit nullam rem facere posse, ut verum non dicat aut ut mentiatur.

Quapropter cum dicimus quia homo ille, qui secundum unitatem per- 3
sonae, sicut supra dictum est, idem ipse est qui filius dei, deus, non potuit non mori, aut velle non mori, postquam de virgine natus est: non significatur in illo ulla impotentia servandi aut volendi servare vitam suam immor- 6
talem, sed immutabilitas voluntatis eius, qua se sponte fecit ad hoc hominem, ut in eadem voluntate perseverans moreretur, et quia nulla res potuit illam voluntatem mutare. Plus enim esset impotentia quam potentia, si posset velle 9
mentiri aut fallere aut mutare voluntatem, quam prius immutabilem esse voluit. Et si, quemadmodum supra dixi, cum aliquis sponte se proponit facturum bonum aliquod et eadem voluntate postea perficit quod proposuit, 12
quamvis cogi possit, si nolit promissum solvere, non tamen est dicendus necessitate facere quod facit, sed ea qua proposuit libera voluntate – non enim necessitate aut impotentia fieri vel non fieri dici debet aliquid, ubi 15
neque necessitas neque impotentia quicquam operantur sed voluntas –; si, inquam, ita est in homine, multo magis necessitas aut impotentia nequaquam nominandae sunt in deo, qui nihil nisi quod vult facit, et cuius voluntatem 18
nulla vis cogere aut prohibere valet. Ad hoc enim valuit in Christo diversitas naturarum et unitas personae, ut quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret divina, et si divinae 21
minime conveniret, exhiberet humana; et non alius atque alius sed idem ipse esset, qui utrumque perfecte existens, per humanam solveret quod illa debebat, et per divinam posset quod expediebat. Denique virgo, quae per 24
fidem munda facta est ut de illa posset assumi, nequaquam credidit illum moriturum, nisi quia vellet, quemadmodum per prophetam qui de illo dixit: »oblatus est, quia ipse voluit«, didicerat. Quapropter quoniam vera fuit fides 27

4 supra] Cf. c. VII, p. 101 s.; c. IX, p. 106,1-4. 11 supra] Cf. c. V, p. 99,24-100,15. 19-24 expediebat] Cf. LEO MAGNUS, *Sermo* LII, c. II (*PL* 54,314 s.): Prorsus utraque natura unus est Christus: nec Verbum ibi ab homine disiunctum, nec homo est dissociatus a Verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec imminuta maiestas. Nihil nocuit naturae inviolabili, quod passibili oportebat inferri: totumque illud sacramentum, quod simul et humanitas consummavit et Deitas, dispensatio fuit misericordiae, et actio pietatis. 27 voluit] Is. 53,7.

7 qua] quia *N* 15 dici] dicit *N* 16 operatur *T* 19 valet] potest; *in uncis* vel valet *R*

eius, necesse erat ita futurum esse, sicut credidit. Quod si te iterum perturbat quia dico : necesse erat : memento quia veritas fidei virginis non fuit causa ut ille sponte moreretur, sed quia hoc futurum erat, vera fuit fides. Quam ob rem si dicitur : necesse erat ut voluntate sola moreretur, quia vera fuit fides sive prophetia quae de hoc praecesserant : non est aliud quam si dicas necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat. Huiusmodi autem necessitas non cogit rem esse, sed esse rei facit necessitatem esse.

Est namque necessitas praecedens, quae causa est ut sit res ; et est necessitas sequens, quam res facit. Praecedens et efficiens necessitas est, cum dicitur caelum volvi, quia necesse est ut volvatur ; sequens vero et quae nihil efficit sed fit, est cum dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut dum loqueris non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit caelum volvi, te vero nulla necessitas facit loqui. Sed ubicumque est praecedens necessitas, est et sequens ; non autem ubi sequens, ibi statim et praecedens. Possumus namque dicere : necesse est caelum volvi, quia volvitur ; sed non similiter est verum idcirco te loqui, quia necesse est ut loquaris. Ista sequens necessitas currit per omnia tempora hoc modo : Quidquid fuit, necesse est fuisse. Quidquid est, necesse est esse et necesse est futurum fuisse. Quidquid futurum est, necesse est futurum esse. Haec est illa necessitas quae, ubi tractat ARISTOTELES de propositionibus singularibus et futuris, videtur utrumlibet destruere et omnia esse ex necessitate astruere. Hac sequenti et nihil efficienti necessitate, quoniam vera fuit fides vel prophetia de Christo, quia ex voluntate non ex necessitate moriturus erat, necesse fuit ut sic esset. Hac homo factus est ; hac fecit et passus est quidquid fecit et passus est ; hac voluit quaecumque voluit. Ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant ; et futura erant, quia fuerunt ; et fuerunt, quia fuerunt. Et si vis omnium quae fecit et quae passus est veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit. Voluntatem vero eius nulla praecessit necessitas. Quare si non fuerunt, nisi quia ipse voluit : si non voluisset, non fuissent. Sic itaque »nemo« tulit »animam« eius ab

20-22 astruere] Cf. ARISTOTELES, *De interpretatione*, n. 9; apud BOETHIUM, *In De interpret. Aristotelis* (edit. C. Meiser, vol. I [1877], p. 9,32-10,1 ; *PL* 64,333 C): Nihil igitur neque est neque fit nec a casu nec utrumlibet nec erit nec non erit, sed ex necessitate omnia et non utrumlibet.

25-26 quidquid fecit et passus est *om. N*

illo, sed ipse posuit eam et »iterum« sumpsit »eam«, quia »potestatem« habuit »ponendi animam suam et iterum sumendi eam«, sicut ipse dicit.

B. Satisfecisti mihi illum non posse probari ulla necessitate mortem subisse, nec me paenitet, ut hoc faceres, importunum tibi extitisse.

A. Ostendimus, ut puto, certam rationem quomodo deus assumpserit hominem sine peccato de massa peccatrice, sed nequaquam negandum existimo aliam esse praeter istam quam diximus, excepto hoc quia deus facere potest, quod hominis ratio comprehendere non potest. Verum quoniam et ista mihi videtur posse sufficere, et si aliam nunc inquirere vellem, necesse esset investigare quid sit originale peccatum et quomodo a primis parentibus in universum genus humanum praeter illum de quo agimus hominem diffundatur, et incidere in quasdam alias quaestiones quae suum postulant tractatum: ea quam diximus ratione contenti, quae de incepto restant opere prosequamur.

B. Ut vis; sed eo pacto ut tu aliquando auxiliante deo illam aliam rationem, quam nunc inquirere vitas, quasi debitum exsolvas.

A. Quoniam voluntatem hanc scio me gerere, quod petis non denego; sed quia de futuris incertus sum, promittere non audeo, sed dei dispositioni committo.

Capitulum XVIII.

Quomodo vita Christi solvatur deo pro peccatis hominum; et quomodo debuit Christus et non debuit pati.

Sed dic nunc quid tibi de quaestione, quam in principio proposuisti, propter quam aliae multae se ingesserunt, persolvendum videatur.

B. Summa quaestionis fuit cur deus homo factus sit, ut per mortem suam salvaret hominem, cum hoc alio modo facere potuisse videretur. Ad quod tu multis et necessariis rationibus respondens ostendisti restaurationem humanae naturae non debuisse remanere, nec potuisse fieri, nisi solveret homo quod deo pro peccato debebat. Quod debitum tantum erat, ut illud

125,31-126,2 sumendi eam] Ioh. 10-18. 15-19 committo] Cf. Opus sequens *De conceptu virginali et de originali peccato.*

5 assupserit *T* 23 proposui *T* 27 tu] tum *N* rationibus] orationibus *N*

solvere, cum non deberet nisi homo, non posset nisi deus, ita ut idem esset homo qui deus. Unde necesse erat, ut deus hominem assumeret in unitatem personae, quatenus qui in natura solvere debebat et non poterat, in persona esset qui posset. Deinde quia de virgine et a persona filii dei esset assumendus homo ille qui deus esset, et quomodo sine peccato de massa peccatrice assumi potuerit monstrasti. Vitam autem huius hominis tam sublimem, tam pretiosam apertissime probasti, ut sufficere possit ad solvendum quod pro peccatis totius mundi debetur, et plus in infinitum. Restat ergo nunc ostendere quomodo illa solvatur deo pro peccatis hominum.

A. Si propter iustitiam se permisit occidi: nonne ad honorem dei vitam suam dedit?

B. Si possum intelligere quod non dubito, quamvis non videam quomodo rationabiliter hoc fecerit, cum et iustitiam indeclinabiliter et vitam suam aeternaliter servare potuerit, fatebor illum tale quid sponte dedisse deo ad honorem illius, cui quidquid deus non est comparari non potest, et quod pro omnibus omnium hominum debitis recompensari potest.

A. An non intelligis quia, cum iniurias et contumelias et mortem crucis cum latronibus sibi, sicut supra diximus, propter iustitiam quam oboedienter servabat, illatas benigna patientia sustinuit, exemplum dedit hominibus, quatenus propter nulla incommoda quae sentire possunt, a iustitia quam deo debent declinent, quod minime dedisset, si secundum potentiam suam mortem pro tali causa illatam declinasset?

B. Videtur quod nulla hoc exemplum ipse necessitate dederit, quoniam multi ante adventum eius et IOHANNES Baptista post adventum, ante mortem eius, fortiter mortem pro veritate sustinentes illud sufficienter dedisse noscuntur.

A. Nullus umquam homo moriendo praeter illum deo dedit quod aliquando necessitate perditurus non erat, aut solvit quod non debebat. Ille vero sponte patri obtulit quod nulla necessitate umquam amissurus erat, et solvit pro peccatoribus quod pro se non debebat. Quapropter ille multo magis dedit exemplum, ut unusquisque quod aliquando incunctanter amissurus est, pro se ipso reddere deo cum ratio postulat non dubitet, qui cum nullatenus aut pro se indigeret aut cogeretur pro aliis, quibus nihil nisi poenam

18 supra] Cf. l. I, c. IX, p. 61 ss.

1-2 homo esset *RD* 4 qui posset] quae posset *R* 10 permisit] promisit *N*
33 pro se] per se *N* nisi] ipsi *N*

debebat, tam pretiosam vitam, immo se ipsum, tantam scilicet personam tanta voluntate dedit.

B. Multum propinquas desiderio meo.

Sed sustine ut quaeram quiddam, quod quamvis fatuum forsitan putes quaerere, non tamen in promptu mihi est quid respondeam, si a me quaeratur. Dicis quia, quando mortuus est, dedit quod non debebat. Sed nemo negabit melius illum fecisse, quando hoc exemplum taliter dedit, et magis hoc placere deo, quam si non hoc fecisset, aut dicet eum non debuisse facere quod melius esse et quod magis deo placere intellexit. Quomodo ergo asseremus eum non debuisse deo quod fecit, id est quod melius esse et magis placere deo cognovit, praesertim cum creatura debeat deo totum quod est et quod scit et potest ?

A. Quamvis creatura nihil habeat a se, quando tamen concedit illi deus aliquid licite facere et non facere, dat illi ita suum esse utrumque, ut licet alterum sit melius, neutrum tamen exigatur determinate, sed sive faciat quod melius est, sive alterum, debere facere dicatur quod facit ; et si facit quod melius est, praemium habeat, quia sponte dat quod suum est. Nam cum virginitas melior sit coniugio, neutrum tamen ab homine determinate exigitur, sed qui coniugio uti et qui virginitatem servare mavult, quod facit debere facere dicitur. Nemo enim virginitatem sive coniugium dicit eligi non debere ; sed dicimus quia quod mavult homo, antequam aliquid horum statuat, hoc facere debet, et si virginitatem servat, pro spontaneo munere quod offert deo praemium exspectat. Cum ergo dicis creaturam debere deo quod melius scit et potest : si intelligis ex debito et non subaudis : si deus iubet, non est semper verum. Siquidem, ut dixi, non debet homo virginitatem ex debito, sed si mavult, debet uti coniugio.

Quod si te movet verbum quod est ‚debere', nec potes illud intelligere sine aliquo debito : scito quia sicut contingit ‚posse' et ‚non posse' et ‚necessitatem' aliquando dici, non quia sunt in rebus ubi dicuntur, sed quoniam sunt in alio : ita et ‚debere'. Quippe cum dicimus debere pauperes a divitibus eleemosynam accipere, non est aliud quam divites debere pauperibus eleemosynam impendere. Hoc namque debitum non est exigendum a paupere,

27-30 in alio] Cf. c. XVII, p. 123,15-20.

1 vitam *om.* *N* 10 quod fecit] qui fecit *N* 11 cum] eum *G* 14 deus] dei *N*

sed a divite. Deus quoque dicitur omnibus debere praeesse, non quia ille in hoc aliquo modo sit debitor, sed quoniam omnia debent illi subesse ; et debere facere quod vult, quoniam quod vult debet esse. Ita quando vult aliqua creatura facere quod suum est facere et non facere, dicitur debere facere, quia quod ipsa vult debet esse. Dominus itaque IESUS cum mortem, sicut diximus, sustinere voluit, quoniam suum erat et pati et non pati, debuit facere quod fecit, quia quod voluit fieri debuit ; et non debuit facere, quia non ex debito. Nempe quoniam ipse idem est deus et homo, secundum humanam quidem naturam, ex quo homo fuit, sic accepit a divina natura, quae alia est ab humana, esse suum quidquid habebat, ut nihil deberet dare nisi quod volebat ; secundum personam vero sic a se ipso habebat quod habebat, et sic perfecte sibi sufficiens erat, ut nec alii quicquam retribuere deberet, nec ut sibi retribueretur dare indigeret.

B. Aperte nunc video quia nulla ratione se ipsum morti ex debito, sicut ratio mea videbatur monstrare, dedit ad honorem dei, et tamen facere debuit quod fecit.

A. Honor utique ille totius est trinitatis. Quare quoniam idem ipse est deus, filius dei, ad honorem suum se ipsum sibi sicut patri et spiritui sancto obtulit, id est humanitatem suam divinitati suae, quae una eademque trium personarum est. Ut tamen in eadem ipsa veritate manentes apertius loquamur quod volumus, dicamus, sicut usus habet, quia filius sponte se ipsum patri obtulit. Hoc namque modo aptissime dicitur quia et in una persona totus deus, cui secundum hominem se obtulit, intelligitur, et per nomen patris et filii immensa quaedam in cordibus audientium, cum patrem filius hoc modo postulare pro nobis dicitur, pietas sentitur.

B. Hoc libentissime accipio.

Capitulum XIX.

Quanta ratione de morte eius sequatur humana salvatio.

A. Intueamur nunc, prout possumus, quanta inde ratione sequatur humana salvatio.

128,27-129,1 a divite] Cf. *De veritate*, c. VIII, vol. I, p. 188,9-18. 6 sicut diximus] Cf. c. XI, p. 109 ss.

3 debere] debent (*in rasura*) *B* 7 quod voluit] quod noluit *N* 10 deberet] debere *B* 22 modo aptissime] apertissime modo *RD* 24 cum patre *N*

B. Ad hoc tendit cor meum. Nam quamvis hoc mihi videar intelligere, ipsam tamen rationis contextionem a te volo fieri.

A. Quantum autem sit quod filius sponte dedit, non est opus exponere.

B. Sufficienter patet.

A. Eum autem qui tantum donum sponte dat deo, sine retributione debere esse non iudicabis.

B. Immo necesse esse video, ut pater filio retribuat. Alioquin aut iniustus videretur esse si nollet, aut impotens si non posset ; quae a deo aliena sunt.

A. Qui retribuit alicui : aut dat quod ille non habet, aut dimittit quod ab illo potest exigi. Prius autem quam tantam rem filius faceret, omnia quae patris erant sua erant ; nec umquam debuit quod illi dimitti possit. Quid ergo retribuetur nullius rei egenti, et cui non est quod dari aut dimitti possit ?

B. Ex una parte video retribuendi necessitatem, et ex altera impossibilitatem ; quia et necesse est deum reddere quod debet, et non est quod reddat.

A. Si tanta et tam debita merces nec illi nec alii redditur, in vanum filius tantam rem fecisse videbitur.

B. Hoc nefas est aestimare.

A. Necesse est ergo ut alicui alii reddatur, quia illi non potest.

B. Inevitabiliter sequitur.

A. Si voluerit filius quod sibi debetur alii dare : poteritne pater iure illum prohibere, aut illi cui dabit negare ?

B. Immo et iustum et necessarium intelligo, ut cui voluerit dare filius, a patre reddatur ; quia et filio quod suum est dare licet, et pater quod debet non nisi alii reddere potest.

A. Quibus convenientius fructum et retributionem suae mortis attribuet quam illis, propter quos salvandos, sicut ratio veritatis nos docuit, hominem se fecit, et quibus, ut diximus, moriendo exemplum moriendi propter iustitiam dedit ? Frustra quippe imitatores eius erunt, si meriti eius participes non erunt. Aut quos iustius faciet haeredes debiti quo ipse non eget, et exundantiae suae plenitudinis, quam parentes et fratres suos, quos aspicit tot

30 ut diximus] Cf. c. praecedens, p. 127,17-128,2.

2 contexionem *N* 23 iure *om. T* 28 attribueret *T*

et tantis debitis obligatos egestate tabescere in profundo miseriarum, ut eis dimittatur quod pro peccatis debent, et detur quo propter peccata carent ?

B. Nihil rationabilius, nihil dulcius, nihil desiderabilius mundus audire potest. Ego quidem tantam fiduciam ex hoc concipio, ut iam dicere non possim quanto gaudio exultet cor meum. Videtur enim mihi quod nullum hominem reiciat deus ad se sub hoc nomine accedentem.

A. Ita est, si accedit sicut oportet. Quemadmodum autem sit ad tantae gratiae participationem accedendum et quomodo sub illa vivendum, nos ubique sacra scriptura docet, quae super solidam veritatem, quam deo adiuvante aliquatenus perspeximus, velut super firmum fundamentum fundata est.

B. Vere quidquid super fundamentum hoc aedificatur, super firmam petram fundatur.

A. Puto me iam aliquantulum tuae satisfecisse quaestioni, quamvis hoc melior me facere plenius possit, et maiores atque plures quam meum aut mortale ingenium comprehendere valeat huius rei sint rationes. Palam etiam est quia deus, ut hoc faceret quod diximus, nullatenus indigebat, sed ita veritas immutabilis exigebat. Licet enim hoc quod homo ille fecit, deus dicatur fecisse propter unitatem personae, deus tamen non egebat ut de caelo descenderet ad vincendum diabolum, neque ut per iustitiam ageret contra illum ad liberandum hominem ; sed ab homine deus exigebat ut diabolum vinceret, et qui per peccatum deum offenderat, per iustitiam satisfaceret. Siquidem diabolo nec deus aliquid debebat nisi poenam, nec homo nisi vicem, ut ab illo victus illum revinceret ; sed quidquid ab illo exigebatur, hoc deo debebat non diabolo.

Capitulum XX.

Quam magna et quam iusta sit misericordia dei.

Misericordiam vero dei quae tibi perire videbatur, cum iustitiam dei et peccatum hominis considerabamus, tam magnam tamque concordem iustitiae invenimus, ut nec maior nec iustior cogitari possit. Nempe quid mise-

10-12 fundatur] Cf. Luc. 6,48. 18-24 diabolo] Cf. l. I, c. VI et VII, p. 53 ss. 27 videbatur] C. l. I, c. XXIV, p. 94,8-9.

5 mihi] modo *N* 9-10 quam deo adiuvante] quando adiuvante *N* 22 aliquid debebat] debeat aliquid *N* 27 Misericordia *N* videbatur perire *M*

ricordius intelligi valet, quam cum peccatori tormentis aeternis damnato et unde se redimat non habenti deus pater dicit : accipe unigenitum meum et da pro te ; et ipse filius : tolle me et redime te ? Quasi enim hoc dicunt, quando nos ad Christianam fidem vocant et trahunt. Quid etiam iustius, quam ut ille cui datur pretium maius omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum ?

Capitulum XXI.

Quod impossibile sit diabolum reconciliari.

Diaboli vero reconciliationem de qua quaesivisti, impossibilem intelliges, si diligenter humanam consideres. Sicut enim homo non potuit reconciliari nisi per hominem-deum qui mori posset, per cuius iustitiam deo restitueretur quod per peccatum hominis perdiderat : ita angeli damnati non possunt salvari nisi per angelum-deum, qui mori possit et qui per suam iustitiam deo reparet quod aliorum peccata abstulerunt. Et sicut homo per alium hominem, qui non esset eiusdem generis, quamvis eiusdem esset naturae, non debuit relevari: ita nullus angelus per alium angelum salvari debet, quamvis omnes sint unius naturae, quoniam non sunt eiusdem generis sicut homines. Non enim sic sunt omnes angeli de uno angelo, quemadmodum omnes homines de uno homine. Hoc quoque removet eorum restaurationem, quia sicut ceciderunt nullo alio nocente ut caderent, ita nullo alio adiuvante surgere debent. Quod est illis impossibile. Aliter enim in dignitatem quam habituri erant non possunt restitui, quoniam sine alieno auxilio per potestatem suam quam acceperant, stetissent in veritate, si non peccassent. Quapropter si quis opinatur salvatoris nostri redemptionem usque ad illos aliquando debere extendi, rationabiliter convincitur quia irrationabiliter decipitur. Quod non dico, quasi pretium mortis eius omnibus hominum et angelorum peccatis sua magnitudine non praevaleat, sed quoniam perditorum angelorum relevationi immutabilis ratio repugnat.

9 quaesivisti] Cf. l. I, c. XVII, p. 75,15. 23 stetissent in veritate] Cf. Ioh. 8,44. 28 repugnat] Ad c. XXI cf. AUGUSTINUS, *Enarrat. in Ps.* LIV, n. 4 (*PL* 36, 630): Diabolus et angeli eius in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem aeternum sint destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio. — *De libero arbitrio*, l. III, c. X, n. 29 (*PL* 32,1286). — *Tract. in Ioh.* CX, n. 7 (*PL* 35,1924). — GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, l. IV, c. III (*PL* 75,641 s.); l. IX, c. L (900 s.).

5 si debito *om. N*

Capitulum XXII.

Quod in iis quae dicta sunt, veteris et novi testamenti veritas probata sit.

B. Rationabilia et quibus nihil contradici possit quae dicis, omnia mihi videntur ; et per unius quaestionis quam proposuimus solutionem, quidquid in novo veterique testamento continetur, probatum intelligo. Cum enim sic probes deum fieri hominem ex necessitate, ut etiam si removeantur pauca quae de nostris libris posuisti, ut quod de tribus dei personis et de ADAM tetigisti, non solum Iudaeis sed etiam paganis sola ratione satisfacias, et ipse idem deus-homo novum condat testamentum et vetus approbet : sicut ipsum veracem esse necesse est confiteri, ita nihil quod in illis continetur verum esse potest aliquis diffiteri.

A. Si quid diximus quod corrigendum sit, non renuo correctionem, si rationabiliter fit. Si autem veritatis testimonio roboratur, quod nos rationabiliter invenisse existimamus, deo non nobis attribuire debemus, qui est benedictus in saecula amen.

7 de tribus dei personis] Cf. c. IX, p. 105 s. de ADAM] Cf. c. XVI, p. 119,18-24. 9-11 diffiteri] Cf. c. XV, p. 116,4-5.

15 amen] *add.* EXPLICIT LIBER ANSELMI CUR DEUS HOMO *R* EXPLICIT CUR DEUS HOMO LIBER ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI (ARCH. CANT. *M*) *BMN* Explicit liber anselmi archiepiscopi cantuariensis cur deus homo *D*

DE CONCEPTU VIRGINALI
ET DE ORIGINALI PECCATO

INDEX SIGLORUM.

B = Oxoniensis Bodleianus (n. 1938) Bodley 271 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

L = Romanus, Bibliotecae Victoris Emmanuelis, 159 (olim Farfensis; codex palimpsestus), s. XII. ineuntis.

R = Rotomagensis 539 (olim Gemmeticensis C. 54), s. XII. ineuntis.

N = Neapolitanus, Bibliotecae Nationalis, VII. D. 11, s. XII. ineuntis.

E = Edinburgensis 104 (olim S. Mariae Radingensis), s. XII.

O = Oxoniensis Bodleianus (n. 3578) e Mus. 112 (olim S. Edmundi), s XII.

U = Trecensis 964 (olim Clarevallensis S. 22), s. XII.

Capitula.

I. Quae sit originalis et quae personalis iustitia vel iniustitia.
II. Qualiter humana natura corrupta est.
III. Quod non sit peccatum nisi in voluntate rationali.
IV. Quod nihil per se sit iustum aut iniustum nisi ipsa iustitia vel iniustitia; et quod nihil puniatur nisi voluntas.
V. Quod malum, quod est peccatum sive iniustitia, nihil sit.
VI. Quod tamen cum punit deus pro peccato, non puniat pro nihilo.
VII. Quomodo semen hominis dicatur immundum et concipi in peccatis, quamvis in eo non sit peccatum.
VIII. Quod in semine sumpto de virgine non sit peccatum nec necessitas futuri peccati.
IX. Cur peccatum quo damnatur humanum genus, magis imputetur ADAE quam EVAE, cum ille post et per illam peccaverit.
X. Cur graventur peccato ADAE, qui eius conscii non fuerunt.
XI. Quod propagatio de virgine non subiaceat legi et meritis naturalis propagationis; et quod tres sint cursus rerum.
XII. Quod mala ADAE nulla rectitudine ad illum hominem transeant.

9 immundum] Cf. Iob 14,4. in peccatis] Cf. Ps. 50,7.

1 INCIPIUNT CAPITULA LIBRI DE CONCEPTU VIRGINALI ET DE ORIGINALI PECCATO *B* INC. CAP. LIBRI ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE CONCEPTU VIRG. ET DE OR. PECC. *NU* Incipiunt capitula libri De conceptu virginali et originali peccato *Mediolanensis Ambrosianus H. 112. Inf.* (*s. XII. ineunte ex L transcriptus*) INC. CAP. IN LIBRUM EIUSDEM ANSELMI DE CONCEPTU VIRGINALI *R* Inc. cap. eiusdem anselmi de conceptu virginali *E* Incipit liber eiusdem de conceptu virginali et de originali peccato. Capitula *O* 1-138,2 Capitula — illum] *deest, cum unum folium excisum sit L*

XIII. Quod et si non esset deus sed purus homo, necesse tamen esset illum talem esse, qualis primus homo factus est.
XIV. Quod propositae rationi non refragetur quod scriptum est hominem de immundo semine et in iniquitatibus conceptum, etiamsi de aliquibus proprie dictum sit.
XV. Quomodo massa peccatrix non sit tota peccatrix.
XVI. Cur IOHANNES et alii qui similiter concepti sunt per miraculum, non sint per se liberi a peccato.
XVII. Cur deus incarnatus sit, cum de ADAM posset facere homines non-deos sine peccato tot quot sufficerent.
XVIII. Quod de virgine iusta deus conceptus sit non necessitate, quasi de peccatrice non posset, sed quia sic decebat.
XIX. Quomodo ista ratio et altera alibi data concordent et differant.
XX. Quod natus de virgine pro originali peccato habuit originalem iustitiam.
XXI. Quare non potuit habere personalem iniustitiam.
XXII. De quantitate originalis peccati.
XXIII. Cur et quomodo descendat in infantes.
XXIV. Quod peccata parentum post ADAM non computentur in originali peccato filiorum.
XXV. Quomodo noceant animabus eorum.
XXVI. Quomodo tamen nullus portet peccatum patris, sed suum.
XXVII. Quid sit originale peccatum; et quod in omnibus sit aequale.
XXVIII. Contra illos qui non putant infantes debere damnari.
XXIX. Quomodo impotentia habendi iustitiam excuset eos post baptisma.

4 semine] Cf. Iob 14,4. conceptum] Cf. Ps. 50,7.

11 non] in *N* 13 different *O* 16 iniustitiam] iustitiam *O* 18 descendat] defendat *N* 19 post] pro (*sic saepius*) *L* 25 post baptisma] EXPLICIUNT CAPITULA *omnes codices excepto O addunt*

De conceptu virginali et de originali peccato.

Cum in omnibus religiosae tuae voluntati velim si possim obsequi,
3 frater et fili carissime BOSO : tunc utique maxime debitorem me iudico,
cum eam a me in te excitari intelligo. Certus autem sum, cum in libro
Cur deus homo, quem ut ederem tu maxime inter alios me impulisti, in
6 quo te mecum disputantem assumpsi, legis aliam praeter illam quam ibi posui
posse videri rationem, quomodo deus accepit hominem de massa peccatrice
humani generis sine peccato : quia studiosa mens tua ad quaerendum quaenam
9 illa sit non parum provocatur. Quapropter iniustus tibi videri timeo, si quod
inde mihi videtur dilectioni tuae abscondo. Dicam igitur sic breviter de hoc
quod sentio, ut nullius de eadem re fidelem improbem sententiam, nec meam,
12 si veritati repugnare probari rationabiliter poterit, pervicaciter defendam. Illam
tamen eiusdem rei rationem quam in eodem opusculo posui, omnino ratam
et sufficientem si bene consideretur existimo. Nihil enim prohibet eiusdem
15 rei rationes plures esse, quarum unaquaeque sola potest sufficere.

5-6 assumpsi] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. I, p. 48,11-15. 6-8 sine peccato] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. XVII, p. 126,5-19.

1 INCIPIT LIBER ANSELMI DE CONCEPTU VIRGINALI ET DE ORIGINALI PECCATO *U* INC. LIB. ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI (ARCH. CANT. *R*) DE CONC. VIRG. ET DE ORIG. PECC. *BRN* Incipit liber anselmi cantuariensis episcopi. de conceptu virginali et de originali peccato *L* Inc. lib. de conc. virg. et orioinali (*sic*) peccato editus ab anselmo cantuariensi archiepiscopo *O* Inc. lib. anselmi arch. de conc. virg. *E* 2 *Ante* Cum *numerum I ponunt NO* in omnibus] in hominibus *L* 6 te *om. L* legis] Legis *L* aliam] autem *L* 8 ad quaerendum] adquirendum *O* 13 eiusdem ratione rei *L* omnino] omni *L*

Capitulum I.

Quae sit originalis et quae personalis iustitia vel iniustitia.

Ad videndum igitur qualiter deus hominem assumpsit de generis humani massa peccatrice sine peccato, primum de originali peccato necesse est investigare, quia de hoc solo nascitur haec quaestio. Nam si videtur quomodo Christus huic subiacere non potuit, palam erit qualiter assumptio sive conceptio illius hominis ab omni peccato libera fuit.

‚Originale' quidem ab origine denominari dubium non est. Si ergo originale peccatum non est nisi in homine, videtur dici aut ab origine humanae naturae, quod est ab eius initio originale, eo quod ab ipsa humanae naturae origine trahatur ; aut ab origine, hoc est ab initio uniuscuiusque personae, quoniam in ipsa eius trahitur origine. Sed quod ab initio humanae naturae descendat non videtur, quoniam origo illius iusta fuit, quando primi parentes iusti facti sunt sine omni peccato. Videtur itaque dici originale ab ipsa origine uniuscuiusque personae humanae. Quamvis si quis dicat peccatum vocari originale, eo quod ab illis descendat in singulos a quibus habent originem naturae, non contradicam, si tamen non negetur originale peccatum cum ipsa uniuscuiusque personae origine trahi. Licet enim in unoquoque homine simul sint et natura qua est homo, sicut sunt omnes alii, et persona qua discernitur ab aliis, ut cum dicitur ‚iste' vel ‚ille', sive proprio nomine, ut ADAM aut ABEL, et uniuscuiusque peccatum sit in natura et persona – fuit enim peccatum ADAE in homine, quod est in natura, et in illo qui vocatus est ADAM, quod est in persona –: est tamen peccatum quod quisque trahit cum natura in ipsa sui origine, et est peccatum quod non trahit cum ipsa natura, sed ipse facit illud postquam iam est persona discreta ab aliis personis. Illud quidem quod trahitur in ipsa origine vocatur ‚originale', quod potest etiam dici ‚naturale', non quod sit ex essentia naturae, sed quoniam propter eius corruptionem cum illa assumitur. Peccatum autem quod quisque

13-14 peccato] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. I, p. 97 s. 18-21 ABEL] Cf. *De incarnatione verbi*, n. XI, p. 29,4-9.

3 Ad] *cum littera initiali O sine omni incisione N ceteri codd. numerum I in margine ponunt* deus *om. LNE ; Paris. 2883 (s. XII) ; in B* deus hominem (*ab altera manu*) *in rasura* 8 quidem *om. O* 8-9 originale *om. E* 21 fuit] Fuit *O* 24-25 in ipsa — natura *om. U*

facit postquam persona est, ‚personale' potest nominari, quia vitio personae fit. Simili ratione dici potest originalis et personalis iustitia. Siquidem ADAM et EVA ‚originaliter', hoc est in ipso sui initio mox ut homines extiterunt, sine intervallo simul iusti fuerunt. ‚Personalis' autem dici potest iustitia, cum iniustus accipit iustitiam, quam ab origine non habuit.

Capitulum II.

Qualiter humana natura corrupta est.

Ergo ADAM et EVA si iustitiam servassent originalem: qui de illis nascerentur, originaliter sicut illi iusti essent. Quoniam autem personaliter peccaverunt, cum originaliter fortes et incorrupti haberent potestatem semper servandi sine difficultate iustitiam: totum quod erant infirmatum et corruptum est. Corpus quidem, quia tale post peccatum fuit, qualia sunt brutorum animalium, corruptioni et carnalibus appetitibus subiacentia. Anima vero, quia ex corruptione corporis et eisdem appetitibus atque ex indigentia bonorum quae perdidit, carnalibus affectibus est infecta. Et quia tota humana natura in illis erat et extra ipsos de illa nihil erat, tota infirmata et corrupta est.

Remansit igitur in ea debitum iustitiae integrae sine omni iniustitia quam accepit, et debitum satisfaciendi, quia eam deseruit, cum ipsa corruptione quam propter peccatum incurrit. Sicut itaque si non peccasset, qualis facta est a deo talis propagaretur: ita post peccatum qualem se peccando fecit talis propagatur. Quoniam igitur per se nec satisfacere pro peccato nec iustitiam derelictam recuperare valet, et »corpus quod corrumpitur aggravat animam«, et tunc maxime quando infirmius est – ut in infantia et in utero matris –, ut nec intelligere iustitiam possit: videtur esse necesse eam in infantibus nasci cum debito satisfaciendi pro primo peccato, quod semper cavere potuit, et cum debito habendi originalem iustitiam, quam semper servare

5 non habuit] Ad c. I cf. AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione*, l. I, c. X, n. 11 (*CSEL* LX, p. 12; *PL* 44,115): Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, in quo peccato omnes peccaverunt, certe manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. 21-22 valet] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XX-XXIII, p. 86 ss. 22-23 animam] Sap. 9,15.

1 postquam *om. U* 11 corruptum] incorruptum *U* 15 Et] et *O* 23 infirmum *O* 25 pro] post (p̊) *N*

valuit. Nec impotentia excusat eam in ipsis infantibus, quia in illis non solvit quod debet, quoniam ipsa sibi eam fecit deserendo iustitiam in primis parentibus in quibus tota erat, et semper debitrix est habere potestatem, quam ad semper servandum iustitiam accepit. Hoc esse videri potest in infantibus originale peccatum.

Addamus etiam peccata proximorum parentum, quae redduntur »in tertiam et quartam generationem«. Quamvis enim quaeri possit, utrum haec omnia intelligenda sint in originali peccato annon : tamen ne propter hoc quod quaero videar illud levigare, ponam illud esse tale, ut a nullo gravius ostendi possit.

Capitulum III.

Quod non sit peccatum nisi in voluntate rationali.

Verum sive hoc totum sit originale peccatum, sive aliquid minus : puto nullatenus illud posse asseri esse in infante, antequam habeat animam rationalem, sicut nec in ADAM fuisse iustitiam, priusquam fieret homo rationalis. Nam si ADAM et EVA generassent sine praecedenti peccato, non tamen esset in semine iustitia nec esse posset, priusquam formaretur in viventem hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile iustitiae, priusquam fiat homo, non potest suscipere originale peccatum, antequam homo sit.

Nempe originale peccatum esse iniustitiam dubitari non debet. Nam si omne peccatum est iniustitia et originale peccatum est peccatum, utique est et iniustitia. Sed si dicit aliquis : non est omne peccatum iniustitia : dicat posse simul in aliquo et esse aliquod peccatum et nullam esse iniustitiam, quod videtur incredibile. Si vero dicitur originale peccatum non esse absolute dicendum peccatum, sed cum additamento ‚originale' peccatum, sicut pictus homo non est vere homo sed pictus homo : profecto sequitur quia infans qui nullum habet peccatum nisi originale, mundus est a peccato ; nec fuit solus inter homines filius virginis in utero matris et nascens de matre sine peccato ; et aut non damnatur infans qui moritur sine baptismo nullum habens peccatum praeter originale, aut sine peccato damnatur. Sed nihil horum accipimus. Quare omne peccatum est iniustitia, et originale peccatum est absolute pec-

6-7 generationem] Cf. Ex. 20,5; et passim.

3 debetrix *O* 6 etiam] et *O* 18 fiat] fit *L* 26 vere] verus *L*

catum. Unde sequitur quia est et iniustitia. Item. Si deus non damnat hominem nisi propter iniustitiam, damnat autem aliquem propter originale peccatum : ergo non est aliud originale peccatum quam iniustitia. Quod si ita est, et iniustitia non est aliud quam absentia debitae iustitiae – non enim videtur esse iniustitia nisi in natura, quae cum debet habere iustitiam non habet – : utique originale peccatum clauditur sub eadem definitione iniustitiae.

At si iustitia est ‚rectitudo voluntatis propter se servata', nec ista rectitudo potest esse nisi in rationali natura : ergo ita non est ulla natura debitrix iustitiae nisi rationalis, sicut nulla natura susceptibilis est iustitiae praeter rationalem. Quare quoniam iniustitia non potest esse nisi ubi iustitia debet esse, originale peccatum quod est iniustitia, non est nisi in natura rationali. Rationalis autem natura non est nisi deus et angelus et anima hominis, per quam homo dicitur rationalis et sine qua non est homo. Quoniam ergo non est originale peccatum in deo nec in angelo, non est nisi in hominis anima rationali.

Sciendum quoque est quia iustitia non potest esse nisi in voluntate, si iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata. Quare nec iniustitia. Non enim vocatur absentia iustitiae iniustitia, nisi ubi debet esse iustitia. Nihil itaque praeter ipsam iustitiam vel iniustitiam dicitur iustum vel iniustum, nisi voluntas aut propter voluntatem iustam vel iniustam. Per hanc dicimus iustum vel iniustum hominem vel angelum, iustam vel iniustam animam sive actionem.

Capitulum IV.

Quod nihil per se sit iustum aut iniustum nisi ipsa iustitia vel iniustitia ; et quod nihil puniatur nisi voluntas.

Nihil enim, sive substantia sive actio sive aliquid aliud, per se consideratum est iustum nisi iustitia, aut iniustum vel peccatum nisi iniustitia, nec ipsa voluntas in qua est iustitia sive iniustitia. Aliud enim est vis illa animae qua ipsa anima vult aliquid, quae vis ‚instrumentum' volendi potest dici, sicut visus instrumentum videndi, quam ‚voluntatem' nominamus ; et

4 debitae iustitiae] Cf. *De casu diaboli*, c. XVI, vol. I, p. 259 ss. 7 servata] Cf. *De veritate*, c. XII, vol. I, p. 191 ss.

13-14 Quoniam ergo non est in deo nec in angelo originale peccatum *E* Quoniam ergo in deo nec in angelo non est orig. peccatum *O* 14 in anima hominis *U* 17 quare *L* 20 aut] vel *O* Per] *hic incip. c. IV O* 21 sive] vel *E*

aliud est iustitia, quam habendo ‚iusta' voluntas et qua carendo ‚iniusta' vocatur. Dicuntur etiam ‚voluntates' eiusdem instrumenti affectiones et usus, quod hic longum est inserere.

Nec ipsi appetitus, quos apostolus »carnem« vocat, quae »concupiscit adversus spiritum«, et »legem peccati«, quae est »in membris«, »repugnantem legi mentis«, iusti vel iniusti sunt per se considerati. Non enim hominem iustum faciunt vel iniustum sentientem, sed iniustum tantum voluntate cum non debet consentientem. Dicit enim idem apostulus »nihil« »damnationis« esse »iis qui sunt in Christo IESU, qui non secundum carnem ambulant«, id est qui non carni voluntate consentiunt. Nam si sentientem sine consensu iniustum facerent, sequeretur damnatio. Quare non eos sentire, sed eis consentire peccatum est. Si enim per se iniusti essent, quotiens illis consentiretur, iniustum facerent. Sed quando bruta animalia illis consentiunt, non dicuntur iniusta. Item. Si peccata essent, auferrentur in baptismo, cum omne peccatum abstergitur, quod nequaquam fieri palam est. Quare non est in eorum essentia ulla iniustitia, sed in voluntate rationali illos inordinate sequente. Cum enim illis resistit voluntas condelectando legi dei secundum interiorem hominem, tunc est iusta voluntas. Iustitiam enim quam lex iubet, et »legem dei« dicit, quia a deo est, et »legem mentis«, quia per mentem intelligitur; sicut lex vetus »lex dei« dicitur, quia a deo est, et »lex MOYSI«, quia per MOYSEN ministrata est.

Quod quidem dixi nullam actionem per se iniustam dici, sed propter iniustam voluntatem: in illis planum est quae non iniuste fieri possunt aliquando, ut est hominem occidere, sicut fecit FINEES, et utriusque sexus commixtio, ut in coniugio sive in brutis animalibus. In illis vero quae numquam nisi iniuste possunt esse, ut est periurium, et quaedam alia quae nec nominanda sunt, non ita facile intelligitur. Sed si aliqua actio qua fit ali-

3 inserere] Cf. *De concordia*, qu. I, n. XI. 4-5 adversus spiritum] Gal. 5,17. 5 legem peccati] Cf. Rom. 7,25. 5-6 mentis] Cf. ibidem, v. 23. 8-9 ambulant] Rom. 8,1. 18 legem dei] Cf. Rom. 7,22;25. 19 legem mentis] Cf. ibidem, v. 23. 20 lex dei] Cf. Esdr. 7,21; et passim. lex MOYSI] Cf. Ios. 8,31; et passim. 24 FINEES] Cf. Num. 25,7 ss. 26-27 nominanda sunt] Cf. Eph. 5,3.

9 iis] his *EU* qui sunt in Christo Iesu *om. NE; Paris. 2479 (s. XII. ex.); in B totus hic locus (16-25) ab altera manu in rasura scriptum est (cf. Epist. IV, 42 [PL 159,225])* 12 iniusti essent per se *O* 18 Iustitia *E* 18-19 dicit dei *E* 27 Sed si] si *om. N*

quid, quae non est nisi dum fit aliquid, et eo peracto transit ut iam non sit, aut opus quod fit et remanet – verbi gratia cum in scribendo quod scribi non debet transit scriptio, qua fiunt figurae quae remanent –, esset peccatum : transeunte actione ut iam non sit, transiret similiter peccatum nec iam esset ; aut quamdiu remaneret quod fit, numquam deleretur peccatum. Sed videmus peccata saepe et non deleri actione deleta, et deleri opere non deleto. Quare nec actio quae transit nec opus quod remanet est aliquando peccatum.

Denique si de actionibus voluntariis quae iniuste fiunt arguuntur, membra et sensus quibus fiunt respondere possunt : ‚Deus nos et potestatem quae in nobis est subiecit voluntati, ut ad imperium eius non possimus non movere nos et facere quod vult. Immo illa movet nos velut instrumenta sua, et facit opera quae videmur facere. Nec nos possumus illi per nos resistere, nec opera quae facit possunt non fieri. Dominae quam nobis deus dedit, nec debemus nec possumus non obedire. Quando illi obedimus, deo qui hanc legem nobis dedit obedimus‘. Ergo quid peccant membra vel sensus vel opera, quae deus sic subiecit voluntati, si servant quod deus illis ordinavit ? Quidquid igitur faciunt, totum imputandum est voluntati.

Quod cum ita sit, miratur forsitan aliquis, cur pro culpa voluntatis membra puniuntur et sensus. Verum non ita est. Non enim punitur nisi voluntas. Nam nihil est alicui poena nisi quod est contra voluntatem, et nulla res poenam sentit nisi quae habet voluntatem. Membra autem et sensus per se nihil volunt. Sicut igitur voluntas in membris et sensibus operatur, ita in illis ipsa torquetur aut delectatur. Quod si quis non accipit : sciat in sensibus et membris non nisi animam in qua est voluntas sentire et operari, et ideo in illis torqueri aut delectari. Habet tamen usus, ut actiones quas facit iniusta voluntas vocemus peccata, quia in voluntate qua fiunt est peccatum. Dantur etiam quibusdam nomina quibus significatur eas iniuste fieri, ut fornicatio, mendacium. Sed aliud intelligitur cum ipsa actio vel prolatio, aliud cum utrum iuste an iniuste fiat consideratur. Denique omnis essentia est a deo, a quo nihil est iniustum. Quare nulla essentia est iniusta per se.

21 contra voluntatem] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. XII, p. 112. 30-31 per se] Cf. *De casu diaboli*, c. VII, vol. I, p. 244,23-26; 245,4-5.

1 peracto] pacto *O* 3 qua] quo *N* esset] esse *EO* 5 remanet *L* 11 non movere] immovere *U* 12 quod] quo *N* vult] iubet *E* 14 Dominae] D. *L* 16 nobis legem *O* 18 igitur] ergo *N* 26 Habet] hos *E* tamen] tantum *O* 26-27 quas facit *om.* *L* 30 an] vel *O* fiant *O*

Capitulum V.

Quod malum, quod est peccatum sive iniustitia, nihil sit.

Iniustitia autem omnino nihil est, sicut caecitas. Non enim est aliud caecitas quam absentia visus ubi debet esse, quae non magis est aliquid in oculo ubi debet esse visus, quam in ligno ubi non debet esse. Non enim est iniustitia talis res, qua inficiatur et corrumpatur anima, velut corpus veneno, et quae faciat aliquid, sicut videtur, quando malitiosus homo mala facit opera. Nam quemadmodum cum indomita fera ruptis vinculis discurrendo saevit, et cum navis, si gubernator dimisso gubernaculo dimittat eam ventis et motibus maris, vagatur et invehitur in quaelibet pericula, dicimus quia hoc facit absentia catenae aut gubernaculi – non quod absentia eorum aliquid sit aut quicquam faciat, sed quoniam si adessent facerent ne fera saeviret aut navis periret –: ita cum malus homo saevit et in quaelibet animae suae pericula quae sunt mala opera impellitur, clamamus quia haec operatur iniustitia; non quod ipsa ulla essentia sit aut faciat aliquid, sed quoniam voluntas cui subditi sunt omnes voluntarii motus totius hominis, absente iustitia diversis appetitibus impulsa se et omnia sibi subdita in multimoda mala levis et effrenata et sine rectore praecipitat, quod totum iustitia, si adesset, prohiberet ne fieret.

Ex his ergo facile cognoscitur quia iniustitia nullam habet essentiam, quamvis iniustae voluntatis affectus et actus, qui per se considerati aliquid sunt, usus ‚iniustitiam' vocet. Hac ipsa ratione intelligimus malum esse nihil. Sicut enim iniustitia non est aliud quam absentia debitae iustitiae, ita malum non est aliud quam absentia debiti boni. Nulla autem essentia quamvis mala dicatur est nihil, nec malam esse est illi esse aliquid. Nulli enim essentiae est aliud malam esse, quam deesse illi bonum quod debet habere. Deesse vero bonum quod debet adesse, non est aliquid esse. Quare malam esse non est ulli essentiae aliquid esse.

Haec brevitur de malo, quod semper est nihil indubitanter, quod est iniustitia, dixi. Incommoditas enim est malum, unde incommoda mala dicuntur; quae aliquando nihil est, ut caecitas et surditas, aliquando videtur esse ali-

3 Iniusta *U* 5 debet[1]] deberet *E* quam in ligno ubi non debet esse *om. L* 6-7 veneno] vent o (*rasura*) *U* 7 aliquid] aliud *O* 14 haec] hoc *O* 16 totius] motius *L* 27 malam] malum *U* 29 est nihil] est *add. E*

quid, ut dolor et tristitia. Quod autem iustitia sit rectitudo voluntatis propter se servata, et iniustitia non sit aliud quam absentia debitae iustitiae et nullam habeat essentiam, quod etiam omnis essentia sit a deo, et nihil sit a deo nisi bonum : sufficienter me puto ostendisse in eo tractatu quem feci *De casu diaboli ;* sed de iustitia plenius in illo quem edidi *De veritate.*

Capitulum VI.

Quod tamen cum punit deus pro peccato, non puniat pro nihilo.

Quidam cum audiunt peccatum nihil esse, solent dicere: Si peccatum nihil est, cur punit deus hominem pro peccato, cum pro nihilo nemo puniri debeat ? Quibus quamvis humilis sit quaestio, tamen quia quod quaerunt ignorant, aliquid breviter respondendum est.

Licet pariter nihil sit absentia iustitiae, et ubi debet esse iustitia et ubi non debet esse : punit tamen deus recte peccatores, non pro nihilo sed propter aliquid, quia – ut in praefato libro dixi – et debitum sibi honorem quem sponte reddere noluerunt ab invitis exigit, et ne quid inordinatum sit in regno eius, eos separatim a iustis ordine competenti disponit. Creaturas autem in quibus iustitia non debet esse non punit pro absentia iustitiae, hoc est pro nihilo, quia non est aliquid quod ab illis exigat, nec ordo congruus universitatis rerum hoc expostulat. Sic itaque cum punit deus pro peccato quod est absentia debitae iustitiae – quae nihil est –, non omnino punit pro nihilo, et verum est quia nisi sit aliquid propter quod punire debeat, omnino non punit pro nihilo.

Capitulum VII.

Quomodo semen hominis dicatur immundum et concipi in peccatis, quamvis in eo non sit peccatum.

Iam peccatum et iniustitiam nihil esse, et haec non esse nisi in rationali voluntate, nec ullam essentiam proprie dici iniustam nisi voluntatem, ex iis

146,29-147,1 tristitia] Cf. *De casu diaboli*, c. XXVI, vol. I, p, 274,8-10. 4-5 *De casu diaboli*] Cf. cc. IX-XI, XV, XVI, XIX, XXVI, vol. I, p. 246 ss. 5 *De veritate*] Cf. c. XII, vol. I, p. 191 ss. 14 in praefato libro] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XIV, p. 72; c. XII, p. 69 ss.

8 Si] si *U* 10 quaestio sit *E* quia tamen *L* 11 aliquid *om. E* 15 exiget *L* ne quid] nequit *N* 16 eos *om. L* 19 univers.] inuniversitatis *L* 21 aliquid sit *E* 21-22 et verum — pro nihilo *om. U* 22 non *om. N* 26 iniustitia *U* 27 ex his *REU*

quae dicta sunt apertum esse existimo. Videtur itaques equi quod aut infans statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatem rationalem nequit habere, aut in eo non est peccatum originale mox cum conceptus est. Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sequitur enim ut quotiens susceptum semen humanum – etiam ab ipso momento susceptionis – perit, antequam perveniat ad humanam figuram : totiens damnetur in illo anima humana, quoniam non reconciliatur per Christum ; quod est nimis absurdum. Haec igitur pars huius divisionis penitus relinquenda est.

Sed si non statim infans ex ipsa conceptione habet peccatum : quid est quod dicit IOB deo : »quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es ?« Et quomodo verum est quod dicit DAVID : »in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea« ? Quaeram igitur si possum quomodo, quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, de immundo tamen semine in iniquitatibus et in peccatis concipi dicantur.

Saepe utique scriptura divina asserit aliquid esse quando non est, idcirco quia certum est futurum esse. Sic quippe deus ADAE de ligno vetito dicit : »in quacumque die comederis ex eo, morte morieris« ; non quod ea die mortuus sit corpore, sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi. Et PAULUS similiter ob necessitatem moriendi aliquando ait : »Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem«. Non enim corpora eorum quibus loquebatur mortua erant, sed moritura propter peccatum, quia »per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors«. Sic in ADAM omnes peccavimus quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, et tunc facta est illa necessitas ut cum essemus peccaremus, quoniam »per unius inoboedientiam peccatores constituti sunt multi«.

11-12 solus es?] Iob 14,4. 13 mea?] Ps. 50,7. 19 morieris] Gen. 2,17 (Vulg.: in quocumque enim die). 22-23 iustificationem] Rom. 8,10. 24-25 mors] Rom. 5,12 (Vulg.: peccatum in hunc mundum). 28-29 multi] Rom. 5,19 (Vulg.: per inoboedientiam unius hominis).

4-5 habeat animam *U* 10 quid] Quid *U* 19 commederitis *L* 22 Si] si *E* 25 peccatum in hunc mundum *E*

Simili modo de immundo semine in iniquitatibus et in peccatis concipi potest homo intelligi, non quod in semine sit immunditia peccati aut peccatum sive iniquitas, sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione ex qua incipit homo esse accipit necessitatem, ut cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quae non est aliud quam peccatum et iniquitas. Nam et si vitiosa concupiscentia generetur infans, non tamen magis est in semine culpa, quam est in sputo vel sanguine, si quis mala voluntate exspuit aut de sanguine suo aliquid emittit. Non enim sputum aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo et in infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum, et vera sint quae de divina scriptura opposui. Quippe non est in illis peccatum, quia non habent sine qua non inest voluntatem ; et tamen dicitur inesse, quoniam in semine trahunt peccandi, cum homines iam erunt, necessitatem.

Capitulum VIII.

Quod in semine sumpto de virgine non sit peccatum nec necessitas futuri peccati.

Si ergo haec ut puto vera sunt: quod assumitur ad prolem de parente, quia nullam habet voluntatem, nullum est in eo peccatum. Itaque perspicuum est quoniam in eo quod filius dei in personam suam assumpsit de virgine, nulla potuit esse peccati macula. Sed dictum est quia semen a parentibus trahitur cum necessitate peccati futuri, cum fuerit animatum anima rationali. Hoc utique non est propter aliud, nisi quia humana natura nascitur in infantibus – ut dixi – cum debito satisfaciendi pro peccato ADAE, et secundum quod posui proximorum parentum, quod nequaquam facere potest, et quamdiu non facit peccat; et quia sola non valet per se iustitiam habere quam deseruit, et anima quae aggravatur corpore quod corrumpitur, nequit eam saltem intelligere, quae nec servari nec haberi potest non intellecta. Quapropter si ab his necessitatibus semen assumptum de virgine liberum ostendi poterit, palam erit quia nullam peccati necessitatem traxit.

20 dictum est] Cf. caput praecedens. 23 ut dixi] Cf. c. II, p. 141 s. 24 posui] Ibidem. 26 corrumpitur] Cf. Sap. 9,15.

5 habeat peccati] habebat peccatum *O* 6 *post* et si *ab alia manu* ex *insert. B* 6-7 in semine magis est *E* 7 expuat *E* 8 emittat *E* 9 igitur] ergo *N* 18 quia] quoniam *U*

Quod illa quidem necessitas qua humana natura sola per se iustitiam recuperare nequit, et illa qua corpus quod corrumpitur aggravat animam, ut eandem iustitiam nec acceptam in aetate perfecta sine auxilio gratiae servare nec in infantibus saltem intelligere queat, ab illo semine sint alienae : facile monstrari valet per unitatem personalem assumentis et assumptae naturae, si prius necessitas illa repellitur, qua ad satisfactionem pro peccatis primorum et proximorum parentum astringi videtur. Sed quod illud nullum sequatur a proximis parentibus debitum dubium non erit, si a debito primorum liberum intelligi poterit. Hoc igitur adiuvante deo conabor primum quomodo cognosci possit investigare, quatenus hoc monstrato in aliis non sit necesse multum laborare.

Capitulum IX.

Cur peccatum quo damnatur humanum genus, magis imputetur ADAE quam EVAE, cum ille post et per illam peccaverit.

Ad quod videtur mihi quaerendum in primis, cur saepius et specialius peccatum quo damnatum est humanum genus, [magis] imputetur ADAE quam EVAE, cum illa prior peccaverit et ADAM post et per illam. Dicit enim apostolus : »Sed regnavit mors ab ADAM usque ad MOYSEN, etiam in eos qui non peccaverunt in similititudinem praevaricationis ADAE«. Multa quoque alia leguntur quae magis ADAM quam EVAM criminari videntur.

Quod ideo fieri existimo, quia illa duorum copula tota intelligitur in nomine principalis partis, sicut saepe per partem totum solet significari ; aut quoniam ADAM cum costa sua quamvis aedificata in mulierem dici poterat ‚ADAM', sicut legitur quia deus »masculum et feminam fecit eos et benedixit illis, et vocavit nomen eorum ADAM in die quo creati sunt« ; aut idcirco, quia si non ADAM sed sola EVA peccasset, non necesse erat totum genus hominum perire, sed solam EVAM. Poterat namque deus de

10 investigare] Cf. cc. IX ss. in aliis] Cf. cc. XXIV ss. 18-19 ADAE] Rom. 5,14. 23 in mulierem] Cf. Gen. 2,22. 24-25 creati sunt] Gen. 5,2 (Vulg.: fecit] creavit).

7 Sed] sed *L* 16 genus humanum *E* magis] *sic BU; Paris. 2883; Divionensis 182 (s. XII.)* *om. LRNEO; Ebroicensis 86 (s. XII.)* 17 Dicit] dicit *O* 21 intelligitur tota *E* 23-24 in mul. aedif. adam dici poterat *E* 25 nomen *om. U* 27 hominum] humanum *E*

ADAM, in quo semen omnium hominum creaverat, aliam facere mulierem, per quam de ADAM propositum dei perficeretur. Eisdem rationibus signifi-
3 cabo eos ambos per nomen ADAE, nisi cum necesse erit eos discernere.

Capitulum X.

Cur graventur peccato ADAE, qui eius conscii non fuerunt.

6 Est quidem unusquisque filius ADAE et homo per creationem, et ADAM per propagationem, et persona per individuitatem, qua discernitur ab aliis. Non enim habet esse hominem ab ADAM, sed per ADAM. Nam
9 sicut ADAM non se fecit hominem, ita non fecit in se naturam propagandi, sed deus qui eum creavit hominem, fecit in eo hanc naturam ut de illo propagarentur homines. Dubium autem non est unde unusquisque alligetur
12 debito de quo agitur. Non enim inde, quia homo est nec quia persona est. Nam si idcirco unusquisque huius debiti reus est quia est homo aut persona, necesse erat ADAM, priusquam peccasset, hoc debito astrictum esse, quia
15 erat homo et persona; quod est absurdissimum. Restat igitur ut per hoc tantum sit debitor, quia est ADAM, sed non simpliciter quia est ADAM, sed quia est peccator ADAM. Nempe sequeretur quia, si numquam pec-
18 casset ADAM, tamen qui de illo propagarentur cum hoc debito nascerentur; quod impium est.

Non incongruum est hic repetere quod iam supra dictum est, cur sci-
21 licet unusquisque peccato vel debito ADAE gravatur, idcirco quia de illo

2 propositum dei] Cf. *Cur deus homo,* l. I, c. XVI, p. 74 s. 3 discernere] Ad c. IX. cf. AUGUSTINUS, *Contra Iulian. op. imperf.*, l. II, c. CLXXIII (*PL* 45,1216): Iam quidem responsum est tibi, cur non mulierem nominaverit, ex qua fuit initium peccati, sed unum hominem; aut ut ipsa quoque in illo intelligeretur propter unam carnem, aut quod a viro incipit generatio, per quam volebat ostendere in mundum intrasse peccatum. — *Ibidem,* c. CLXXIX (1219 s.): Ex illo ergo uno principaliter erant tracturi nascentes originale peccatum, qui genuit. Illa autem (qua coniuncta duo fuerunt) quod excepit, concepit, peperitque posterior quamvis peccaverit prior. — *Ibidem,* c. CXCIV (1225): Sed quia generationem, non imitationem, volebat intelligi, *Per unum,* inquit, *hominem peccatum intravit in mundum*: aut ambos singulari numero includens, propter quod dictum est, *Igitur iam non sunt duo* (Matth. 19,6); aut eum potissimum commemorans, a quo est principium generandi, cum seminatio exorditur, ut conceptio subsequatur. 20 supra] Cf. c. II, p. 141,22-24.

2 Eisdem] eisdem *O* 9 natura *NU* 12 de quo] nunc *add. E* 13 unusquisque iccirco *U* 15 igitur] ergo *E* 20 Non] *hic incip. c. X N*

propagatur, cum eiusdem peccati conscius non fuerit. Cum deus fecit ADAM, fecit in eo naturam propagandi, quam subiecit eius potestati ut ea uteretur pro sua voluntate, quamdiu ipse vellet subditus esse deo. Nam non illa uteretur bestiali et irrationabili voluptate, sed humana et rationabili voluntate. Sicut enim bestiarum est nihil velle cum ratione, ita hominum esset nihil velle sine ratione. Quod semper debent, quia potestatem hanc accepit ADAM, et eam semper servare potuit. Dedit etiam illi deus hanc gratiam, ut sicut quando illum condidit nulla propagandi operante natura aut voluntate creaturae simul fecit eum et rationalem et iustum, ita simul cum rationalem haberent animam iusti essent, quos generaret operante natura et voluntate, si non peccaret.

Eadem quippe ratione qua monstratur rationalem naturam iustam esse creatam – quod in praefato feci opusculo –, probatur etiam quod qui ex humana natura propagarentur non praecedente peccato, ex necessitate iustitiam pariter haberent cum rationalitate. Siquidem qui creavit primum hominem sine parentum generatione, creat etiam eos qui per creatam ab illo fiunt propagandi naturam. Omnis igitur homo si peccatum non praecessisset, simul esset sicut ADAM et iustus et rationalis. Quoniam vero ADAM subditus noluit esse dei voluntati, ipsa natura propagandi quamvis remaneret non fuit subdita eius voluntati, sicut esset si non peccasset, et gratiam quam de se propagandis servare poterat perdidit, atque omnes qui operante natura quam acceperat propagantur, eius astricti debito nascuntur. Quamobrem quoniam humana natura quae sic erat in ADAM tota, ut nihil de illa extra illum esset, peccando sine omni necessitate deum exhonoravit, unde per se satisfacere non potuit : gratiam quam acceptam propagandis de se potuit semper servare perdidit, et peccatum secum comitante poena peccati, quantumcumque per datam propagandi naturam propagetur, trahit.

12-13 opusculo] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. I, p. 97 s. 24-25 non potuit] Cf. *ibidem*, l. I, c. XXII, p. 90.

3 non in illa *L* 4 irrationali *O* 7 etiam *om. N* 11 peccarent *L* 12 ratione qua] ratio equa *U* monstrat *L* 13 creatam] creaturam *L* 14-15 pariter iustitiam *U* 19 noluit] voluit *L* 20 de se] non se *U* 26 peccati] peccatum *L*

Capitulum XI.

Quod propagatio de virgine non subiaceat legi et meritis naturalis propagationis; et quod tres sint cursus rerum.

Nunc diligenter considerandum est, utrum haec quasi haereditas peccati et poenae peccati ad hominem per virginem de ADAM propagatum iuste pertranseat. Certum quidem est quod ADAM non accepit naturam propagandi nisi per virum simul et mulierem. Siquidem non habet humana natura et impossibile cognoscitur, ut solus vir aut sola mulier hominem generet, natura tantum et voluntate propria operante. Sicut namque limus terrae non acceperat naturam aut voluntatem, qua operante vir primus de illo fieret, quamvis esset de quo a deo fieri posset: sic non est facta mulier de costa viri aut vir de sola muliere operante natura aut voluntate hominis, sed deus propria potestate et voluntate fecit virum unum de limo et alterum de sola femina, et feminam de solo viro. Licet enim nihil fiat nisi voluntate dei faciente aut permittente, quaedam tamen sola potestas et voluntas eius facit, quaedam creata natura, quaedam voluntas creaturae. Sed sicut creata natura nihil facere per se potest, nisi quod a voluntate dei accepit, ita voluntas creaturae nequit per se quicquam operari, nisi quod natura adiuvat aut concedit. Sola dei voluntas fecit in principio rerum naturas dans quibusdam competentes singulis voluntates, ut naturae et voluntates secundum ordinem sibi traditum suum opus in rerum cursu persolverent; et adhuc multa facit, cum de eisdem naturis et voluntatibus operatur, quod illae secundum suum usum et propositum nequaquam facerent.

Solius quippe voluntatis dei opus est, cum mare siccum iter intra se populo praebet, cum mortui resurgunt, cum aqua subito in vinum convertitur, cum sancto spiritu corda hominum ea quae nec per se nec per aliam creaturam sciunt docentur, cum noxiae voluntates a suo impetu sola gratia regente ad hoc quod prodest convertuntur, cum alia multa fiunt, quae nec creatura nec eius voluntas per usitatum cursum suum operaretur. Natura levia sursum, gravia deorsum trahit, terram aliquando voluntate prius colente et seminante, aliquando nullo voluntatis opere praecedente herbas et arbores innumeras

12-13 voluntate et potestate *U* 14 voluntatem *O* 16 natura *om.* *U* 21 de eisdem] deisdem *O* 22 voluptatibus *ex* volutatibus *O* 26 nec per se] nec *om.* *N*

producere et eas fructificare facit, et alia multa quae facilius visu quam doctrina cognoscimus. Voluntati illa imputantur quae sunt huiusmodi : Iter facere, aedificare, scribere, loqui, et similia quae non nisi voluntas facit.

Cum igitur omnia quae fiunt, si diligenter considerentur, fiant aut sola voluntate dei, aut natura secundum vim illi a deo inditam, aut voluntate creaturae ; et ea quae nec natura creata nec voluntas creaturae sed solus deus facit, semper miranda sint : apparet quia tres sunt cursus rerum, scilicet mirabilis, naturalis, voluntarius. Et mirabilis quidem aliis aut eorum legi nullatenus est subditus, sed libere dominatur ; neque illis facit iniuriam, quando eis obviare videtur, quia nihil habent nisi quod ab illo acceperunt, nec ille dedit eis aliquid nisi sub se. Quoniam ergo propagatio viri de sola virgine ita non est naturalis aut voluntaria sed mirabilis, sicut illa quae mulierem protulit de solo viro, et sicut creatio viri de limo : palam est quia nequaquam subiacet legibus et meritis illius propagationis, quam et voluntas et natura – quamvis discrete – operantur. Aliud enim ibi facit voluntas, aliud natura. Pariter tamen verus est homo et ADAM de non-homine, et IESUS de sola muliere, et EVA de solo viro, sicut est verus homo quilibet vir aut mulier de viro et muliere. Omnis autem homo aut ADAM est aut de ADAM ; sed EVA de solo ADAM, et omnes alii de ADAM et EVA. Quoniam namque MARIA, de qua sola est IESUS, de ADAM est et EVA : non potest ipse de eisdem non esse. Sic namque expediebat ut qui redempturus erat genus hominum, esset et nasceretur de patre et matre omnium.

Capitulum XII.

Quod mala ADAE nulla rectitudine ad illum hominem transeant.

Quomodo autem filius virginis non subiaceat peccato aut debito ADAE, sic quoque non est difficile intelligere. Siquidem ADAM factus est iustus et liber a peccato et debito saepefato et a poena peccati, et beatus et potens semper servare acceptam iustitiam, et per iustitiam eam quam dixi libertatem et beatitudinem. Quoniam ergo cum haec bona sine omni difficultate posset semper servare, sibi non servavit : ea sibi ipse abstulit et

26-27 a peccato] Cf. *Cur deus homo,* l. I, c. XXII, p. 90,9: Homo in paradiso sine peccato factus.

2 Iter] Item *R*

horum se contrariis subiecit. Factus est itaque servus peccati sive iniustitiae, et debiti quod reddere nequivit, et miseriae de qua est impotentia bona perdita recuperandi. Sicut igitur aliter nequivit auferre sibi bona quae habebat, ac attrahere mala quae non habebat, quam non servando sibi bona cum potuit : ita nulli alii valuit eadem bona auferre atque mala inferre, nisi non servando bona cui servare quivit. Servare autem nulli potuit ea bona nisi illis, quorum generationis potestatem voluntati subditam accepit. Nulli ergo personae quamvis de se propagatae transmittere mala praedicta potuit, in cuius generatione nec natura illi data propagandi, nec voluntas eius quicquam operata est aut operari valuit. Quare ADAE mala praedicta nulla ratione aut rectitudine ad hominem conceptum de virgine pertranseunt.

Capitulum XIII.

Quod et si non esset deus sed purus homo, necesse tamen esset illum talem esse, qualis primus homo factus est.

Item. Si diligenter puro rationis intuitu sapientem dei speculamur iustitiam, nimis absurdum intelligitur, ut per illud semen quod non creata natura, non voluntas creaturae, non ulli data potestas producit aut seminat, sed solius dei propria voluntas ad procreandum hominem nova virtute, mundum a peccato, de virgine segregat : alieni peccati seu debiti sive poenae ad eundem hominem necessitas ulla pertranseat, etiam si non assumatur in personam dei, sed ut purus homo fiat. Nam eadam ipsa ratione, qua non debuit deus ADAM facere nisi iustum nec aliquo debito sive incommodo gravatum : aperte mens rationalis cognoscit eum quem similiter propria voluntate et virtute procreat, alicui malo subditum fieri non debere ; quoniam nimis inconveniens est omnipotenti et sapienti dei bonitati talem facere rationalem naturam sola propria voluntate, de materia in qua nullum est peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoscit quid deo non conveniat. Quapropter etiam si purum hominem sic faceret deus, ut dictum est : necesse esset eum non minori praeditum iustitia et beatitudine, quam fuit ADAM cum primum factus fuit.

11 pertranseunt] Ad c. XII, cf. AUGUSTINUS, *Sermo* CLII, n. 9 (*PL* 38,824): Ipse non habebat peccatum... Nullum prorsus, nec trahendo, nec addendo : nullum peccatum habuit, nec originis, nec propriae iniquitatis. Originem virgo demonstrat; conversatio vero eius sancta satis ostendit nihil eum fecisse unde dignus esset morte. 21-22 nisi iustum] Cf. c. X, p. 152,12-13.

15 Item si *N* 24 quoniam] quam *L* 29 primus *L*

Capitulum XIV.

Quod propositae rationi non refragetur quod scriptum est hominem de immundo semine et in iniquitatibus conceptum, etiamsi de aliquibus proprie dictum sit. 3

Nam si mens alicuius non capit quod de semine hominis dixi, scilicet non esse in illo peccatum ante animam rationalem, sed immundum dici peccato et iniquitate propter futuram immunditiam cum iam erit homo, atque 6 putat illud immundum esse in ipsa conceptione, propterea quia – sicut ipse mihi opposui – legitur: »quis potest facere mundum de immundo conceptum semine«, et: »in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me 9 mater mea«: non hic laboro, quia non indigeo, ut quod non potest capere capiat, sed peto ut quod breviter dicam attendat.

Illi utique qui haec dixerunt, aut voluerunt ea intelligi de omni hominis 12 semine, aut tantum de illo quod cum sensu seminatur voluptatis, quae non esset nisi brutorum animalium, si homo non peccasset. At si de omni hoc senserunt, ergo semen de sola virgine sumptum immundum tanti viri asserue- 15 runt; quod impium est credere. Non itaque hoc de illo scripserunt, sed si de aliquo hominis semine secundum istius sensum protulerunt, non nisi de illo quod cum praedicta voluptate concipitur intelligi voluerunt. Hoc autem 18 nullatenus refragatur nostrae rationi, quae semen de virgine sumptum asserit esse mundum, quamvis sit de massa peccatrice.

4-5 rationalem] Cf. c. III, p. 142 s. 8-9 semine] Iob 14,4. 9-10 mater mea] Ps. 50,7. 5-10 mea] Cf. c. VII, p. 147 ss. 10-11 capiat] Cf. Matth. 19,12. 20 de massa peccatrice] Ad c. XIV cf. AUGUSTINUS, *Sermo* CLXX, c. IV (*PL* 38,929): Propter hanc ergo singularem innocentiam ait Psalmus, *Tibi soli peccavi...*: quia nihil mali in te invenit. Quare autem in te invenit, o genus humanum? Quia sequitur et dicit, *Ego enim in iniquitate conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Ps. 50,6-7). Dicit hoc David. Quaere unde natus sit David: invenies de legitima uxore, de nullo adulterio. Secundum quam ergo propaginem dicit, *In iniquitate conceptus sum;* nisi quia ibi est quiddam de mortis propagine, quod secum trahit omnis qui ex coniunctione viri et feminae nascitur? — *De peccatorum meritis et remissione*, l. I, c. XXIX (*CSEL* LX, p. 57; *PL* 44,142): Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis virgo concepit; sola nostro vulneri medicinam parere potuit, quae non ex peccati vulnere germen piae prolis emisit.

1 *numerum XIV om. R* 5 in illo] in illum *N* 8-9 semine conceptum *E* 13 cum sensu] consensu *L* consesu *U* 14 de omnibus *L* 17 hominis *om. E* 19 de virgine sumptum semen *E* 19-20 esse asserit *E* 20 de massa sit *E*

Capitulum XV.

Quomodo massa peccatrix non sit tota peccatrix.

Nam quemadmodum caecitas non est in aliqua parte hominis, quamvis homo dicatur caecus, nisi in oculo ubi debet esse visus – non enim est in manu vel in pede –, nec surditas est nisi in aure cum homo dicitur surdus: ita licet massa generis humani peccatrix nominetur, non tamen in ulla parte eius est peccatum nisi, ut dixi, in voluntate, quam in nulla hominis conceptione semen habere cognoscitur. Quamobrem nulla ratione vera aut verisimili contradicente si considerentur quae supra dicta sunt, iam libere possumus concludere quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem ex sola virgine conceptum de peccato massae peccatricis, quamvis de illa sit assumptus, aliquid potuisse aut debuisse accedere, etiam si non esset deus.

Capitulum XVI.

Cur IOHANNES et alii qui similiter concepti sunt per miraculum, non sint per se liberi a peccato.

Quod si obiciuntur mihi IOHANNES Baptista et alii, qui de sterilibus et in quibus prae senectute natura generandi iam erat emortua propagati sunt, et quasi per similem rationem putantur debuisse nasci sine peccato et poena peccati, quia per miraculum concepti sunt: valde utique intelligenda est ab istis aliena ratio illa, quae virginalem conceptionem liberam ab omni peccati monstrat necessitate. Aliud enim est aliquid inauditum et inopinabile atque naturae incognitum facere, et aliud naturam aut aetate aut aliquo vitio debilitatam sanare et ad suum opus revocare. Nam si ADAM non peccasset: sicut ipse nulla senectute, nulla causa infirmaretur, sic natura propagandi creata in illo et ad utendum – ut iam dictum est – eius potestati subdita, nullo casu a suo cursu impediretur. Non ergo in IOHANNE et similibus

7 ut dixi] Cf. c. III, p. 142 s. 26 dictum est] Cf. c. XI, p. 153 s.

4 nisi *om.* *U* 6 non] Non *O* in ulla] in *om.* *L* 7 in nulla] in ulla *L* 9 si *om.* *O* 11 massa *E* 17 obicitur *O* de sterelibus *L* 18 propagandi *U* 23 naturae] natura *U* et aliud] et *om.* *O* 24 Nam si] Nisi *L*

est aliquid novum naturae ADAE, sicut est in filio virginis datum, sed quod suis causis infirmatum erat, cognoscitur esse reparatum. Quare quoniam illi per propagationem naturalem datam ADAE sunt generati, nequaquam possunt aut debent ei de quo agimus in conceptionis assimilari miraculo, ut ab originalis peccati vinculo absoluti possint ostendi.

Capitulum XVII.

Cur deus incarnatus sit, cum de ADAM posset facere homines non-deos sine peccato tot quot sufficerent.

Forsitan dicit aliquis : Si purus homo qui deus non esset potuit fieri de ADAM sine omni peccati contagione, sicut dicis : cur necesse fuit deum incarnari, cum aut per unum talem qui esset sine omni peccato posset peccatores deus redimere, aut tot quot necessarii erant ad perficiendam supernam civitatem homines simili miraculo facere ?

Ad quod breviter respondeo. Ideo deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios – sicut in saepefato opusculo monstratum est –, homo non-deus. Idcirco etiam non fecit tot homines tales quot necessarii erant, ne si nullus de propagatione naturali salvaretur, frustra naturam illam in ADAM condidisse, et quasi quod non bene fecisset correxisse videretur ; quod summae sapientiae non convenit de aliqua natura facere.

Non longe supra investigare proposui, quomodo semen sumptum de virgine, in quo monstratum erat nullum esse peccatum, liberum a necessitatibus praedictis in quibus omnes alios homines concipi posueram, posset intelligi. Et de illa quidem necessitate qua recuperare iustitiam quam deseruit humana natura, per se nequit, et de illa qua »corpus quod corrumpitur aggravat animam« et maxime in infantibus illud liberari posse, quia homo ille deus esset, confidebam, si prius ab illo necessitas peccati et debiti ADAE et proximorum parentum rationabiliter alienaretur. Incepi itaque quaerere quomodo valeret hoc intelligi de necessitate peccati et debiti ADAE, ut de aliis postea

9-12 redimere] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. V, p. 52. 15-16 monstratum est] Cf. *ibidem*, l. II, c. VI, p. 101. 20 supra] Cf. c. VIII, p. 149 s. 24-25 animam] Sap. 9,15.

3 per *om. L* 5 ut] aut *L* 9 dicit] dicet *LRN; Paris. 2883* Si] *hic incip. c. XVII L* 11 qui esset *om. U* 12 quot] quod *LN* 16 Hiccirco *L* 20 Non] *hic incip. c. XVIII N* 26 confidebam] infidebam *N* 28 intelligi de] intelligende *L*

facilius quod quaerebam inveniretur, et abundante gratia illius de cuius conceptionis agitur munditia factum est, ut non modo ab omni peccato et debito et necessitatibus praefatis liberum cognosceretur, sed insuper hominem ita conceptum esse debere praeditum non minori iustitia vel beatitudine, quam in qua factus est ADAM, intelligibili ratione – etiam si non deus sed purus esset homo – probaretur. Siquidem pariter irrationabile videbatur, et peccatum aut poenam peccati ab ullis parentibus ad illum per talem propagationem descendere, et deum sponte rationalem naturam iniustam aut nulla eius promerente iniustitia miseram facere.

Capitulum XVIII.

Quod de virgine iusta deus conceptus sit non necessitate, quasi de peccatrice non posset, sed quia sic decebat.

Quamvis ergo de mundissima virgine filius dei verissime conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret, sed quia decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat ut ea puritate, qua maior sub deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui deus pater unicum filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis dei patris et virginis filius, et quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat, et de qua spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedebat. Qualiter autem virgo eadam per fidem ante ipsam conceptionem mundata sit, dixi, ubi aliam rationem de hoc ipso unde hic agitur reddidi.

Capitulum XIX.

Quomodo ista ratio et altera alibi data concordent et differant.

Quae duae rationes intellectui meo videntur ad quaestionem unaquaeque per se sufficere, sed ambae simul animo vim rationis et decorem actionis

1-3 cognosceretur] Cf. cc. XI-XII, p. 153 ss. 3-6 probaretur] Cf. c. XIII, p. 155. 23-25 reddidi] Cf. *Cur deus homo,* l. II, c. XVI, p. 116 ss. 28-29 sufficere] Cf. initium operis, p. 139,12-15.

1 gratiam *O* 7 paena *L* per] pro *O* 21 substantiliter *L* 23 Qualiter] *hic incip c. XIX N* 26 numerus *deest O*

quaerenti copiose satisfacere. Et quamvis ad idem tendant, in hoc tamen differunt, quod ista quidem, quam hic protuli, monstrat deum etiam de peccatricis virginis substantia – quoniam nusquam est in hominis natura praeter voluntatem peccatum –, prolem debere iustam immo non nisi iustam nulla ratione repugnante tali propagatione producere ; illa vero probat quia, etiam si in tota virginis essentia peccatum esset, tamen ad huiusmodi conceptionis munditiam per fidem munda fieri posset. Atque in ista omnis necessitas mortis et cuiuslibet corruptionis sive laboris ab illo homine aperte excluditur ; in illa autem quaestio de hoc oriri videtur, sed sufficienti ratione, si diligenter perspecta fuerit, dissolvitur. Quapropter ex utraque palam est, quia nihil nisi pia voluntate dominus ac redemptor noster sustinuit in omnibus quae passus est.

Capitulum XX.

Quod natus de virgine pro originali peccato habuit originalem iustitiam.

Ut mihi videtur, de peccato quidem originali – sicut proposui – sufficienter ostensum est, quomodo ad hominem de virgine conceptum nulla ratione descendere a parentibus potuit, sed potius iustus et beatus fieri ratione exigente debuit. Quamobrem quoniam de iusto patre secundum divinam et de iusta matre secundum humanam naturam iustus ab ipsa origine – ut ita dictum sit – natus est : non incongrue pro originali iniustitia, quam omnes alii filii ADAE habent a sua origine, iustitiam originalem habere dicendus est.

Capitulum XXI.

Quare non potuit habere personalem iniustitiam.

At de personali iniustitia superfluum est disputare quod ad illum non attigerit, quoniam humana natura numquam in illo sine divina fuit, nec illius anima umquam aggravata contra voluntatem aut ullo modo impedita est corpore corruptibili. Quae anima quoniam ipsa, immo totus ille homo et verbum dei, deus, una persona semper extitit, numquam sine perfecta iustitia

25 aggravata] Cf. Sap. 9,15.

1 copiosis *L* 5 pducere *L* illa] ille *L* 8 concluditur *N* 10 perspecta] perfecta *L* 17 Quem ob rem *E* 23 At] Et *L* 25-26 corpore est *E* 26 ipsa] ipse *O* 27 semper *om. O*

et sapientia et potestate fuit, quam semper a se ipso ille secundum personam sicut deus habuit, licet in naturis humana a divina quod habuit acceperit.
3 Altiorem autem aliam rationem quomodo deus assumpsit hominem de massa peccatrice sine peccato velut azymum de fermentato, praeter istam quam hic et illam quam alibi posui, esse non nego. Quam si mihi ostensa
6 fuerit libenter accipio, et meas si – quod non arbitror – contra veritatem esse poterint ostendi, non teneo.

Capitulum XXII.

9 ### *De quantitate originalis peccati.*

Porro peccatum originale nec maius potest esse quam dixi, nec minus quam : quia cum infans iam rationalis est, humana natura non habet in illo
12 iustitiam quam accepit in ADAM et quam semper debet habere, neque eam excusat impotentia quia non habet, sicut supra dictum est. Illud tamen non per omnia tam grave, sicut supra posui, existimo. Nam quoniam ad
15 hominem de virgine conceptum ostendere volebam illud non pertinere, tale illud constitui cui aliquid non posset addi, ne – sicut dixi – propter hoc quod investigabam viderer pondus eius minorare. De quo quid mihi nunc
18 videatur, breviter aperiam.

Peccatum ADAE ita in infantes descendere, ut sic pro eo puniri debeant, ac si ipsi illud singuli fecissent personaliter sicut ADAM, non puto,
21 quamvis propter illud factum sit, ut eorum nullus possit nasci sine peccato, quod sequitur damnatio. Cum enim dicit apostolus quia »mors regnavit ab ADAM usque ad MOYSEN, etiam in eos qui non peccaverunt in simili-
24 tudinem praevaricationis ADAE« : aperte videtur significare quod non illis personaliter imputetur ipsa ADAE praevaricatio aut aliquid tam magnum, quamvis omnes filios ADAE – excepto virginis filio – »peccatores« et

3-4 de fermentato] Cf. *Cur deus homo,* l. II, c. XVI, p. 116,17-20. 5 alibi] Cf. *ibidem.* 10 dixi] Cf. c. II, p. 141 s. 14 supra] Cf. ibidem, p. 142,1-4. 15 supra] Ibidem. 16 dixi] Ibidem, 142,7-10. 22-24 ADAE] Rom. 5,14 (Vulg.: regnavit mors). 26 peccatores] Cf. Rom. 5,8; et passim.

5 alibi] albi *O* 6 contra virtutem *L* 8 *numerum capituli om. L* 11 quam *om. E* 12 debet *om. L* 21 propter illud] illud *om. L*

»filios irae« in scriptis suis pronuntiet. Nam cum ait: »etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis ADAE«: potest sic intelligi ac si dicat: etiam in eos, qui non tantum peccaverunt quantum ADAM peccavit praevaricando. Et cum ait: »lex autem subintravit ut abundaret delictum«: aut intelligemus peccatum ante legem in illis, »qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis ADAE«, minus quam ADAE peccatum; aut si minus non erat, abundavit in eis peccatum post legem ultra peccatum ADAE; quod intelligere nequeo cum illud considero. De cuius pondere et satisfactione in *Cur deus homo* quod mihi visum est, sicut iam legisti, exposui. Verum est tamen quia nullus ad hoc, ad quod homo factus est et propagatio illi data est, restituitur, nec a malis in quae cecidit humana natura eruitur, nisi per satisfactionem illius peccati, per quod in eadem mala ipsa se praecipitavit.

Dicet aliquis: Si non habent singuli peccatum ADAE: quomodo asseris nullum salvari sine satisfactione peccati ADAE? Nam qualiter exigit iustus deus ab illis satisfactionem peccati quod non habent? At deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet; sed quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddit pro omnibus qui salvantur plus quam debent, sicut iam in saepefato opusculo dixi.

Adhuc alio quoque modo videndum est, qua ratione peccatum minus sit in infantibus quam in ADAM, cum ab illo in omnes descendat. »Per unum« enim »hominem« – quod est per ADAM – »peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors«.

Capitulum XXIII.

Cur et quomodo descendat in infantes.

Cur autem minus sit non cognoscitur, si cur et quomodo insit non intelligitur. Quod quamvis dictum sit supra, quantum opus erat ad hoc quod

1 filios irae] Cf. Eph. 2,3. 4-5 delictum] Rom. 5,20. 9-10 exposui] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XXI ss., p. 88 ss. 21-23 mors] Rom. 5,12 (Vulg.: in hunc mundum intravit). 27 supra] Cf. c. X, p. 151 s.

3 qui non tantum] *quae sequuntur, usque ad verba* sed spiritus sanctus et *in c. sequente* (*164,9*), *desunt in U* 7 post] pro *L* 9 pondere et] ponderet *L* satisfactionem *L* 14 quomodo] quo *N* 26 si] sicut *O*

quaerebatur, tamen non erit superfluum si hic breviter repetitur. Equidem negari nequit infantes in ADAM fuisse cum peccavit. Sed in illo causaliter sive materialiter velut in semine fuerunt, in se ipsis personaliter sunt; quia in illo fuerunt ipsum semen, in se sunt singuli diversae personae. In illo non alii ab illo, in se alii quam ille. In illo fuerunt ille, in se sunt ipsi. Fuerunt igitur in illo, sed non ipsi, quoniam nondum erant ipsi.

Forsitan dicet aliquis: Istud esse quo alii homines in ADAM fuisse dicuntur, quasi nihil et inane quiddam est, nec est nominandum ‚esse'. Dicat ergo illud esse fuisse nihil aut vanum sive falsum, quo fuit Christus secundum semen in ABRAHAM, in DAVID et in aliis patribus, et quo omnia quae sunt ex semine fuerunt in seminibus, et nihil fecisse deum, cum omnia quae procreantur ex semine ipse fecit prius in seminibus ipsis, et dicat nihil vel vanum aliquid esse hoc, quod si vere non esset, haec quae videmus esse non essent. Si enim verum non est ea quae natura procreat ex seminibus, in illis prius aliquid fuisse, nullo modo essent ex ipsis. Quod si haec dicere stultissimum est, non falsum vel vanum, sed verum et solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alii homines in ADAM, nec fecit deus inane aliquid, cum eos in illo fecit esse. Sed – sicut dictum est – in illo fuerunt non alii ab illo, et ideo longe aliter quam sunt in se ipsis.

Verum quamvis constet eos omnes in illo fuisse, solus tamen filius virginis valde diverso modo ab aliis in illo fuit. Omnes quippe alii sic fuerunt in illo, ut per naturam propagandi, quae potestati et voluntati eius subdita erat, de illo essent; solus vero iste non sic in eo fuit, ut per naturam aut voluntatem eius de illo fieret. De aliis enim acceperat ADAM quando peccavit, ut esset hoc de quo illi futuri erant, et ut de illo essent; de isto vero, ut esset hoc unde futurus erat, non autem ut de illo esset, quia non erat

1-3 fuerunt] Cf. AMBROSIUS, *In Lucam*, l. VII, n. 234 (*CSEL* XXXII, p. 387; *PL* 15,1852 B): Fuit Adam, et in illo fuimus omnes: periit Adam, et in illo omnes perierunt. — AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XIII, c. XIII (*CSEL* XXXX, pars I, p. 632; *PL* 41,386): Deus enim creavit hominem rectum, naturarum auctor, non utique vitiorum; sed sponte depravatus iusteque damnatus depravatos damnatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quae de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus; sed iam erat natura seminalis, ex qua propagaremur...

1 Equidem] *hic incip. c. XXIII N* 2 nequit negari *E* 5 Fuerunt] fuerunt *L*
7 Istud] Illud *N* 12 nihil *om. L* 16 fuit esse *E* 23 erat] erit *L*

in eius potestate, ut de ipso propagaretur. Sed nec in potestate eius erat, ut de alia essentia aut de nihilo fieret. Quare non erat in eo, ut hic aliquo modo esset. Nam nec in potestate naturae nec in potestate voluntatis eius erat, ut esset quoquo modo. Erat tamen in eo natura de qua propagandus erat, non eius sed dei potestate. Nam etsi usque ad virginem matrem in parentibus et voluntas seminavit et natura germinavit, ut ipsa virgo partim naturali, partim voluntario cursu ad suum esse ab ADAM perduceretur, sicut omnes alii: in illa tamen nec voluntas creaturae prolem seminavit nec natura germinavit, sed »spiritus sanctus« et »virtus altissimi« de virgine-muliere virum mirabiliter propagavit. De aliis ergo erat in ADAM, id est in eius potestate, ut de illo essent; de isto vero non erat in illo ut aliquo modo esset, sicut non erat in limo, unde primus vir factus est ut esset de illo mirabiliter, neque in viro ut EVA de illo – quemadmodum facta est – esset. Sed nec in aliquo eorum, in quibus fuit ab ADAM usque ad MARIAM, erat ut esset. Fuit tamen in illis, quia erat in eis unde ipse assumendus erat, quemadmodum erat in limo unde primus homo factus est, et in eo unde EVA facta est, non voluntate creaturae aut potestate, sed sola divina virtute; sed iste tanto mirabilius et maiori gratia, quanto illi puri homines, hic homo-deus factus est. Valde itaque diverso modo iste erat in ADAM quando peccavit, quam erant illi, qui voluntario et naturali cursu procreantur. Illos ergo quodam modo facit ADAM, quos per acceptam potestatem humana voluntas seminando et natura germinando procreant; istum vero non nisi deus fecit quamvis de ADAM, quia non per ADAM, sed per se velut de suo.

Quid ergo convenientius ad ostendendam magnitudinem bonitatis dei et ad plenitudinem gratiae quam ADAE concedebat, quam ut quorum esse in illius potestate sic erat, ut quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent, ita quoque in eius esset arbitrii libertate, ut qualis erat ipse iustitia et felicitate, tales eos propagaret? Hoc igitur illi datum est. Quoniam itaque in tantae gratiae celsitudine positus, bona quae sibi et illis servanda acceperat sponte deseruit: idcirco filii perdiderunt, quod pater, cum servando illis dare posset, non servando abstulit. Haec mihi videtur sufficiens ratio, cur ad

9 altissimi] Cf. Luc. 1,35.

9 virtus altissimi] *his verbis prosequitur U* 12 de illo esset *E* 15 in illis] in *om. L* 20 naturali] natura *U* 22 precreant *E* 24 ostendandam *E* ostendam *N* 27 libertate arbitrii *O* 28 tale *L* est *om. U* 30 hiccirco *L* cum servando] conservando *O*

infantes peccatum et mala descendant ADAE, si diligenter remota nostra voluntate, quae saepe et multum impedit mentem ab intellectu rectitudinis, ipsa pura iustitia consideretur. Qualiter autem peccatum idem mihi videatur ad eos descendere, paucis expediam.

Est peccatum a natura, ut dixi ; et est peccatum a persona. Itaque quod est a persona, potest dici ‚personale' ; quod autem a natura, ‚naturale', quod dicitur ‚originale'. Et sicut personale transit ad naturam, ita naturale ad personam, hoc modo : Quod ADAM comedebat, hoc natura exigebat ; quia ita ut hoc exigeret creata erat. Quod vero de ligno vetito comedit, non hoc voluntas naturalis, sed personalis, id est propria fecit. Quod tamen egit persona, non fecit sine natura. Persona enim erat quod dicebatur ADAM; natura, quod homo. Fecit igitur persona peccatricem naturam, quia cum ADAM peccavit, homo peccavit. Siquidem non quia homo erat, ut vetitum praesumeret impulsus est ; sed propria voluntate, quam non exegit natura sed persona concepit, attractus est. Similiter fit in infantibus e converso. Nempe quod in illis non est iustitia quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis, sicut in ADAM, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab ADAM. In ADAM namque, extra quem de illa nihil erat, est nudata iustitia quam habebat, et ea semper nisi adiuta caret. Hac ratione quoniam natura subsistit in personis et personae non sunt sine natura, facit natura personas infantum peccatrices. Sic spoliavit persona naturam bono iustitiae in ADAM, et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et iniustas facit. Hoc modo transit peccatum ADAE personale in omnes qui de illo naturaliter propagantur, et est in illis originale sive naturale.

Verum patet magnam esse distantiam inter peccatum ADAE et peccatum eorum ; quia ille peccavit propria voluntate, illi naturali peccant necessitate, quam propria et personalis illius meruit voluntas. Sed cum nemo dubitet quia par poena non sequatur imparia peccata, in hoc tamen similis est personalis et originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine qua non redditur quod pro ADAE peccato debetur, quamvis non omnes pariter in in-

5 ut dixi] Cf. c. I, p. 140 s.

5 et est peccatum] est *bis* *N* 7 naturalem *L* 12 quod homo] Quod tamen egit persona *add.* *L* 14 sed[2]] Sed *O* 19 et eam *L* 20 quoniam] quã (*corr.*) *L* 22 ipsa] ipse *EU* 31-32 reditur *L*

ferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicii nullus erit angelus aut homo, nisi aut in regno dei aut in inferno. Ita igitur et peccatum infantum minus est quam peccatum ADAE, et nullus tamen sine illa universali satisfactione salvatur, per quam et magnum et parvum peccatum dimittitur. Cur autem non sit sine illa morte, et quomodo per illam sit salus hominum: in praefato libro, sicut mihi deus dedit, quaesivi et dixi.

Capitulum XXIV.

Quod peccata parentum post ADAM non computentur in originali peccato filiorum.

Parentum vero proximorum peccata ad originale peccatum non aestimo pertinere. Quippe si ADAM nequivisset ad eos quos generaturus erat iustitiam suam producere, nequaquam posset eis suam iniustitiam transmittere. Quare quoniam nullus post ADAM filiis suis quivit suam iustitiam servare, nullam video rationem cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari. Denique nulli dubium est quod infantes nullam servant rectitudinem voluntatis propter ipsam rectudinem. In hoc ergo sunt omnes pariter iniusti, quia nullam habent quam omnis homo debet habere iustitiam. Haec nuditas iustitiae descendit ad omnes ab ADAM, in quo humana natura se spoliavit eadem iustitia. Nam etsi in ADAM illi remansit aliqua iustitia, ut in rebus aliquibus rectam servaret voluntatem: sic tamen privata est illo dono, quo sibi iustitiam custodire poterat in posteros, ut in nullo eorum ipsa cum aliqua iustitia se propagare queat. Plus utique in infantibus auferre sibi non valuit, quam omnem iustitiam et beatitudinem, quae nulli datur aliqua carenti debita iustitia.

Quod autem proximorum iniustitia parentum possit hanc augere iustitiae nuditatem, qua non valet in infantes ab ADAE peccato maior descendere, non videtur possibile. Nam ubi nulla est iustitia, nulla potest auferri iustitia. Unde autem nulla potest absentari iustitia, ibi addi nulla valet iniustitia.

5-6 in praefato libro] In *Cur deus homo.* 15-16 rectitudinem] Cf. definitionem iustitiae in *De veritate*, c. XII, vol. I, p. 191 ss.

4 et magnum] et *om.* *E* 10 ad originalem *L* 13 post] pro *U* 15 nullam] nulla *L* 16 voluntatis propter ipsam rectitudinem *om.* *U* 17 homo *om.* *L* 20 servare *R* 27 ubi est nulla *B*

Nullam ergo infantibus suis addere queunt iniusti parentes iniustitiam super praedictam nuditatem iustitiae. At ubi nulla est iustitia, nil prohibet aliquam poni iustitiam. Verisimilius igitur et possibilius videtur – si parentes iniusti aliquam suis infantibus addere dicuntur iniustitiam – quod iusti suis possint aliquam dare iustitiam. Quod si fit, habent infantes iustorum aliquam iustitiam. Si vero hoc est, levius damnantur quam infantes iniustorum, si moriuntur sine baptismo ; aut si salvantur, cum aliquo suo praecedenti merito eliguntur. Quod PAULUS apostolus negat, ubi per IACOB et ESAU probat nullum nisi omnium merita praeveniente gratia salvari. Quoniam itaque nullam dant iusti parentes ante baptismum infantibus suis iustitiam, nullam utique addunt iniusti suis iniustitiam.

Quod si dicitur : non addunt iniusti parentes suis infantibus aliquam iniustitiam, quibus auferre nequeunt ullam iustitiam, sed originalem quam habent ab ADAM faciunt in eis graviorem : ergo et iusti in suis eam reddunt leviorem. Quare si minus sunt iniusti infantes iustorum quam iniustorum, minus debent reprobari quam illi. Quod dicat qui audet et ostendere potest; ego vero non audeo, cum mixtim videam et iustorum et iniustorum infantes ad baptismi gratiam eligi et ab illa reprobari. Sed et hoc si quis dicit, non valet ostendere. Quippe sicut hoc modo non est iusto iustior, nisi qui voluntate magis aut appetit aut vitat quod debet, ita non est iniusto iniustior, nisi qui plus aut amat aut contemnit quod non debet. Si igitur infantes nequeunt ostendi, mox ut animam habent, alius alio magis vel minus velle quod debent aut quod non debent, nemo potest probare quod in infantibus alius alio nascatur iustior vel iniustior. Pariter ergo nec iusti sua iustitia reddere videntur in suis infantibus originalem iniustitiam leviorem, nec iniusti in suis sua iniustitia graviorem. Quapropter si parentes iniusti nec numero nec magnitudine queunt originale peccatum suis infantibus suo peccato augere, videtur mihi peccata parentum post ADAM in infantum originali peccato non deputari.

Non nego propter merita bona parentum filiis multa et magna beneficia corporis et animae impendi, et propter peccata parentum filios et nepotes »usque in tertiam et quartam generationem« et forsitan ultra diversis tribu-

8-9 salvari] Cf. Rom. 9,10-13. 31 generationem] Cf. Ex. 20,5.

6 damnantur] dampnaretur *U* 13 iustitiam] iniustitiam *E* 15 quam iniustorum *om. U* 18 ab illo *L* 22 mox aut *L* 25 iniusti] iusti *N* sua iniustitia in suis *E* 26 si] sine *L* 28 post] pro *L* 29 Non] *hic incip. c. XXV N* Non nego] Ñego *L* multa filiis *E*

lationibus in hac vita flagellari, et ea perdere bona etiam in anima quae forsitan per illos consequerentur, si iusti essent – quorum exempla longum est nimis hic inserere –; sed dico peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter aequale esse, sicut peccatum ADAE, quod est causa cur nascantur in illo, ad omnes pertinet aequaliter.

Capitulum XXV.

Quomodo noceant animabus eorum.

Si autem peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum: hoc modo potius fieri existimo, non quod ea illis deus imputet, aut quod eos in aliqua delicta propter parentes inducat, sed quoniam, sicut saepe meritis parentum filios iustorum a peccatis eruit, ita filios iniustorum eorum meritis in suis aliquando derelinquit. Quoniam enim nemo liber est a peccato nisi deo liberante: cum non liberat dicitur ‚inducere', et cum non mollit ‚indurare'. Namque satis videtur susceptibilius quod deus animam peccatricem, cui nihil praeter poenam debet, propter parentum peccata in suis dimittat peccatis ut pro ipsis puniatur, quam quod eam alienis oneret, ut pro illis torqueatur. Ita igitur sine repugnantia et originale peccatum est idem in omnibus, et »filius non portabit iniquitatem patris«, et »unusquisque onus suum portabit«, et recipiet »prout gessit« in corpore »sive bonum sive

5 aequaliter] Ad c. XXIV cf. AUGUSTINUS, *Enchiridion,* c. XLVI (*PL* 40,254 s.): Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur... Quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata, et alia parentum, quae etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat. — GREGORIUS MAGNUS, *Moralia,* l. XV, c. LI (*PL* 75,1110):... Peccatum quippe originale a parentibus trahimus; et nisi per gratiam baptismatis solvamur, etiam parentum peccata portamus: quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit parentum peccata in filios: quia cum ab originali culpa per baptismum liberamur, iam non parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus... 13 inducere] Cf. Matth. 6,13. indurare] Cf. Iob 23,16: Deus mollivit cor meum. — Ex. 4,21: ego indurabo cor eius; et passim. — Rom. 9,18: quem vult, indurat. 18 patris] Ezech. 18,20. 19 portabit] Gal. 6,5.

2-3 hic inserere longum est nimis *O* 15 praeter] nisi *E* 16 ut[1]] aut *L* eam] ea *L* 17 Ita] *hic incip. c. XXVI N*

malum«, et reddit deus peccata parentum filiis »in tertiam et quartam generationem«, etiam si hoc fit in anima, et quidquid aliud legitur quod animabus filiorum peccata parentum nocere significare videtur. Quippe non moritur anima filii peccato patris sed suo, nec portat quis »iniquitatem patris«, cum in sua relinquitur, sed suam, nec onus alienum sed suum, nec recipit prout pater sed prout ipse gessit in corpore; sed quoniam propter peccata parentum a suis malis non est liberatus, ea quae portat eisdem parentum peccatis imputantur.

Capitulum XXVI.

Quomodo tamen nullus portet peccatum patris, sed suum.

At si obicitur quia omnes qui non salvantur per fidem, quae est in Christum, portant iniquitatem et onus ADAE, ut per hoc velit probare infantes aut aliorum quoque parentum iniquitates similiter debere portare, aut illius non debere: consideret diligenter quia non portant infantes peccatum ADAE sed suum. Nam aliud fuit ADAE peccatum, et aliud est peccatum infantum, quia differunt, ut dictum est. Illud enim fuit causa, istud est effectum. ADAM caruit debita iustitia, non quia alius sed quia ipse deseruit; infantes carent, non quoniam ipsi sed quoniam alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum ADAE et infantum. Et cum dicit apostolus, quod supra posui, quia »mors regnavit ab ADAM usque ad MOYSEN etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis ADAE«; sicut significat infantum minus esse quam ADAE peccatum, ita aperte monstrat aliud esse.

Quapropter cum damnatur infans pro originali peccato, non damnatur pro peccato ADAE sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem ADAE sed suam, quamvis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius peccati istius causa fuit. Haec autem causa, quae fuit in ADAM, ut infantes in peccato nascantur, non est

168,19-169,1 malum] Cf. 2 Cor.5,10. 1-2 generationem] Cf. Ex. 20,5. 4 sed suo] Cf. Deut. 24,16. 8 imputantur] Ad c. XXV cf. AUGUSTINUS, *Quaestiones in Heptateuchum*, l. V, c. XLII (*PL* 34,765). 16 ut dictum est] Cf. c. XXIII, p. 165,26-28. 19 supra] Cf. c. XXII, p. 161,22 ss. 20-21 ADAE] Rom. 5,14 (Vulg.: regnavit mors).

7 est liberatus] liberatur *E*

in aliis parentibus, quia non habet in eis humana natura potestatem, quemadmodum dixi, ut filii iusti propagentur. Quare non ita sequitur, ut pro peccato illorum sit in infantibus peccatum, sicut pro peccato ADAE.

Capitulum XXVII.

Quid sit originale peccatum ; et quod in omnibus sit aequale.

Originale igitur peccatum non aliud intelligo quam quod est in infante, mox ut habet animam rationalem, quidquid prius in corpore nondum sic animato factum sit – ut est membrorum aliqua corruptio –, vel post sive in anima sive in corpore futurum sit. Quod propter praedictas aestimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis esse aequale, et omnes qui in illo solo moriuntur aequaliter damnari. Siquidem quidquid peccati super illud additur in homine, personale est ; et sicut persona propter naturam peccatrix nascitur, ita natura per personam magis peccatrix redditur, quia cum peccat persona quaelibet, peccat homo.

Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui factam per inobedientiam ADAE iustitiae debitae nuditatem, per quam omnes filii sunt irae ; quoniam et naturam accusat spontanea quam fecit in ADAM iustitiae desertio, nec personas excusat – ut dictum est – recuperandi impotentia. Quam comitatur beatitudinis quoque nuditas, ut sicut sunt sine omni iustitia, ita sint absque omni beatitudine. Per quas duas nuditates in huius vitae exilio expositi sunt, et patentes peccatis et miseriis incessanter ubique occurrentibus et undique irruentibus, nisi quantum divina defenduntur dispositione.

Capitulum XXVIII.

Contra illos qui non putant infantes debere damnari.

Sunt quorum animus infantes damnari debere, qui sine baptismo moriuntur, ob solam iniustitiam quam dixi non vult accipere, quoniam nullus

2 dixi] Cf. c. X, p. 151 s. 16 supra] Cf. c. XXIII, p. 165,15 ss. 17 filii sunt irae] Cf. Eph. 2,3. 19 ut dictum est] Cf. c. II, p. 142,1-4. 27 quam dixi] Cf. c. XXIII, p. 165,15 ss.

3 sit] sic *O* 4 *numerum capituli om. R* 6 in infante] in *om. L* 7 rationalem animam *O* 8 ut est] est *om. R* 9 praedicta *L* 11 super illud *om. U* 13 per personam] per *om. N* 22 occurrentibus] rruentibus *E* 23 defendentur *ex* defenduntur *E* 24 *numerum capituli om. R*

homo iudicat eos reprehendendos de peccato alienae personae, et quia nondum sunt iusti et intelligentes in tali aetate, nec putant deum districtius innocentes debere iudicare quam iudicent homines. Quibus dicendum est quod aliter deus erga infantes debeat agere, aliter homo. Nam homo non debet exigere a natura quod ipse non dedit et quod sibi non debetur, nec iuste redarguit homo hominem cum culpa nasci, sine qua ipse non nascitur et de qua non nisi per alium sanatur. Deus vero recte exigit a natura quod ei dedit, et quod sibi iuste debetur.

Sed et hoc iudicium quo infantes damnantur, non est alienum multum, si consideretur, ab hominum iudicio. Si quis enim vir et uxor eius ad magnam quandam dignitatem et possessionem nullo suo merito sed gratia sola provecti simul crimen grave inexcusabiliter committunt, et pro eo iuste deiciuntur et in servitutem rediguntur : quis dicet filios quos post damnationem generant eidem non debere subiacere servituti, sed potius ad bona quae parentes iuste perdiderunt gratis oportere restitui ? Tales sunt primi parentes et filii eorum, quos iuste pro culpa sua de beatitudine in miseriam damnati in eodem generant exilio. De similibus itaque simile debet esse iudicium, sed de istis tanto districtius quanto delictum eorum probari potest improbabilius.

Denique omnis homo aut salvatur aut damnatur. Omnis autem qui salvatur ad regnum coelorum admittitur, et omnis qui damnatur ab eo excluditur. Qui vero admittitur, provehitur ad similitudinem angelorum, in quibus nullum umquam fuit aut erit peccatum ; quod fieri nequit, quamdiu in eo est aliqua macula peccati. Impossibile itaque est aliquem hominem cum aliquo quamvis parvo peccato salvari. Quare si quod dixi originale peccatum est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum illo non dimisso damnari.

21 ad similitudinem angelorum] Cf. Luc. 20,36. 24 dixi] Cf. c. XXIII, p. 162 ss. 26 damnari] Ad c. XXVIII cf. AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione*, l. I, c. XII (*CSEL* LX, p. 16; *PL* 44, 117): Immo vero nos intelligamus Apostolum, et videamus ideo dictum iudicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Quamvis enim condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto etiam propria coniunxerunt, et tanto singulis gravior, quanto gravius quisque peccavit : tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantum a regno Dei separat, quo parvulos sine accepta Christi gratia

1 reprehendos *L* 4 agere debeat *U* 5 a natura exigere *E* 16 de beatitudine] de *om. U* 17 exilio] auxilio *L* 18 quantum *L* 20 ab eo *om. L* 23 est in eo *E*

Capitulum XXIX.

Quomodo impotentia habendi iustitiam excuset eos post baptisma.

Dixi impotentiam habendi iustitiam non excusare iniustitiam infantum. Quaeret ergo aliquis forsitan dicens : Si in infante peccatum, id est iniustitia, est ante baptismum, nec excusatur impotentia habendi iustitiam, sicut dicis, et in baptismo non remittitur peccatum nisi quod prius erat : cum post baptismum sit sine iustitia, quamdiu infans est, nec intelligere potest iustitiam quam servet – si quidem iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata – : quomodo non est iniustus etiam postquam baptizatus est ? Si ergo baptizatus moritur in infantia non statim post baptisma, cum poenitere nondum scit : quoniam non habet iustitiam debitam nec excusatur impotentia, iniustus transit de hac vita, sicut faceret ante baptismum, nec ad regnum dei admittitur intra quod nullus iniustus recipitur ; quod catholica non tenet ecclesia. Quod si in baptismo peccatum in infantia futurum remittitur infantibus : cur non et illa quae in sequenti fiunt aetate ?

Ad quod respondeo quia in baptismo peccata penitus quae ante baptismum erant delentur. Quapropter originalis impotentia iustitiam habendi iam baptizatis non imputatur ad peccatum sicut prius. Quemadmodum igitur excusare prius non poterat absentiam iustitiae, quoniam ipsa erat in culpa : sic post baptismum illam omnino excusat, quia remanet sine omni culpa. Unde fit ut iustitia, quae ante baptismum debebatur ab infantibus absque omni excusatione, post baptismum ab illis non exigatur quasi ex debito. Quamdiu ergo sola originali impotentia non habent iustitiam, non sunt iniusti, quoniam non est in eis absentia debitae iustitiae. Non enim est debitum,

defunctos intrare non posse ipsi etiam confitentur; verum et a salute ac vita aeterna facit alienos, quae nulla esse alia potest praeter regnum Dei, quo sola Christi societas introducit. — *Ibidem*, c. XVI (20; 120): Potest proinde recte dici, parvulos sine Baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit et fallitur, qui eos in damnatione praedicat non futuros. – *Ibidem*, c. XXVII, n. 41 (40; 132): Ab hac ergo salute et lumine alieni sunt parvuli, et in perditione ac tenebris remanebunt, nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati. — *Contra Iulianum Pelagianum*, l. III, c. V (*PL* 44,707 s.). 3 Dixi] Cf. c. II, p. 142,1-4. 8 servata] Cf. *De veritate*, c. XII, vol. I, p. 191 ss.

1 *numerum capituli om. L* 5 exclusatur *O* 11 nec] non *O* 17 delentur] debentur (*in marg.* lentur) *L* 19 erat *om. U* 22 non exigatur ab illis *O* 23 non habet *L* 24 debitae] debita *O*

quod sine omni culpa est impossibile. Quare si sic moriuntur: quia non sunt iniusti, non damnantur, sed et iustitia Christi qui se dedit pro illis, et iustitia
3 fidei matris ecclesiae quae pro illis credit quasi iusti salvantur.

Haec breviter de originali peccato pro capacitate intellectus mei non tam affirmando quam coniectando dixi, donec mihi deus melius aliquo modo
6 revelet. Si cui vero aliter visum fuerit, nullius respuo sententiam, si vera probari poterit.

7 poterit] Ad c. XXIX cf. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio*, l. III, c. XXIII, n. 67 (*PL* 32,1304): Quo loco etiam illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid parvulis prosit, cum eo accepto plerumque moriuntur, priusquam ex eo quidquam cognoscere potuerint. Qua in re satis pie recteque creditur, prodesse parvulo eorum fidem a quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiae commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduae profuit fides sua, quam utique mortuus non habebat; cui tamen profuit matris ut resurgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere parvulo, cui sua perfidia non potest imputari? — *De peccatorum meritis et remissione*, l. I, c. XIX, n. 25 (*CSEL* LX, p. 25; *PL* 44,123): Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum, iustificatos praesentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines et Deum, quae solvuntur eius gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cum iustificat impium.

5 deus mihi *O* 6 Si vero cui *L* 7 poterit] *add.* EXPLICIT LIBER DE CONCEPTU VIRGINALI ET DE ORIGINALI PECCATO (PECC. ORIG. *R*) *RN* EXPL. LIBER ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE CONC. VIRG. ET DE ORIG. PECC. *BU* Expl. lib. anselmi cantuariensis episcopi. de conc. virg. et de pecc. orig. *L* Expl. lib. de conc. virg. *E* *sine* Explicit *O*

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

INDEX SIGLORUM.

A = Atrebatensis 484 (catalogi n. 805; olim s. Anselmi primum, deinde ecclesiae Cathedralis Atrebatensis), s. XII. ineuntis.

B = Oxoniensis Bodleianus (n. 1938) Bodley 271 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

M = Monacensis latinus 21248 (olim Ulmensis), s. XII. ineuntis.

R = Rotomagensis 539 (olim Gemmeticensis C. 54), s. XII. ineuntis.

I = Vaticanus Rossianus 343, s. XII., prioris dimidii.

E = Edinburgensis 104 (olim s. Mariae Radingensis), s. XII.

Q = Londiniensis, Musaei Britannici, Regius 5. E. V, s. XII.

INCIPIT LIBER EIVSDEM DE PCESSIONE SPIRITVS SANCTI

NEGATVR A GRECIS qd̄ sp̄s sc̄s de filio pcedat sicut nos latini confitem̄r. nec recipiunt doctores nr̄os latinos quos in hoc sequim̄r. Qui qm̄ euangelia nobcū ueneratur. & in aliis de trino & uno d̄o credunt hoc ipsū p omīa qd̄ nos qui de eadem re certi sumus: spo p auxiliū eiusdē sc̄i sp̄s. quia si malunt solide ueritati adquiescere quā pro mani uictoria contendere. p hoc qd̄ absq ambiguitate confitent̄r. adhoc qd̄ non recipiunt rationabilit̄ duci possunt. Quāuis ḡ multi sint q̄ hoc melius me possint efficere: tam̄ qm̄ m̄ a pluribus iniungitur quor peticioni eū pro debito ueritatis amore. tum p eor caritate & religiosa uoluntate n̄ audeo resistere: inuoco eundē sp̄m sc̄m. ut adhoc me dignet̄r dirigere. Hac itaq spe pro mee scientie humilitate scientioribus altiora relinquens qd̄ postulant aggrediar. & grecor fide atq his que credunt indubitant̄ & confitentur. pro certissimis argum̄tis ad pbandū qd̄ non credunt utar. Credunt q̄dē unū & solū ac pfectū ee d̄m. nec ullā eū habere partē sed totū ee quicq̄d est. hunc quoq confitent̄r ee patrē & filiū & sp̄m sc̄m. ita ut si solus dicatur pat̄ aut filius aut sp̄s sc̄s siue duo simul pat̄ & filius. aut pat̄ & sp̄s sc̄s. aut filius & sp̄s sc̄s. siue tres simul pat̄ & filius & sp̄s sc̄s: idem totus & pfectus designet̄r d̄s. quāuis non idē significet nom̄ patris aut filii qd̄ nom̄ d̄i. N̄ em̄ ÷ idem esse d̄m qd̄ est ee patrē aut filiū. Nom̄ autē sp̄s sc̄i. idō q sp̄s sc̄s alicuius intelligit̄r sp̄s: p relatiuo nomine ponit̄r. Nam quāuis pat̄ sit sp̄s et sc̄s & filius sit sp̄s & sc̄s: n̄ ÷ tamen pat̄ alicui sp̄s. nec filius alicui sp̄s. sicut sp̄s sc̄s alicuius ÷ sp̄s. Est em̄ sp̄s d̄i. & sp̄s patris & filii. Quāuis em̄ greci negent de filio illū pcedere: non tam̄ negant eū esse sp̄m filii. Credunt quoq & confitent̄r d̄m de d̄o esse nascendo. & d̄m ee de d̄o pcedendo: q filius d̄s ÷ de patre d̄o nascendo. & sp̄s sc̄s d̄s ÷ de patre d̄o pcedendo. nec putant aliū ee d̄m qui nascit̄r quā de quo nascit̄r. & qui pcedit: quāuis sc̄dm nomina significantia q est de quo aliq̄s nascit̄r. & est qui de aliq̄ nascit̄r. & est q̄ de aliquo pcedit pluralitatē admittat. sc̄dm quā plures & alii sunt ab inuicem pat̄ & filius & sp̄s sc̄s. Nā cū d̄s d̄r ee pat̄: significat̄r ee de quo aliquis nascit̄r. & cū nominat̄r filius: intelligit̄r ee qui de aliquo nascit̄r. & quando sp̄s sc̄s nuncupat̄r: quia n̄ absolute sp̄m sed sp̄m d̄i intelligim̄. monstrat̄r ee q̄ de aliquo pcedit. S; cū d̄r q filius ÷ de patre & sp̄s sc̄s ē de patre: intelligitur q hoc quod est filius aut sp̄s sc̄s. habent de patre. S; alio m̄ intelligit̄r filius ee de patre. & alit̄ sp̄s sc̄s. Filius em̄ ē de patre suo. id est de d̄o qui ē pat̄ ei. sp̄s sc̄s ū non ÷ de d̄o patre suo: sed tantū

Cod. lat. Monacensis 21248, fol. 124r.

De processione spiritus sancti.

I.

Negatur a Graecis quod spiritus sanctus de filio procedat, sicut nos Latini confitemur ; nec recipiunt doctores nostros Latinos quos in hoc sequimur. Qui quoniam evangelia nobiscum venerantur et in aliis de trino et uno deo credunt hoc ipsum per omnia quod nos, qui de eadem re certi sumus : spero per auxilium eiusdem sancti spiritus quia – si malunt solidae veritati acquiescere quam pro inani victoria contendere –, per hoc quod absque ambiguitate confitentur, ad hoc quod non recipiunt, rationabiliter duci possunt. Quamvis igitur multi sint qui hoc melius me possint efficere, tamen quoniam mihi a pluribus iniungitur, quorum petitioni cum pro debito veritatis amore tum pro eorum caritate et religiosa voluntate non audeo resistere, invoco eundem spiritum sanctum, ut ad hoc me dignetur dirigere. Hac itaque spe pro meae scientiae humilitate scientioribus altiora relinquens, quod postulant aggrediar, et Graecorum fide atque iis quae credunt indubitanter et confitentur, pro certissimis argumentis ad probandum quod non credunt utar.

Credunt quidem unum et solum ac perfectum esse deum, nec ullam eum habere partem, sed totum esse quidquid est. Hunc quoque confitentur

11 a pluribus] Cf. HILDEBERTUS LAVARDIN, *Epist.* II, 9 (*PL* 171,216 s.). 14 altiora] Cf. Eccli. 3,22.

1 INCIPIT LIBER (LIBELLUS *A*) ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI *BQ* *idem in litteris minusculis E* INCIPIT LIBER EIUSDEM DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI *M* Libellus editus ab anselmo archiepiscopo cantuariensi. de processione spiritus sancti *I* *sine* Incipit *R* 2 *textus in mss. signis tantum incisionis dividitur, quorum loco numeros posui* *haec divisio deest in E* 11 cum] tum *E* 15 iis] his *M* hiis *R*

esse patrem et filium et spiritum sanctum, ita ut si solus dicatur pater aut filius aut spiritus sanctus, sive duo simul pater et filius aut pater et spiritus sanctus aut filius et spiritus sanctus, sive tres simul pater et filius et spiritus sanctus : idem totus et perfectus designetur deus, quamvis non idem significet nomen patris aut filii quod nomen dei. Non enim est idem esse deum, quod est esse patrem aut filium. Nomen autem ‚spiritus sancti', ideo quia spiritus sanctus alicuius intelligitur spiritus, pro relativo nomine ponitur. Nam quamvis pater sit spiritus et sanctus, et filius sit spiritus et sanctus, non est tamen pater alicuius spiritus, nec filius alicuius spiritus, sicut spiritus sanctus alicuius est spiritus. Est enim spiritus dei et spiritus patris et filii. Quamvis enim Graeci negent de filio illum procedere, non tamen negant eum esse spiritum filii.

Credunt quoque et confitentur deum de deo esse nascendo, et deum esse de deo procedendo, quia filius deus est de patre deo nascendo, et spiritus sanctus deus est de patre deo procedendo ; nec putant alium esse deum qui nascitur, quam de quo nascitur et qui procedit ; quamvis secundum nomina significantia – quia est de quo aliquis nascitur, et est qui de aliquo nascitur, et est qui de aliquo procedit –, pluralitatem admittat, secundum quam plures et alii sunt ab invicem pater et filius et spiritus sanctus. Nam cum deus dicitur esse pater, significatur esse de quo aliquis nascitur ; et cum nominatur filius, intelligitur esse qui de aliquo nascitur ; et quando spiritus sanctus nuncupatur : quia non absolute spiritum, sed spiritum dei intelligimus, monstratur esse qui de aliquo procedit. Sed cum dicitur quia filius est de patre et spiritus sanctus est de patre, intelligitur quia hoc quod est filius aut spiritus sanctus, habent de patre. Sed alio modo intelligitur

6-10 spiritus] Cf. *Monologion*, c. LVII, vol. I, p. 69, 1-13. — *Epistola de incarnatione verbi*, n. II, p. 11,10-12. — AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XI, c. XXIV (*CSEL* XXXX, pars I, p. 547 ; *PL* 41,538) : Verumtamen amborum eum dicere sanctitatem facilius ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsum quoque substantiam et tertiam in Trinitate personam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quod, cum sit et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tamquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. — *Epist.* CCXXXVIII, n. 15 (*CSEL* LVII, p. 544 ; *PL* 33,1044) : Proprio autem modo quodam dicitur Spiritus sanctus, secundum quod refertur ad Patrem et Filium, quod eorum spiritus sit. 10 spiritus dei] Cf. Rom. 8, 9. spiritus patris] Cf. Matth. 10,20. et filii] Cf. Rom. 8,9 ; Gal. 4,6 ; Act. 16,7. 13 deum de deo] Cf. Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum (Denzinger, *Enchiridion*, n. 86).

filius esse de patre, et aliter spiritus sanctus. Filius enim est de patre suo, id est de deo qui est pater eius ; spiritus sanctus vero non est de deo patre suo, sed tantum de deo qui est pater. Ergo filius, secundum quod est de deo, dicitur filius eius ; et ille de quo est, pater eius. Spiritus autem sanctus non secundum quod est de deo, est filius eius ; nec is de quo est, pater eius.

Certum est etiam quia deus non est pater aut filius aut spiritus alicuius nisi dei, nec ulla res est deus nisi idem pater et filius et spiritus sanctus ; et sicut unus deus est, sic unus tantum pater, unus filius, unus spiritus sanctus est. Unde fit ut non sit in illa trinitate pater nisi eiusdem filii, nec filius nisi eiusdem patris, neque spiritus sanctus alicuius spiritus nisi eiusdem patris et filii. Haec itaque sola causa pluralitatis est in deo, ut pater et filius et spiritus sanctus dici non possint de invicem, sed alii sint ab invicem, quia praedictis duobus modis est deus de deo.

Quod totum potest dici relatio. Nam quoniam filius existit de deo nascendo et spiritus sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis et processionis referuntur ad invicem, ut diversi et alii ab invicem ; et quando substantia habet esse de substantia, duae fiunt ibi relationes insociabiles, si secundum illas nomina ponantur substantiae. Cum enim homo est gignendo de homine, dicitur homo de quo est homo, pater ; et homo qui est de homine, filius. Impossibile igitur est patrem esse illum filium cuius pater est, et filium esse illum patrem cuius filius est ; quamvis patrem esse filium et filium esse patrem nihil prohibeat, cum unus homo pater est et filius, quoniam ad

178,25-179,6 pater eius] Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. V. c. XIV (*PL* 42,920 s.): Ubi et illud elucescit, ut potest, quod solet multos movere, cur non Filius sit etiam Spiritus sanctus, cum et ipse a Patre exeat, sicut in Evangelio legitur (Joh. 15,26). Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus ; et ideo non dicitur filius, quia neque natus est sicut Unigenitus, neque factus ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos. 14 de deo] Ad praecedentia cf. FULGENTIUS, *De fide*, c. I, n. 6 (*PL* 65,675) : In illa igitur sancta Trinitate... unus est Deus Pater, qui solus essentialiter de seipso unum Filium genuit ; et unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter genitus ; et unus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de Patre Filioque procedit. Hoc autem totum una persona non posset, id est et gignere se, et nasci de se, et procedere de se. Quia igitur aliud est genuisse quam natum esse, aliudque est procedere quam genuisse, vel natum esse, manifestum est quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

1 Filius] filius *I* 2 spiritus] Spiritus *I* 5 is] hic *M* (is *ex* his *I*) 17 *post* alii *insert.* sint *M*

alium est pater et ad alium filius. Nempe cum ISAAC sit pater IACOB et filius ABRAHAE, pater est filius et filius pater sine repugnantia, quoniam ad alium dicitur pater quam ad suum patrem, et filius ad alium quam ad suum filium ; patrem autem esse in eodem ISAAC illum filium cuius pater est, aut filium esse illum patrem cuius est filius, non est possibile.

Ita ergo in deo, cum deus sit pater et filius et spiritus sanctus, nec sit pater nisi eiusdem filii nec filius nisi eiusdem patris nec spiritus alicuius nisi eiusdem patris et filii : pater non est filius aut spiritus sanctus, filius non est pater, nec spiritus sanctus est pater. Quippe quoniam filius est de patre et spiritus sanctus est de patre, nec ille de quo est aliquis potest esse ille qui de se est, nec qui de aliquo est valet esse ille de quo est, sicut iam dictum est : idcirco nec pater est filius aut spiritus sanctus, nec filius sive spiritus sanctus est pater. Filius autem – ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quia spiritus sanctus de illo sit et procedat – ideo non est spiritus sanctus, nec spiritus sanctus est filius, quia filius nascendo habet esse de patre, spiritus sanctus vero non nascendo sed procedendo, nec filius potest esse suus spiritus, nec spiritus sanctus valet esse ille cuius spiritus est.

His praemissis, quomodo indivisibilis unitas et insociabilis pluralitas in deo ad invicem se habeant inquiramus. Quoniam autem haec quae dicta sunt, pariter credimus indubitanter et confitemur et nos qui dicimus spiritum sanctum de filio procedere, et Graeci qui nobiscum de hac re non sentiunt : debemus absque ulla ambiguitate quae ex his necessarie consequuntur uno consensu suscipere. Sequitur enim secundum unitatis dei quae nullas habet partes proprietatem, ut quidquid de uno deo qui totus est quidquid est dicitur, de toto deo patre dicatur et de filio et de spiritu sancto, quia unusquisque solus et totus et perfectus deus est. Supradicta vero relationis oppositio, quae ex hoc nascitur, quia supradictis duobus modis deus est de deo, prohibet patrem et filium et spiritum sanctum de invicem dici, et propria singulorum aliis attribui. Sic ergo huius unitatis et huius relationis consequentiae se contemperant, ut nec pluralitas quae sequitur relationem transeat ad

6-8 et filii] Cf. p. 179,10-12. 27 Supradicta] Cf. p. 179,15 ss. 28 supradictis] Cf. p. 178,13 ss.

11 valet] potest *E* 15 nec] non *M* 18 est spiritus *E*

ea, in quibus praedictae simplicitas sonat unitatis, nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur. Quatenus nec unitas amittat aliquando
3 suum consequens, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis.

Quod si per exempla consideremus, clarius apparebit. Qualiter quidem
6 unitatis simplicitas a se excludat pluralitatem, quae est in relativorum nominum significatione, facile est cognoscere. Confitemur enim quia pater non est filius aut spiritus sanctus, nec filius pater aut spiritus sanctus, nec spiritus
9 sanctus pater aut filius. Sequitur ergo alios ab invicem et plures esse patrem et filium et spiritum sanctum. At pater est deus et filius deus et spiritus sanctus deus. Quid itaque consequentius – si praedicta personarum pluralitas
12 suam servat proprietatem –, quam patrem et filium et spiritum sanctum plures deos esse et alios ab invicem? Sed hoc nullatenus admittit inviolabilis simplicitas deitatis, quam unum solum deum esse credimus. Sic repellit uni-
15 tas essentiae dei relativorum consequentiam.

Considerandum quoque est quomodo relationum pluralitas obviet unitatis consequentiae, si prius posuerimus aliqua ex iis in quibus nulla obsistit op-
18 positio. Dicimus unum deum esse patrem et esse filium et esse spiritum sanctum, et unum eundemque deum esse, sive singuli sive bini sive tres simul dicantur. Si ergo deus est aeternus: propter unitatem deitatis ex necessitate
21 sequitur quia aeternus est pater, aeternus filius, aeternus spiritus sanctus. Et quoniam – sive singuli sive plures simul – sunt unus deus: non est nisi unus aeternus. Similis est consequentia, si deus dicitur creator sive iustus
24 sive aliquid aliorum, in quibus nulla praedicta intelligitur relatio.

Videamus nunc quomodo hanc unitatis dei consequentiam restringat relatio. Dicimus enim quia deus est pater. Quoniam ergo unus est deus
27 pater et filius et spiritus sanctus, exigit unitas dei, ut filius sit pater et

1 praedictae] Cf. p. 180,24-25. 2-4 inseparabilis] Cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XI, c. 10, n. 1 (*CSEL* XXXX, pars I, p. 526; *PL* 41,325): Et haec Trinitas unus est Deus; nec ideo non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus; aut vero sola est ista nominis Trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani haeretici putaverunt; sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet hoc est, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur.

17 ex his *AMRIQ* 17-18 oppositio obsistit *I* 18 esse filium] esse *om. E*
24 relatio] ratio *M*

spiritus sanctus pater ; sed obviat relatio, quae prohibet filium aut spiritum sanctum esse patrem. Quippe nec natura permittit nec intellectus capit existentem de aliquo esse de quo existit ; aut de quo existit esse existentem de se. Existit autem filius et spiritus sanctus de patre. Quare non potest filius aut spiritus sanctus esse pater, quamvis deus sit pater, et unus idemque deus sit pater et filius et spiritus sanctus. Id ipsum cognoscitur, si dicitur deus esse filius. Vult enim unitatis dei consequentia, ut et pater et spiritus sanctus sit filius. Sed pater de quo est filius, non potest esse qui de se est. Spiritus vero sanctus qui existit de patre procedendo, non est ille qui est de patre nascendo. Item cum dicitur : deus est spiritus sanctus, requirit unitas praedicta patrem quoque et filium esse spiritum sanctum. Sed nec pater de quo est spiritus sanctus, potest esse ille qui de se est ; nec filius qui existit de patre nascendo, est ille qui de eodem patre est procedendo, id est spiritus sanctus. Cum autem apparebit quia spiritus sanctus est de filio, tunc quoque palam erit quia propter hoc nequit esse filius spiritus sanctus et spiritus sanctus filius.

Consideremus adhuc quomodo supradictae oppositiones obsistant consequentiae praedictae unitatis. Deus est de deo. Hoc ergo semel accepto : quoniam idem deus est pater et filius et spiritus sanctus, sequitur secundum hanc identitatem, ut deus pater sit deus de deo, et deus de quo est deus ; et similiter filius deus de deo, et deus de quo deus est ; et eodem modo spiritus sanctus. Verum quaerere utrum unusquisque sit deus de quo est deus, non est aliud quam considerare, utrum singulus quisque sit deus de deo. Non enim potest de deo deus esse, nisi pater aut filius aut spiritus sanctus, et nisi de patre aut de filio aut de spiritu sancto. Inspiciamus ergo utrum unusquisque sit deus de deo, et patebit utrum sit singulus quisque deus de quo est deus. Sed pater non potest esse de deo propter praedictam oppositionem. Cum enim non sit deus nisi aut pater aut filius aut spiritus sanctus, aut duo ex iis aut tres simul : non potest esse deus pater de deo nisi aut de patre, hoc est de se ipso, aut de filio aut de spiritu sancto, aut de duobus aut de tribus. De se ipso non potest esse, quia existens de aliquo et de quo existit non potest idem esse. De filio non est, quia filius est de ipso, et

2-4 de se] Cf. p. 180,9-11. 18 de deo] Cf. p. 178,13-14.

14 sanctus^2 *om.* *E* 15 nequit] nequid (*sic saepius*) *R* 20 est deus] deus est *E*
29 ex his *MRIEQ*

ideo non potest esse de filio. De spiritu sancto non est, quia de illo est spiritus sanctus, nec valet esse ille qui de se est. De duobus vel de tribus simul nequit esse pater propter eandem oppositionis rationem. Filium vero deum necesse est esse de patre deo, quia pater non est de illo. De filio vero, hoc est de se ipso, esse nequit, quia non est idem existens de aliquo et de quo existit. Utrum autem sit de spiritu sancto aut spiritus sanctus de illo, post monstrabitur. Sed prius dicemus de spiritu sancto, si secundum consequentiam praedictam sit de patre et de se ipso. De patre quidem necesse est eum esse, quia nulla obviat oppositio. Non est enim pater de illo. De se ipso vero impossibile est eum esse, quia non potest existens de aliquo et de quo est idem esse. In his omnibus nihil obviat consequentiae unius identitatis, nisi aliqua de praedictis oppositio. Quod vero in iis cognoscitur, in omnibus quae de deo dicuntur immutabiliter evenire necesse est.

Nunc quaerendum est per supradictas irrefragabiles rationes, utrum filius sit de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de filio. Dico quia, sicut per supradictam rationem aut pater est de filio aut filius de patre, et similiter aut est de spiritu sancto pater aut spiritus sanctus de patre : ita est aut filius de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de filio. Quod qui negat, neget etiam necesse est unum solum deum esse aut filium esse deum aut spiritum sanctum esse deum aut deum esse de deo, quia ex his sequitur quod dico. Amplius. Non est filius aut spiritus sanctus de patre, nisi de patris essentia, quae una est illi cum filio et spiritu sancto. Cum ergo dicitur quia filius est de deo patre : si idem deus est pater et spiritus sanctus, sequitur secundum unitatem deitatis, ut sit etiam de spiritu sancto. Eodem modo quando confitemur spiritum sanctum esse de deo patre : si idem deus est pater et filius, sequitur secundum eandem deitatis unitatem, ut sit et de filio. Ex his igitur aperte cognoscitur quia aut filius est de spiritu sancto aut spiritus sanctus de filio ; quoniam utrumque nequit esse verum aut falsum.

Necesse est ergo spiritum sanctum esse de filio, si potest monstrari filium non esse de illo. Nam si quis dicit non sequi filium esse de patre et de spiritu sancto, idcirco quoniam unus deus est pater et spiritus sanctus, etiam si non opponitur aliud ; aut spiritum sanctum esse de patre et de filio,

17 supradictam] Cf. p. 182,18 ss.

4 De] Sed *E* 8 praedictam consequentiam *E* 13 in his *AMIEQ*

quoniam unus est deus pater et filius, quamvis non sit filius de spiritu sancto: consideret quia, cum est deus de deo, aut est totus de toto, aut pars de parte, aut totus de parte, aut pars de toto. Sed deus nullam habet partem. Impossibile igitur est ut sit deus de deo ut totus de parte, aut ut pars de toto, aut ut pars de parte. Necesse est igitur ut, si est deus de deo, totus sit de toto. Cum ergo filius dicitur esse de deo, qui est pater et spiritus sanctus, aut alius totus erit pater, alius totus spiritus sanctus, ut de toto patre sit et non de toto spiritu sancto ; aut si idem totus deus est pater et spiritus sanctus, ex necessitate, cum est de deo toto, qui unus totus est pater et spiritus sanctus, est pariter de patre et de spiritu sancto, si non repugnat aliud. Eodem modo cum dicitur spiritus sanctus esse de toto deo qui est pater et filius, aut alius totus erit pater, alius totus filius, ut sit de toto patre et non de toto filio spiritus sanctus ; aut cum est de patre spiritus sanctus, non potest non esse de filio, si non est filius de spiritu sancto. Nulla enim alia ratione potest negari spiritus sanctus esse de filio.

Dicet aliquis : Si – quoniam unus deus est pater et spiritus sanctus –, cum filius est de patre, sequitur eum esse de spiritu sancto, aut cum spiritus sanctus est de patre, quia idem deus est pater et filius, est etiam de filio : cum pater gignit filium, necesse est eum gignere quoque spiritum sanctum, quia unus idemque deus est filius et spiritus sanctus ; et cum spiritus sanctus procedit de patre, propter eandem unitatem deitatis filii et spiritus sancti procedit etiam filius de patre ita sicut spiritus sanctus. Si vero unitas dei in filio et spiritu sancto non illam habet vim consequentiae, ut uterque similiter sit genitus et procedens : videtur quod non ex hoc, quia unus deus est pater et spiritus sanctus, sequatur filium esse de spiritu sancto

3-6 de toto] Cf. FULGENTIUS, *Quaestiones de processione Spiritus sancti* (apud RATRAMNUM, *Contra Graecorum opposita*, l. III, c. V. [*PL* 121,295 s. ; 65,834]) : Spiritus ille totus est Patris, totus est Filii ; quia unus naturaliter Spiritus est Patris et Filii. Proinde totus de Patre procedit et Filio, totus in Patre manet ac Filio ; quia sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat. — RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. III, c. V (*PL* 121,296) : Proinde sicut beatus Fulgentius testatur, totus de Patre procedit, et totus de Filio : non enim pars illius a Patre, pars quoque procedit a Filio ; neque pars manet eius in Patre, pars rursus in Filio. Est enim insecabilis et impartibilis, neque ex diversis compositus : et sic manens ut procedat, sic procedens ut maneat.

1 sit filius] filius sit *E* 5 ut pars] ut *om. I* 21 spiritus sancti] spiritus sanctus *I* 25 pater est deus *E*

aut spiritum sanctum esse de filio, quoniam idem deus est pater et filius, ut dicis.

Ad quod ego : Habent utique a patre esse filius et spiritus sanctus, sed diverso modo ; quia alter nascendo, alter procedendo, ut alii sint per hoc ab invicem, ut dictum est ; et ideo cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo, quia non similiter nascitur sed procedit ; et cum unus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est alius ab illo, quia non similiter procedit sed nascitur ; et ideo non habet hic unitas illam vim consequentiae, quia pluralitas obviat, quae ex nativitate nascitur et processione. Nam et si per aliud non essent plures filius et spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi. Cum autem dico ex eo, quia pater est unus deus cum filio aut cum spiritu sancto, sequi filium esse de spiritu sancto aut spiritum sanctum de filio : nulla ibi pluralitas generatur, quae obviet unitatis consequentiae, quia non utrumque dico esse, sed alterum tantum.

Omnimoda igitur et inexpugnabili necessitate concluditur quia – si vera sunt quae supra dixi nos pariter cum Graecis credere – aut filius est de spiritu sancto, aut spiritus sanctus est de filio. Quod autem filius non sit de spiritu sancto, palam est ex catholica fide. Non enim est deus de deo, nisi aut nascendo ut filius, aut procedendo ut spiritus sanctus. Filius autem non nascitur de spiritu sancto. Si enim nascitur de illo, est filius spiritus sancti, et spiritus sanctus pater eius. Sed alter alterius nec pater nec filius est. Non ergo nascitur filius de spiritu sancto. Nec minus apertum est quia non procedit de illo. Esset enim spiritus eiusdem spiritus sancti. Quod aperte negatur, cum spiritus sanctus dicitur et creditur spiritus filii. Non enim potest esse spiritus sui spiritus. Quare non procedit filius de spiritu sancto. Nullo igitur modo est de spiritu sancto filius. Sequitur itaque inexpugnabili ratione spiritum sanctum esse de filio, sicuti est de patre.

II.

Forsitan negabunt Graeci spiritum sanctum esse deum de deo, sicut est filius deus de deo, quoniam probamus per hoc illum esse et procedere

17 supra] Cf. p. 177,18 ss. 20-22 filius est] Cf. AUGUSTINUS, *Sermo* CCXIV, n. 10 (*PL* 38,1071): Credimus etiam in Spiritum sanctum, de Patre procedentem, nec

7 simul ille *E* 14 esse *om. E* 18 est de filio] est *om. E* 28 sicuti] secuti *I* 30 deum *om. E* 31 deus *om. E*

de filio ; nec est positum in illo symbolo, in quo reprehendimur ab illis addidisse processionem eius de filio. Sed qui hoc putat, negat aut patrem esse deum de quo est spiritus sanctus, aut spiritum sanctum esse deum qui est de patre, aut hoc ipsum quod est spiritus sanctus esse de patre. At patrem non esse deum aut spiritum sanctum, nullus suscipit Christianus. Videamus igitur utrum hoc ipsum quod est essentialiter, sit spiritus sanctus de patre ; quod quendam episcopum Graecis forsitan faventem in Barensi civitate sensi nolle sentire. Nam si non est hoc ipsum de patre quod est : cum sit unus idemque deus qui pater, inveniri nequit unde alius sit a patre. Non enim inde alius est, quia pater habet filium et spiritus sanctus non habet filium. Per hoc enim probari possunt quia alii sunt ab invicem, non tamen haec est causa ut diversae sint personae. Quippe si duo sint homines, quorum alter habeat filium alter non : quamvis per hoc ostendi possint esse diversi, non tamen ob hoc sunt ab invicem alii ; quia quoquo modo sese habeant in habendo vel non habendo filium, diversitatem tamen non amittunt. Ita in patre et spiritu sancto non quia alius habet, alius non habet filium, idcirco sunt diversi ; sed quoniam diversi sunt, ideo nihil prohibet eos in habendo et non habendo filium esse dissimiles.

Similiter responderi potest, si ideo dicitur alius, quia non procedit ab illo spiritus sanctus, sicut ipse procedit a patre. Quippe ut secundum illos loquar qui negant spiritum sanctum de filio procedere : sicut non haec est causa quia spiritum sanctum filius de se procedentem non habet sicut pater, ut alius sit a patre – sequeretur enim ut, si spiritus sanctus procederet de filio, non esset filius alius a patre –, ita per hoc non est spiritus sanctus alius a patre, quia non habet filium aut spiritum de se procedentem sicut pater. Et quemadmodum filius non ideo est alius a patre, quia patrem habet et pater non habet patrem – si enim pater haberet patrem,

tamen filium : super Filium manentem, nec Filii patrem : de Filio accipientem, nec tamen Filii filium : sed Spiritum Patris et Filii. 1 in illo symbolo] I. e. Nicaeno-Constantinopolitano (Denzinger, n. 86). 3-4 esse de patre] Cf. FULGENTIUS, *Quaestiones de processione Spiritus sancti* (apud RATRAMNUM, *Contra Graecorum opposita*. l, III, c. V [*PL* 121,296 ; 65,834]) : Non ergo accepit Spiritum sanctum divinitas Filii, cum qua unius est naturae Spiritus sanctus, et ex qua habet quidquid habet, immo de qua est hoc quod est. 7 in Barensi civitate] In concilio Barensi a. 1098 habito. Quis iste episcopus fuerit non constat.

17 eos] esse *add. BAMRIQ; Trecensis 964* (*s. XII.*); *Paris. 5305* (*s. XII.*)

alius tamen esset a filio —: ita spiritus sanctus, quia de aliquo procedit et pater a nullo, non propter hoc est alius a patre ; quia si pater de aliquo procederet, non tamen minus esset alius a patre de quo procedit. Palam igitur est quia non ideo est spiritus sanctus alius a patre, quia non habet filium aut spiritum de se procedentem sicut pater ; nec quia de aliquo procedit et pater de nullo.

Sed neque per hoc intelligi potest esse a patre alius, quia est spiritus patris, si de illo non habet esse. Potest enim intelligi aliquis alius ab aliquo, priusquam sit illius, quamvis alicuius nequeat esse, nisi sit alius. Ut cum dicitur homo dominus alicuius aut homo alterius hominis, prius intelligitur alius ab illo cuius esse dicitur, quam sit eius dominus vel homo. Sic itaque, si spiritus sanctus non est de patre, nihil prohibet eum prius alium intelligi ab illo, quam sit illius. Quare non facit illum alium esse a patre hoc, quia spiritus eius est, si per hoc non habet ut sit alius ab illo, per quod est spiritus illius ; sicut filius per hoc alius est a patre, per quod est filius eius, quod non est aliud nisi quia ex ipso existit nascendo.

Videtur itaque quod spiritus sanctus non sit per aliud a patre alius, nisi quia ab illo habet esse quod est ; quamvis alio suo modo quam filius. Investigemus tamen hoc diligentius. Utique aut postquam fuit spiritus sanctus hoc quod est, contigit illi alium esse a patre ; aut in existendo habet unde alius est. Contingit enim aliquem esse quod est, priusquam sit alius, et contingit aliquem alium in existendo fieri ; prius autem quemquam esse alium, quam sit hoc quod est, non est possibile. Namque primus homo priusquam de illo esset homo aliquis, erat ipse homo, sed non erat alius. Cum vero primum extitit de illo aliquis : et ille de quo extitit postquam fuit, factus est alius ; et qui de illo extitit, simul habuit et esse et alium esse. Aut ergo spiritus sanctus, sicut dixi, postquam fuit, factus est a patre alius, aut habet in existendo propter quod alius dicitur. Sed si postquam fuit contigit illi alium esse a patre : cum non sit alia persona, nisi quoniam alius est ab illo, non fuerunt semper tres illae personae, quia ista non semper fuit, sicut non semper fuit spiritus sanctus alius a patre. Quoniam itaque falsa sunt haec, patet quia in existendo habet unde alius est.

Esse autem nequit nisi aut ex aliquo, sicut filius, aut ex nullo, sicut pater. Quod si ex nullo, quemadmodum pater existit : aut ita existit unusquisque per se ut neuter ab altero quicquam habeat, et sunt duo dii pater

27 et 28 postquam] post qui (*cum rasura*) *I*

et spiritus sanctus ; aut quoniam unus deus sunt, si uterque de nullo est, penitus nihil inveniri valet in fide Christiana unde sint ab invicem alii, sed unus idemque est pater et spiritus sanctus et una persona ; quae vera fides abhorret. Non est ergo verum spiritum sanctum a nullo esse. Si autem est ex aliquo, non est nisi ex deo, qui est pater et filius et spiritus sanctus. Sed a se ipso nequit esse, quoniam nulla persona a se ipsa potest existere. Quare si quis negat eum esse a filio, negare nequit illum a patre esse.

Si quis autem dicit quia licet non habeat esse de patre, tamen per processionem alius potest intelligi : ad hoc quoque respondendum arbitror, ne possit aliquid in hac quaestione nostrae obici assertioni, cui responsio nostra non obviet. Nec miretur aliquis me tantum in hoc immorari, quoniam non parvae auctoritatis erat ille inter suos, quem sensi non sentire spiritum sanctum hoc quod est habere ex patre, nec tunc habui opportunitatem respondendi.

Qui ergo spiritum sanctum dicere vult ex sola processione alium esse a patre, licet non sit ex illo, intelligit aut id ipsum esse procedere de patre solummodo quod est mitti vel dari a patre, ut cum mittit vel dat eum pater, tunc tantum procedat a patre ; aut hoc esse procedere, quod est esse de patre. Sed si idem est procedere quod est dari vel mitti, procedit pariter a filio sicut a patre spiritus sanctus, quoniam ab illo similiter mittitur et datur. Item si non est aliud spiritui sancto procedere quam mitti vel dari, non est alius a patre nec procedit a patre, nisi cum datur vel mittitur ; quod nemo puto intelligit. Semper enim est alius a patre spiritus sanctus, etiam ante creaturam ; non autem datur vel mittitur nisi creaturae. Nec tamen dicendum est quod accidat ei dari vel mitti. Nam cum ipse sit ubique et immutabilis : accipienti quidem accidit aliquid, quia circa illum fit quod prius non erat et abesse potest ; circa spiritum sanctum vero nihil fit quod non erat. Cum enim caecus in luce non sentit lucem, nec magis nec minus habet lux aliquid ; et si depulsa caecitate sentiat caecus lucem, circa illum fit motus, non circa lucem. Patet itaque non esse spiritum sanctum alium a patre per sic intellectam processionem, ut non sit aliud illi procedere quam dari vel mitti. Est ergo patens eum per processionem habere esse de patre et per hoc alium esse a patre, sicut filius non per aliud est a patre alius quam per hoc, quia de illo existit. Est ergo deus de deo et procedit de deo, quia et ipse deus et pater deus, de quo est et procedit.

12 ille] Cf. p. 186,7.

At si dicimus duas spiritus sancti posse nominari processiones, unam quando existit de patre, alteram quando datur vel mittitur : non puto hoc esse negandum, si unaquaeque in suo sensu intelligitur. De illa quippe processione qua datur vel mittitur, non incongrue dominum sic dixisse intelligimus : »Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, et nescis unde veniat aut quo vadat«. Sic enim hoc potuisse dici videtur : Nescis unde procedat aut quo recedat. Cum enim datur, quasi de occulto venit et procedit; cum vero subtrahitur, velut ad occultum vadit et recedit. De hac processione potest dici quia idem est illi procedere quod mitti.

Sive igitur non procedat nisi existendo de patre, sive non nisi cum datur aut mittitur et procedit ad sanctificandum creaturam, sive utroque modo procedat : sequitur ut procedat de filio. Si enim est ex patre, deus est de deo ; unde probatur, ut dictum est, esse quoque de filio et procedere. Ab illo namque procedit de quo est, et de illo existit a quo procedit. Si vero tunc tantum procedit cum mittitur vel datur, procedit a filio, a quo datur et mittitur. Quod si utroque procedit modo, pariter utroque modo procedere cognoscitur a filio. Ecce videmus spiritum sanctum esse deum de deo et procedere de deo, quod non est positum in praefato symbolo. Si ergo ideo negant eum esse et procedere de filio, quia ibi tacetur : negent eum similiter esse de deo et procedere, quod ibidem non dicitur. Aut si hoc diffiteri nequeunt, non timeant confiteri nobiscum spiritum sanctum esse et procedere de filio, quoniam hoc in eodem symbolo non inveniunt.

At dicent : Satis ibi significatur quia est et procedit de deo, cum dicitur quia a patre procedit, quoniam pater est deus. Et nos similiter dicimus quia aperte monstratur procedere de filio, cum dicitur procedere de deo, quia filius est deus. Interrogo enim utrum ideo intelligendus sit spiritus sanctus esse de patre, quia est de deo, aut idcirco esse de deo, quia est de patre. Licet enim invicem alterum altero probetur – si enim est de patre, est de

5-6 vadat] Ioh. 3,8 (Vulg.: sed nescis). 18 in praefato symbolo] Cf. p. 186,1. 17-22 inveniunt] Cf. RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. II, c. II (*PL* 121,245): Ubi ergo nunc regula qua vos muniri, vel Latinos arbitramini constringi, ut vobis liceat dicere procedentem a Patre Spiritum sanctum, Romanis non liceat dicere procedentem a Filio? Quod si sequentes auctoritatem Nicaeni concilii nihil ultra vultis addere, removete procedentem a Patre, quia non continetur in Nicaeni concilii Symbolo: et fortassis liceat removeri quod a Romanis superadditum est procedentem a Filio.

6 nescis *I* 11 ad sanctificandam *AI* utroque] utro *Q* 18 in] im *M*

deo, et si est de deo, est de patre, quoniam nulla praedicta obviat relatio –, non tamen similiter invicem sunt alterum alterius causa. Nam si esse spiritum sanctum de patre est causa ut sit de deo : cum dicitur esse de patre, non est intelligendum quod sit de hoc, quod pater deus est, id est de divina essentia ; sed de hoc quod deus pater est, id est de hoc unde refertur ad filium. Erit ergo divina essentia in spiritu sancto non de deitate patris, sed de relatione; quod stultissimum est dicere.

Quamvis et si hoc aliquis velit accipere, non minus sequitur spiritum sanctum de filio quam de patre procedere. Nempe nulla est relatio patris sine relatione filii, sicut nihil est filii relatio sine patris relatione. Si ergo altera nihil est sine altera, non potest aliquid de relatione patris esse sine relatione filii. Quare sequetur spiritum sanctum esse de utraque, si est de una. Itaque si est de patre secundum relationem, erit similiter et de filio secundum eundem sensum. Verum quoniam nemo tam insipiens est qui hoc opinetur, credendum et confitendum est ideo esse de patre spiritum sanctum, quia est de deo. Non autem magis est pater deus quam filius, sed unus solus verus deus pater et filius. Quapropter si spiritus sanctus est de patre, quia est de deo qui pater est, negari nequit esse quoque de filio, cum sit de deo qui est filius.

III.

Consideremus etiam quod dominus dicit in evangelio. Ait enim : »Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum deum, et quem misisti, IESUM Christum«. Aut ergo ita intelligendus est iste »solus verus deus«, ut cum nominamus solum patrem, non significetur ille solus verus deus, neque quando nominamus solum filium, sed tunc solummodo intelligatur iste »solus verus deus«, quando simul dicimus patrem et filium ; aut »solus verus deus« intelligitur, cum nominamus solum patrem aut solum filium. At si solo patre nominato aut solo filio, non intelligitur »solus verus deus« sine adiectione nominis alterius, non est pater perfectus deus neque filius perfectus deus, sed est deus compositus ex patre et filio. Sed credimus patrem esse perfectum et »solum verum deum«, et filium similiter perfectum et »solum verum deum«. Cum ergo nominamus patrem solum aut filium,

22-23 Christum] Ioh. 17,3 (Vulg.: deum verum).

27-28 aut solus — aut solum filium *om. AE* 29 sine abiectione *I*

non aliud intelligimus – excepta relatione qua referuntur ad invicem –, quam »solum verum deum« et eundem, quem in utriusque prolatione cognoscimus.

Itaque cum dixit dominus: »Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum deum, et quem misisti, IESUM Christum«, si addidisset dicens: ‚et de hoc solo vero deo procedit spiritus sanctus': quis auderet separare filium ab illa processione, cum ille solus verus deus non magis aut minus sit pater quam filius? Quapropter si idem solus verus deus intelligitur, cum solus pater dicitur aut filius et cum ambo simul nominantur: quid apertius quam quia de solo vero deo, qui est pater et filius, procedit spiritus sanctus, cum dicitur a patre procedere? Quare sicut intelligeretur de filio procedere, si idem filius dixisset de solo vero deo illum procedere, quando dixit se et patrem »solum verum deum« esse: ita cum dicit eum de patre procedere, absque dubio eum de se significat procedere.

IV.

Dicit etiam dominus: »Paraclitus autem, spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo«. Et: »Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis a patre«. Quid ergo intelligendum est cum dicit: »quem mittet pater in nomine meo«? An quia spiritus sanctus habebit nomen eius, ut cum mittet pater spiritum sanctum, idem sit quod mittere filium? Sed quod ait: »quem ego mittam vobis a patre«, non recipit hunc sensum, quia eundem ipsum spiritum quem mittit pater, mittit et filius, neque filius mittit filium. Denique nusquam legimus et omnino negamus spiritum sanctum esse filium. Quid itaque est: »quem mittet pater in nomine meo«, nisi: quem pater mittet, filius quoque mittet; sicut cum dicit: »quem ego mittam a

3-4 Christum] Ibidem. 10 procedere?] Cf. Ioh. 15,26: spiritum veritatis, qui a Patre procedit. 13 procedere] Ad n. III cf. AUGUSTINUS, *Tractat. in Joh.* XCIX, n. 8 (*PL* 35,1889 s.); *De Trinit.*, l. XV, c. XXVII, n. 48 (*PL* 42,1095): Si ergo et de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, *De Patre procedit* (Joh. 15,26)? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsus est, de quo et ipse est? Unde et illud est quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit* (Joh. 7,16). Si igitur intelligitur hic eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait, *De Patre procedit*, ut non diceret, De me non procedit? 15-16 meo] Ioh. 14,26. 16-17 a patre] Ibidem, 15,26. 22-23 filium] Cf. n. I, p. 178,25-179,6.

3 Haec] haec *ARI* 16 Cum] cum *I*

patre«, non est aliud quam : ego mittam et pater? Filius namque est nomen illius qui dicebat : »mittet pater in nomine meo«. Non est ergo aliud : »mittet pater in nomine meo«, nisi : mittet pater in nomine filii. Quid igitur est : »mittet pater in nomine filii«, nisi : mittet pater tamquam si mittat filius, ut in missione patris missio intelligatur filii? Quod vero ait : »quem ego mittam a patre« : quomodo intelligendum est? Utique a quo eum mittit filius, ab eo mittitur. Mittit autem eum a patre. Ergo a patre mittitur. Sed ille mittit, a quo mittitur. Pater itaque mittere intelligitur, cum filius dicit : »ego mittam a patre«. Quid ergo est : »ego mittam a patre«, nisi : ego mittam tamquam si mittat pater, ut una eademque sit missio mea et patris?

Cum itaque filius tanta diligentia ostendat unam esse missionem patris et suam, ut nec pater mittat nisi cum filius mittit, nec filius nisi cum mittit pater : quid vult significare aut quid intelligi, nisi quia non aliter se habet ad patrem spiritus sanctus et aliter ad filium, nec magis est unius quam alterius? Quamobrem nimis difficile, immo impossibile est ostendere quomodo non procedat ab utroque. Unde enim est filio simul cum patre dare vel mittere spiritum sanctum et hunc esse utriusque, si simul non est de utroque? Cur enim magis dat filius spiritum sanctum, quam spiritus sanctus filium, aut cur magis est spiritus sanctus filii quam filius spiritus sancti, nisi quia filius non est ita simul de patre et de spiritu sancto, sicut spiritus sanctus est de patre et de filio? Si ergo spiritus sanctus non est de filio, non detur a filio nec dicatur esse filii, sicut filius non datur a spiritu sancto neque dicitur esse spiritus sancti, quoniam non est de spiritu sancto. Si autem dicunt quia spiritus sanctus mittit etiam filium sicut idem ipse dicit per prophetam : »et nunc dominus deus misit me et spiritus eius« : hoc secundum hominem quem gerebat intelligendum est, qui patris et spiritus sancti una voluntate et dispositione mundum redempturus in mundo apparuit.

10 patris?] Ad praecedentia cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. IV, c. XX, n. 29 (*PL* 42,908) : Quod ergo ait Dominus : *Quem ego mittam vobis a Patre* (Ioh. 15,26), ostendit Spiritum et Patris et Filii. Quia etiam cum dixisset : *Quem mittet Pater*, addidit, *in nomine meo* (Ioh. 14-26). 21-23 de spiritu sancto] Cf. *ibidem:* Nec possumus dicere quod Spiritus sanctus et a Filio non procedat : neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. 25 spiritus eius] Is. 48,16. 27 apparuit] Ad praecedentia cf. FULGENTIUS, *Contra Fabianum*, ex l. VIII, Fragm. XXIX (*PL* 65,797) : Filius est igitur a Patre missus, non Pater a Filio : quia Filius

3 igitur] ergo *R* 15 ostendendere *Q* 17 si *om. B* simul *om. Q* 20-21 et de spiritu sancto — de patre *om. E*

Quaero tamen ab iis qui negant spiritum sanctum esse et procedere de filio, quomodo intelligant eum sic esse spiritum filii, ut filius tamquam suum spiritum illum mittat. An putant quia pater dedit filio spiritum suum tamquam a se non habenti? Aut enim a se habet aut ab alio. Sed ab alio non potest habere nisi a patre. Accepit igitur a patre, a quo habet et dedit ei pater spiritum sanctum ut a se non habenti. Hic ostendant, cum aequales sint pater et filius et spiritus sanctus et unusquisque sibi sit sufficiens, quae fuit causa vel quae indigentia filii, ut pater daret ei spiritum suum magis quam spiritui sancto filium suum. Non negamus hoc modo habere filium spiritum sanctum a patre, quia a quo habet esse, ab eo habet ut de se spiritum existentem habeat sicut pater, quoniam idem esse est patris et filii. Non est enim idem a patre accipere essentiam de qua procedit spiritus sanctus, et accipere a patre spiritum sanctum. Cum enim dicitur habere a patre essentiam de qua spiritus sanctus procedit, nulla monstratur indigentia filii. Cum vero dicitur quia filius accipit a patre spiritum sanctum, quem de se non habet sicut pater, videtur significari filius quasi aliquid minus habere quam habeat pater, et velut ad supplementum ei dari spiritum sanctum. Sed non apparet cur magis egeat filius spiritu sancto quam spiritus sanctus filio. Si enim respondetur ad hoc datum esse spiritum sanctum filio, ut cum ipse quoque cum patre daret eundem spiritum sanctum, par illi cum

est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus sanctus a Patre et Filio legitur missus, quia a Patre Filioque procedit. Sed quia non uno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea in sacramento Incarnationis non solum a Patre, verum etiam a Spiritu sancto missus est Filius: quia mediator Dei et hominum homo Christus Jesus totius est Trinitatis operatione plasmatus. 3-6 habenti] Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XV, c. XVII, n. 29 (*PL* 42,1081): Ideo autem addidi, Principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti et nondum habenti: sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. 3-19 spiritus sanctus filio] Cf. RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. II, c. III (*PL* 121,249): Accipit autem non tamquam non habendo quod accipit, sed tamquam procedens. — *Ibidem*, c. IV (255): Num aliud potuit accipere Spiritus sanctus a Filio quod antea non habebat, cum sit unius substantiae cum Filio, unius potentiae: et quaecumque Filius habet, habeat etiam et Spiritus sanctus? — *Ibidem*, c. V (261): Si sapientia Filius est, et Spiritus sanctus sapientiam, quae Filius est, loquitur in apostolis, accipit a Filio. Quemadmodum autem accipit? procedendo certe, non participando quod ante non habuerit: non enim fuit aliquando Spiritus sine sapientia, sed accepit a Filio ut semper esset sapiens, ab ipso procedens; quia unius est naturae cum Filio et cum Patre, cuius est Spiritus.

1 Quaero tamen] *hic deficit codex M* ab hiis *R* 17 dare *R*

patre gratia imputaretur : terrena est haec opinio et longe ab intellectu divinitatis extranea, ut tamquam homo homini deus deo quasi indigenti subveniat. Namque si dat pater spiritum sanctum filio, dat deus deum deo. Pater enim deus et filius deus et spiritus sanctus deus, et unus idemque deus. Non autem intelligimus deum a deo deum accipere, nisi hoc dicatur, cum est deus de deo ut filius et spiritus sanctus. Dicitur ergo spiritus sanctus spiritus filii non ob aliud, nisi quia ex ipso est.

V.

Post resurrectionem legimus quia »insufflavit« dominus in discipulos suos et ait illis : »Accipite spiritum sanctum«. Quid sibi vult ista insufflatio ? Scimus enim quia flatus ille qui de ore eius tunc processit, non erat spiritus sanctus. Non ergo credimus illam insufflationem sine aliquo mysterio factam esse. Quid igitur rectius hic intelligi potest aut aptius, quam hoc ideo illum fecisse, ut intelligeremus spiritum sanctum de illo procedere ? Ac si diceret : Sicut videtis hunc flatum, per quem vobis spiritum sanctum sicut sensibilibus insensibilia significari queunt, significo de intimo corporis mei et de persona mea procedere : ita scitote spiritum sanctum, quem vobis per hunc flatum significo, de secreto deitatis meae et de mea persona procedere. Unam enim personam verbi et hominis et in ea duas naturas, divinam scilicet et humanam, credimus et confitemur.

Sed dicent forsitan : Flatus utique ille non erat de substantia humana, et tamen quasi suum illum emittebat. Quapropter docemur per huiusmodi sancti spiritus dationem, quia cum dat filius spiritum sanctum, dat et mittit suum spiritum, sed non de suae divinitatis essentia. Dicant igitur si qui hoc opinantur quia, sicut flatus non est humana natura cum emittitur ab homine, ita spiritus sanctus non est divina substantia cum datur vel mittitur a deo filio ; quod nullus confitetur Christianus. Dicant etiam cum audimus : »verbo domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum«, si ibi non negant intelligendum per spiritum oris domini spiritum sanctum, non illum esse de essentia domini, cuius oris spiritus dicitur, quia spiritus qui ex ore solet hominum procedere, non est de substantia illius de cuius ore procedit.

9-10 sanctum] Ioh. 20,22. 27-28 eorum] Ps. 32,6.

11 enim *om. I* 23 sancti spiritus] spiritus sancti *E* dationem] donationem *E* 24 divitatis *Q*

Quod si non audent dicere spiritum scilicet dei non esse de essentia dei, et per verba rerum sensibilium, id est per spiritum oris, intelligunt spiritum sanctum de secreto eius essentiae procedere cuius oris spiritus dicitur: fateantur etiam eundem spiritum sanctum de illius essentia procedere, cuius labiorum spiritus dicitur. Legimus enim in propheta de Christo quia »spiritu labiorum suorum interficiet impium«. Aut ergo ostendant diversitatem inter spiritum oris et spiritum labiorum – quod fieri nequit –, aut pariter concedant spiritum sanctum procedere de illo cuius oris, et de illo cuius labiorum spiritus designatur. At si dicunt nequaquam per »spiritum labiorum« ibi intellig spiritum sanctum debere, sed verba praedicationis eius, quae ex isto aereoı spiritu humano more formavit, quia verbis suis interficit impium, cum docendo ab homine avertit impietatem: non utique hoc faciunt verba sensibilia et iste spiritus sensibilis, sed spiritus sanctus, de quo dicit deus per prophetam: »Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri«. Spiritus ergo sanctus interficit impium, cum cor eius convertit ab impietate ad pietatem. Quod si intelligimus in illo impio antichristum, »quem dominus IESUS interficiet spiritu oris sui«: non puto quod aliquis tantum attribuat virtutem illam spiritui vocis humanae, quantum spiritui divino.

Si ergo spiritus sanctus intelligitur in his dictis, cum pariter dicatur spiritus oris domini, cuius verbo »caeli firmati sunt«, id est patris, et spiritus oris domini IESU, et spiritus labiorum eius: non apparet cur magis intelligi debeat procedere de ore patris quam de ore filii. Et si per os patris intelligimus essentiam patris – non enim est aliud os eius quam essentia eius, ut sicut verbum domini est de essentia eius, ita spiritus oris eius non sit nisi de eius essentia –: quid apertius quam, sicut spiritus oris patris est de essentia patris et procedit, ita spiritus oris et labiorum filii, de filii essentia sit et procedat? Puto enim quia nemo intelliget simpliciter, ubi dictum est: »Verbo domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum«, verba transitoria, et spiritum qui de hoc aëre assumptus per os loquentis emittitur.

Sed quomodocumque haec aliquis exponere conetur, sufficit quod in illa insufflatione domini in discipulos, cuius feci mentionem, factum est ad

5-6 impium] Is. 11,4. 14-15 vestri] Ezech. 36,26 s. 17 oris sui] 2Thess. 2,8.
29 eorum] Ps. 32,6. 33 feci mentionem] Cf. p. 194, 9 ss.

25 non sit nisi] non *et* nisi *om. E* 29 Verbo] verbo *AR*

significandum quia de eiusdem personae secreto procedebat ille spiritus quem dabat, de cuius occulto spiritus ille procedebat quem insufflabat. Denique cum scriptura divina significat aliquid secretum per sensibilium similitudines, 3
non per omnia quae significant et quae significantur, similia possunt esse. Non enim hoc esset similitudo, sed identitas. Nisi forte quis dicere voluerit illam insufflationem ita simpliciter esse factam a sapientia dei sine omni 6
spirituali significatione. Sed neminem puto ita insensatum ut hoc sentiat

7 sentiat] Ad c. V cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. IV, c. XX, n. 29 (*PL* 42,908): Nec possumus dicere quod spiritus sanctus et a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum ait: *Accipite Spiritum sanctum* (Joh. 20,22). Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit; sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum sanctum. — *De Genesi ad litteram*, l. X, c. V (*CSEL* XXVIII, pars II, p. 301; *PL* 34,412): Neque enim etiam flatus ille ex corpore Domini substantia erat Spiritus sancti, quando sufflavit et ait: *accipite Spiritum sanctum;* sed utique significatum est sic etiam ab ipso procedere Spiritum sanctum, quomodo ab eius corpore flatus ipse processit. — *Tractat. in Joh.* XCIX, n. 7 (*PL* 35, 1889): Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se repraesentans discipulis suis insufflasset dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus et de ipso? — *Ibidem, Tract.* CXXI, n. 4 (1958): *Hoc cum dixisset, insufflavit et dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Insufflando significavit Spiritum sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed et suum. — *De civitate Dei*, l. XIII, c. XXIV, n. 3 (*CSEL* XXXX, pars I, p. 655; *PL* 41,400). — RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. I, c. III (*PL* 121, 231): Quid enim per insufflationem, nisi Spiritus sancti processionem significat? Non ut flatus ille corporeus ex aere sumptus, et pulmonum ministerio per oris organum effusus, Spiritus sancti fuerit substantia, verum tali nos modo voluit edocere, Spiritum sanctum ex seipso procedere, et de substantia Filii Spiritus quoque sancti substantiam manare. — *Ibidem*, l. II, c. VI (267): Similiter cum insufflat eum mittendo: non mittit extraneum, nec aliunde quam de propria natura: nec potest negari processu eius a Filio, quem insufflando ex intimis suae divinitatis Filius emittit. — *Ibidem*, c. IV (257 s.): Itaque cum diceret (sanctus AMBROSIUS): *Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui*, et subiunxerit, non hic acquisitam gratiam esse, humanitatem removit, ut Spiritus oris, quo si Antichristus interficiendus, divinitatis intelligatur Spiritus, videlicet Spiritus sanctus, qui est in sancta Trinitate una persona; ut quod ait, *Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui*, Spiritum sanctum intelligas, qui sit Spiritus Domini Jesu. Simul videndum, quia cum de eodem Spiritu dicatur quod sit Spiritus oris Domini, et nunc dicitur quod sit Spiritus oris Domini Jesu, clarissime monstratur Spiritus sanctus procedere ex ore Domini Jesu, non quod secundum divinitatem os habeat, sed quod de substantia illius procedat; quemadmodum dicitur Spiritus oris Domini, quoniam procedit de Patris

5 esset] esse *I* 7 spiritali *E*

VI.

Item filius dicit de spiritu sancto: »Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur«. Quid est »non loquetur a semetipso«, nisi: ab alio habebit quod loquetur? Et quid est ‚ab alio habebit quod loquetur', nisi: ab alio habebit scientiam eorum quae loquetur? Unde postquam dicit: »non loquetur a semetipso«, addit: »sed quaecumque audiet loquetur«. Quid est audire spiritui sancto nisi quasi discere, et quid est discere nisi scientiam accipere? Si ergo scientia eius non est aliud quam essentia eius, ab illo habet essentiam, a quo audit ea quae loquitur et quae docet, quoniam idem est illi loqui quod docere. Non autem audit neque habet essentiam ab alio, nisi aut a patre aut a filio. Verum si habet esse a patre, secundum supradictam rationem habet etiam et a filio. Unde et idem dicit filius: »Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis«. Quippe quid aliud est hoc dicere quam: a me audiet, hoc est a me sciet, quod annuntiabit vobis? Cum dixit: »quaecumque audiet loquetur«, non determinavit a quo audiet; cum vero ait: »de meo accipiet«: ne quis soli patri attribuat quod ab alio audit, aperte se esse a quo sicut a patre scientiam sive essentiam accipiat demonstrat. Sicut enim cum dicitur: »non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur« et »annuntiabit vobis«, significatur ab eo esse et procedere a quo audit: ita cum profert filius: »de meo accipiet et annuntiabit vobis«, palam ostendit eum de suo, hoc est de essentia sua, essentiam habere et procedere. Quod enim divina essentia non est, sub spiritu sancto est; nec ipse accipit aliquid de hoc quod sub se est. Quare cum filius dicit: »de meo accipiet«, non aliud ibi suum significat quam suam essentiam.

substantia. Igitur evidentissima monstratur assertione procedere Spiritum tam de Patre quam de Filio, dum legitur quod sit Spiritus oris et Patris et Filii. 2-3 loquetur] Ioh. 16,13. 12 supradictam] Cf. n. II, p. 189,23 ss. 13-14 vobis] Ioh. 16,14. 25 essentiam] Ad n. VI cf. FULGENTIUS, *Contra Fabianum*, ex l. VII, Fragm. XXV (*PL* 65,780 s.): Illud igitur primitus attendamus, quod ait: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur.* Quis autem comprehendit qualis sit illius simplicis naturae locutio, vel qualis auditio? Ubi, sicut non est aliud sapere, vel scire, quam esse, ita non est aliud audire quam esse. Audit itaque Spiritus sanctus quaecumque Pater et Filius dicit, et haec eadem similiter dicit; sicut videt Filius quae Pater facit, et haec eadem similiter facit. In illa enim natura, ubi est summa et vera simplicitas,

14 est *om. R* 22 essentiam] essentia *I*

VII.

Illud forsitan quod dixit filius: »de meo accipiet et annuntiabit vobis«, aliter conabuntur intelligere quam ego exposuerim. Sed quid dicent ubi ait: »nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius, aut cui voluerit filius revelare«? Audimus quia nemo novit patrem aut filium nisi pater aut filius, et cui revelat filius. Non autem dicit »nemo« quasi ‚nullus homo', sed ac si diceret: ‚omnino nullus'. Quippe si hoc intelligeret, non adderet »nisi pater«, quia pater non est homo. Et cum ait: »neque patrem quis novit«: in hac monosyllaba dictione, videlicet »quis«, non magis intelligitur humana quam quaelibet persona. Omnino igitur nullus habet hanc notitiam nisi pater et filius, et cui filius idem revelat. Aut itaque spiritus sanctus non cognoscit patrem et filium – quod impium est opinari –, aut filius revelat ei sui et patris scientiam, quae non est aliud quam eiusdem sancti spiritus essentia.

Quodsi dicunt quia licet filius, quantum ad pronuntiationem attinet, nullum ad hanc admittat notitiam nisi se et patrem, et cui ipse revelat, non tamen spiritum sanctum aut ab illa separatum, aut illam a filio accipere fatendum est, quoniam pater et filius non se cognoscunt nisi per hoc quod unum sunt cum spiritu sancto, et ideo cum ait patrem et filium invicem se nosse, intelligendus est simul spiritus sanctus, et cum revelat filius, non spiritui sancto sed creaturae revelat; – si, inquam, hoc dicunt, nos statim constanter inferimus: Ergo si, ubi aperte veritas secundum quod verba oris eius

in eo Filius videt quod Pater facit, et Spiritus sanctus audit quod cum Patre Filius dicit, quia communione naturalis essentiae et Filius de Patre natus exstitit, et Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit. Hoc est igitur Spiritui sancto audire, quod est de natura Patris Filiique procedere... Hoc est ergo audire Spiritui sancto quod est esse, cui non aliud est esse quam scire. — RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. II, c. IV (*PL* 121,256):... sic et Spiritus quae audit loquitur, procedendo scilicet de Patre Filioque, quia substantialiter manens in utroque, et procedens ab utroque, audit quae loquitur per unitatem substantiae et proprietatem scientiae. — *Ibidem*, l. I, c. III (*PL* 121,229): Hinc in consequentibus: *At ille me clarificavit; quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (Joh. 16,14). Quid enim accipiet Spiritus sanctus a Filio, cum unius sint substantiae uniusque potentiae? Nimirum, *de meo accipiet*, dixit: id est a me procedit, quia sicut sint unius substantiae Pater et Filius, sic et de utroque procedendo Spiritus sanctus accepit consubstantialitatis existentiam. 2 vobis] Ioh. 16,14. 4-5 revelare] Matth. 11,27 (Vulg.: et cui).

13-14 spiritus sancti *E*

pronuntiant negat spiritum sanctum nosse nisi revelante filio patrem et filium, dicunt non tantum nos verba debere attendere quantum unitatem essentiae, quae una tribus et inseparabilis est: multo magis debemus huius unitatis servare consequentiam, de qua supra locutus sum, cum eam nulla aut scripto aut sensu negat auctoritas, nec profert aliquid quod contrarium sit aut aliquo modo repugnet.

Eligant itaque Graeci unum de duobus, si aperte veritati nolunt resistere: aut scilicet spiritum sanctum non nosse patrem et filium nisi revelante filio; aut propterea quia in hoc per quod se cognoscunt pater et filius, unum sunt cum spiritu sancto, quando ipsi dicuntur se nosse, consequi ex necessitate ut in eadem notitia intelligatur spiritus sanctus. Nempe nihil est medium, si nolunt hanc notitiam a spiritu sancto aut veritatem a verbis veritatis penitus abdicare. Quae utraque execratur vera confessio. Sic enim ait veritas: »Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare«. Si quidem eligunt spiritum sanctum nosse patrem et filium per revelationem filii, habet a filio nosse, quod non est aliud illi quam esse. Est igitur et procedit a filio, quoniam ab illo procedit a quo est. Si autem dicunt, cum pater et filius dicuntur se nosse, quia essentia per quam se noscunt eadem est spiritui sancto, consequi spiritum sanctum eiusdem esse consortem notitiae: cum legunt illum a patre procedere, de quo ait filius: »ego et pater unum sumus«, confiteantur nobiscum propter essentialem identitatem patris et filii, illum a filio quoque procul dubio procedere.

VIII.

Si vero obicitur, cum dicimus filium a patre nasci et spiritum sanctum a patre et filio procedere, quia quosdam gradus et quaedam intervalla constituimus, quasi spiritus sanctus esse non possit, nisi prius filius nascatur a patre, ut posterior filio sit spiritus sanctus, et ideo rectius dici quod pariter sint a patre, filius nascendo et spiritus sanctus procedendo, ita ut nec filius a spiritu sancto sit nec spiritus sanctus a filio, sicut splendor et calor pariter sunt de uno sole, nec splendor a calore est nec calor a splendore; – si, inquam, hoc aliquis nostrae obicit assertioni, respondemus:

4 supra] Cf. n. I, p. 180,19 ss. 14-15 revelare] Matth. 11,27. 20 procedere] Cf. Ioh. 15,26. 21 sumus] Ioh. 10,30. 30-31 a splendore] Ad hoc exemplum cf. CASSIODORUS, *Expositio in Ps.* L, vers. 13 (*PL* 70,367): Invenimus enim

Nos nec gradus dignitatis ponimus in deo qui unus est, nec in existendo filium de patre aut spiritum sanctum de patre et filio intervalla in aeternitate, quae est extra omne tempus, statuimus. Similiter enim omnes Christianam fidem tenentes confitemur nec minorem nec posteriorem filium esse patre, quamvis non nisi de illo sit. Ita quoque nos qui dicimus spiritum sanctum de filio esse sive procedere, nec minorem nec posteriorem eum filio fatemur. Nempe quamvis splendor et calor de sole procedant, nec possint esse nisi sit ille de quo sunt, nihil tamen prius aut posterius in tribus, in sole scilicet et splendore et calore, intelligimus. Multo itaque minus cum haec in rebus temporalibus ita sint, in aeternitate, quae tempore non clauditur, praedictae tres personae in existendo susceptibiles intervalli possunt intelligi.

Quod autem dicitur quia filius et spiritus sanctus sic possunt esse de solo patre, ut nec filius sit de spiritu sancto nec spiritus sanctus de filio, sicut splendor et calor simul procedunt de uno sole ut alter non sit de altero : non recte hoc nobis opponitur. Cum enim dicimus filium de patre et spiritum sanctum de patre esse, fatemur filium deum et spiritum sanctum deum esse de patre deo, et has tres personas unum solum esse deum et id ipsum esse de eodem ipso. In sole vero non dicimus solem esse de sole, cum splendor aut cum calor est de sole, nec id ipsum esse solem et quod est de sole, nec illa tria unum esse solem. Nam si sol et splendor unus esset sol, aut si sol et calor similiter sol unus esset, necesse esset aut splendorem esse de calore, cum esset de toto sole qui id ipsum esset quod calor, aut calorem de splendore esse, cum de sole haberet esse, qui non a splendoris differret essentia.

in sole tres istas proprietates : prima ipsa est substantia corporalis, quod sol est; deinde splendor eius qui in ipso permanet ; tertia calor qui a splendore eius usque ad nos pervenit. Quae hoc modo (si tamen tantae rei potest similitudo aliqua reperiri) arbitror aestimanda, ut quod est in sole substantia corporalis, ita intelligatur in Trinitate quodammodo persona Patris : et quod est in sole splendor eius, hoc sit in Trinitate persona Filii, sicut Apostolus dicit : *Splendor gloriae eius* (Hebr. 1,3); quod autem in sole calor, hoc sit in Trinitate persona Spiritus sancti, sicut legitur : *Quis se abscondit a calore eius?* (Ps. 18,7). 3-7 fatemur] Cf. ISIDORUS, *Differentiae*, l. II, c. III (*PL* 83,71): Nam quis considerare sufficiat ipsius Trinitatis interna mysteria?... Quomodo Pater numquam sine Filio, et tamen sine Filio Pater genuit Filium? Quomodo Filius numquam sine Spiritu sancto, et tamen ait : *Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos* (Ioh. 16,7)? Quomodo Filius non de se, sed de Patre est, nec tamen ei est posterior de quo est? Quomodo Spiritus sanctus de Patre procedit et Filio, nec tamen ab eis praeceditur a quibus procedit?

Ponamus tamen filium et spiritum sanctum ita pariter esse de solo patre, sicut calor et splendor sunt de uno sole. Sed si ita est: unde habent qui hoc dicunt quod spiritum sanctum confitentur esse filii et filium negant esse spiritus sancti? Nam sicut nulla ratio admittit ut calor sit splendoris aut splendor caloris, ita non patitur veritas ut spiritus sanctus magis sit filii quam filius spiritus sancti. Quapropter si negare non audent spiritum sanctum esse filii, negent filium et spiritum sanctum ita esse pariter de solo patre, sicut sunt splendor et calor de uno sole. Quare si hoc nobis obiciunt quod dixi de splendore et calore solis, nec cum illis nec contra nos est.

IX.

Sicut nobis dicitur, ne omnino separent filium a patris communione in hac sancti spiritus processione, asserunt eum de patre per filium procedere. Sed hoc quomodo intelligi possit non videtur, praesertim cum nusquam legant unde hoc aperte probare queant. Nam si hoc suffragari sibi existimant, quod legimus de deo quia »ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia«, ut ex quo sunt omnia sit pater, et per quem filius, et in quo spiritus sanctus, et inter »omnia« quae sunt per filium, spiritus sanctus intelligatur: hoc quidem quod ex patre sint omnia et per filium et in spiritu sancto, sine scrupulo accipimus; illud vero quod spiritus sanctus sit inter omnia, quae sic esse dicit apostolus, nimis est scrupulosum asserere. Impossibile namque est unamquamlibet

9 contra nos est] Ad n. VIII cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XV, c. XXVI, n. 45 (*PL* 42,1092): Deinde in illa summa Trinitate quae Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quae possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus; quoniam Scriptura sancta Spiritum eum dicit amborum... — *Ibidem*, n. 47 (1094): Numquid ergo possumus quaerere utrum iam processerat de Patre Spiritus sanctus, quando natus est Filius, an nondum processerat, et illo nato de utroque processit, ubi nulla sunt tempora...? Non possunt prorsus ista ibi quaeri, ubi nihil ex tempore inchoatur, ut consequenti perficiatur in tempore. Quapropter, qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de utroque. — *Tractat. in Joh.* C, n. 4 (*PL* 35,1892): Quod autem ait, *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*, catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus. Non enim propterea, sicut quidam haeretici putaverunt, minor est Filio Spiritus sanctus: quasi Filius accipiat a Patre, et Spiritus sanctus a Filio quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc credere, absit hoc dicere, absit a Christianis cordibus cogitare. — RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. I, c. IV (*PL* 121, 232): Non quod alternis temporibus de Patre procedat vel Filio, sed quod nullo interveniente tempore de Patre procedat simul et Filio. 15 omnia] Rom. 11,36.

de illis tribus personis inter illa omnia includere et duas alias excludere. Quod si pater et filius et spiritus sanctus sunt inter omnia quae sunt ex patre et per filium et in spiritu sancto, videat mens rationalis quanta sequatur confusio. Cum ergo dicit apostolus: »ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia«, intelligere sine dubio debemus omnia creata a deo, quae ita sunt »ex ipso et per ipsum et in ipso«, sicut aliud ex alio et per aliud et in alio. Quidquid enim factum est, non est idem deo sed aliud ab eo. Spiritus sanctus autem non est aliud, sed idem ipsum quod est pater et filius.

Utique nihil aliud intelligi potest, quo ostendere possint spiritum sanctum per filium de patre – sicut aiunt – procedere. Cum enim pater et filius non differant in unitate deitatis, nec spiritus sanctus procedat de patre nisi de deitate: si eadem deitas est filii, nequit intelligi quomodo procedat de deitate patris per deitatem filii et non de eiusdem filii deitate, nisi forte quis dicat spiritum sanctum non procedere de deitate patris sed de paternitate, nec per deitatem filii sed per filiationem; quae opinio sua se patenti fatuitate suffocat.

Quod si dicit aliquis quia, cum dico illum procedere de deitate patris et filii, non possum deitatem spiritus sancti ab hac patris et filii deitate separare, quoniam una et eadem est deitas trium, et ideo sequi, si de deitate patris et filii procedit, de sua quoque eum procedere et ob hoc spiritum sanctum de se ipso procedere: ad hoc iam supra me sufficienter memini respondisse quia nulla persona ex se ipsa esse potest. Nam sicut filius, cum est de patris essentia, quamvis non sit alia sed eadem filii essentia quae est patris, non tamen est de se ipso sed de patre solo: ita spiritus sanctus, cum est de essentia patris et filii quae eadem est illi, non tamen est de se ipso, sed tantummodo de patre et filio.

Dicent: Cur non similiter possumus dicere spiritum sanctum de patre per filium procedere, sicut dicimus a patre omnia facta per verbum quod est filius? Sicut enim cum pater facit per verbum suum, non facit per aliud quam per hoc quod ipse est, hoc est per essentialem potestatem quae est eadem verbi, et tamen dicitur facere per verbum: cur non similiter dicimus spiritum sanctum a patre procedere per verbum, cum non procedat a patre, nisi de hoc et per hoc quod idem est illi cum filio, quamvis non ut creatura sed ut id ipsum de eodem ipso?

21 supra] Cf. n. I, p. 180,10-11. 28 per verbum] Cf. Ioh. 1,3.

23 quae est] est *om.* *R* 26 et filio] et de filio *QI* 34 id ipsum] id *om.* *R*

Videamus quid sequatur, si hoc dicimus, et pax sit inter nos. Nempe quae facta sunt a patre per verbum, facta sunt ab ipso verbo. Ipsum namque verbum dicit: »Quaecumque enim« pater »fecerit, haec et filius similiter facit«. Dicamus igitur quia spiritus sanctus, cum procedit a patre per filium, procedit et a filio similiter, sicut quae facta sunt a patre per verbum, facta sunt similiter ab ipso verbo.

Nisi forte intelligunt spiritum sanctum procedere de patre per filium, quemadmodum cum fons fluit in rivum et rivus colligitur in lacum, dicitur lacus esse de fonte per rivum. Sed ibi non est rivus in fonte sed extra fontem, sicut est filius in patre et non extra patrem. Quare non sic est spiritus sanctus de patre per filium, sicut est lacus de fonte per rivum. Si tamen sic est, negari nequit esse de filio, quamvis sit de patre per filium, sicut fatendum est lacum esse de rivo, quamvis sit de fonte per rivum. Qui enim negat lacum esse de rivo, quoniam prius est de fonte rivus: dicat se non esse de patre suo sed de ADAM, quoniam per patrem suum est de ADAM. Dicat etiam filium virginis non esse de MARIA nec de DAVID nec de ABRAHAM, quoniam isti prius fuerunt de ADAM; et dicat falsum esse quod dictum est ABRAHAE: »in semine tuo benedicentur omnes gentes«; et ad DAVID: »De fructu ventris tui ponam super sedem tuam«; et ad MARIAM: »benedictus fructus ventris tui«; dicatque Christum non esse horum semen vel fructum sed ADAE, quoniam isti ab illo descendunt. Sed neque de ADAM est filius virginis secundum hunc sensum, sed de limo de quo factus est ADAM.

At inferent: Bene dicimus spiritum sanctum non procedere de filio sed de patre per filium, quamvis sit de patre et de filio, sicut dicis lacum esse de fonte et de rivo. De processionis namque verbo quaestio est inter nos, quam vos asseritis esse de filio et nos negamus. Ecce enim videtis rivum de fonte procedere quasi de originali principio. Lacus autem non procedit sed colligitur de rivo, quamvis habeat esse de illo. Ita igitur etiamsi spiritus sanctus habeat esse de filio, non tamen procedere proprie dicitur de filio, sed de patre quasi de principio.

3-4 facit] Ioh. 5,19. 7 Nisi forte] Ad sequentia cf. *Epist. de incarnatione verbi*, n. XIII et XIV, p. 31 ss. 18-19 gentes] Gen. 22,18 (Vulg.: benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae). 19 tuam] Ps. 131,11. 20 ventris tui] Luc. 1,42.

14 quoniam] quam *E* 19 De] de *EQI*

Hoc forsitan diceretur recte, si filius nascens de patre procederet extra patrem, et medio quodam spatio interveniente prius intelligeretur esse spiritus sanctus de patre quam de filio, sicut rivus de fonte fluens extra fontem procedit et quodam intervallo in lacum colligitur, et prius est lacus de fonte quam de rivo ; et ideo est de fonte per rivum, non de rivo per fontem. Verum cum filius nascens de patre non exeat extra patrem, sed in ipso manens nec loco nec tempore nec essentia diversus sit a patre ; et cum unum idemque sit patri et filio id unde procedit spiritus sanctus : nec intelligi potest nec dici debet spiritum sanctum procedere de patre et non de filio. Non ergo videtur qua ratione dicatur spiritus sanctus non procedere de filio, sed de patre per filium, cum etiamsi per filium, nequeat non de filio.

Si quis tamen vult dicere filium de patre procedere magis proprie quam spiritum sanctum de filio, quamvis spiritus sanctus de illo sit – sicut rivus magis illi videtur procedere de fonte quam lacus de rivo –, ne concedat spiritum sanctum procedere de filio de quo habet esse, sicut lacus de rivo : nos non negamus nascentem aliquo modo procedere de illo de quo nascitur, et spiritum sanctum suo modo asserimus non quasi de duobus fontibus, sed vere de uno fonte procedere, ita tamen ut nomen nativitatis nec processio filii amittat nec spiritus sancti processio recipiat. Non est igitur cur magis dici debeat filius procedere de patre quam spiritus sanctus de filio.

Consideremus diligentius quomodo lacus sit de fonte pariter et de rivo, ut per hoc sicut per temporale et locale aliquid potest intelligi quod aeternum est, cognoscamus spiritum sanctum esse de patre et filio. Multa enim in horum consideratione, sicut in epistola ad venerabilis memoriae URBANUM papam *De incarnatione verbi* scripsi, inveniuntur, quae uni deo et tribus personis per quandam similitudinem aptantur. Constat quia una et eadem aqua est quae et fons et rivus et lacus dicitur, non tres aquae, quamvis tres sint fons, rivus et lacus. Discernamus itaque inter fontem et rivum et lacum, et videamus quid singula haec, cum tria sint, in una intelligantur aqua.

In fonte quidem de abysso ascendens aqua ebullit, in rivo de fonte descendens fluit, in lacu colligitur et manet. Per fontem ergo intelligitur aqua

25-26 scripsi] Cf. n. XIII, p. 31,2 ss.

2-3 spiritus sancti esse *E* 10 spiritus sanctus] sanctus sanctus ($\overline{\text{scs}}$ $\overline{\text{scs}}$) *a prima manu ; ab alia manu mutatum in* sanctus spiritus ($\overline{\text{scs}}$ $\overline{\text{sps}}$) *R* 32 in lacu] *mutat. in* per lacum, *superscript.* vel in lacum *R* ergo] igitur *R*

de abysso ebulliens, per rivum, quia de fonte fluit, per lacum, quia simul ibi coadunatur. Videmus autem quia rivus non est de hoc unde aqua fons dicitur, sed de hoc quod est, id est de aqua ; nec lacus est de hoc unde aqua dicitur fons aut rivus, sed de ipsa aqua, quae una et eadem est in fonte et in rivo. Non ergo de hoc unde differunt fons et rivus, sed de hoc in quo unum sunt lacus existit. Si ergo non magis est fons hoc unde lacus est quam rivus, nequit intelligi lacus magis esse de fonte quam de rivo. Sic itaque cum deus dicitur pater aut filius aut spiritus sanctus, una in tribus intelligitur essentia et unus deus, quod nomen est ipsius significativum essentiae ; sed in patre intelligitur gignens, in filio genitus, in spiritu sancto singulari quodam et ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur lacus non est de hoc unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua in qua unum sunt : ita spiritus sanctus non est de hoc unde alii sunt ab invicem pater et filius, sed de divina essentia in qua unum sunt. Si ergo non magis est pater hoc unde spiritus sanctus est quam filius, intelligi nequit cur magis sit de patre quam de filio.

X.

Quod si dicunt non eum posse esse de duabus causis sive de duobus principiis, respondemus quoniam, sicut non credimus spiritum sanctum esse de hoc unde duo sunt pater et filius, sed de hoc in quo unum sunt : ita non dicimus duo eius esse principia, sed unum principium. Quippe cum dicimus deum principium creaturae, intelligimus patrem et filium et spiritum sanctum unum principium non tria principia, sicut unum creatorem non tres creatores, quamvis tres sint pater et filius et spiritus sanctus, quoniam per hoc in quo unum sunt, non per hoc per quod tres sunt, est pater aut filius aut spiritus sanctus principium sive creator. Sicut igitur, quamvis pater sit principium et filius principium et spiritus sanctus principium, non tamen sunt tria principia sed unum : ita cum spiritus sanctus dicitur esse de patre et de filio, non est de duobus principiis sed de uno, quod est pater et filius, sicut est de uno deo, qui est pater et filius, – si tamen dici debet deus habere principium aut causam.

5 et in rivo] *sic B; Trecens. 964; Divion. 182* in *om. ARE; Trecens. 835 (s. XII.); Ebroicens. 86 (s. XII.)* *in Q rasura* differunt] differtur *R; Ebroic. 86* 21 esse eius *RI* esse *om. E* 24 sint *om. R* 25 per quod] per *om. RI* 30 qui] quod *R; Trec. 835 et 964*

Principium namque videtur non nisi rei incipientis esse et causa non nisi effectus, et spiritus sanctus numquam incepit esse nec est effectus alicuius. Quod enim incipit esse, proficit de non esse ad esse ; et nomen ‚effectus' rei quae fit aptari proprie videtur. Quoniam tamen verum est filium esse de patre et spiritum sanctum de patre et filio, si suo ineffabili quodam modo intelligitur – quoniam aliter proferri nequit –, dici non incongrue potest pater quodam modo principium filii et pater et filius principium spiritus sancti. Nec tamen duo confitemur principia, unum patrem ad filium, alterum patrem et filium ad spiritum sanctum, sicut non credimus alium deum patrem de quo est filius, et alium deum patrem et filium de quo spiritus sanctus est ; quamvis de eodem deo sive de eodem principio suo quisque modo sit, alter scilicet nascendo, alter procedendo, – si quodam singulari et ineffabili modo intelligitur ista processio. Processio namque multis modis dicitur, de quibus iste solitarius intelligitur, sicut nativitas filii singularis cognoscitur. Id ipsum intelligitur, si dicimus patrem esse causam filii, et patrem et filium causam spiritus sancti. Non enim duas possumus dicere causas, aliam videlicet filii, aliam spiritus sancti, sed unam, quemadmodum non duo dii sunt sed unus, de quo est filius et spiritus sanctus.

XI.

Si autem quaeritur, cum dominus dixit : »cum venerit paraclitus, spiritus veritatis, qui a patre procedit«, cur non addidit : ‚et a filio' vel ‚a me', si sic voluit intelligi : non est hoc inusitatum in dictis illius, ut cum attribuit aliquid patri quasi soli vel sibi vel spiritui sancto, velit in aliis intelligi quod in uno loquitur. Nam cum dicit : »beatus es, SIMON BAR IONA, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in caelis« : nonne ipse filius et spiritus sanctus intelligendus est revelasse cum

18 spiritus sanctus] Ad n. X cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. V, c. XIV (*PL* 42,921): Si ergo et quod datur, principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit: fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia; sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus. 20-21 procedit] Ioh. 15,26 (Vulg.: Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis...). 24-26 in caelis] Matth. 16,17 (Vulg.: qui in caelis est).

6 nequit proferri *E* 13 modis multis *AI* 22 hoc *om. R*

patre? Quoniam enim pater non revelat per hoc quia pater est, sed per hoc quod deus est, et idem deus est filius et spiritus sanctus, sequitur ut quod revelat pater, revelet filius et spiritus sanctus. Item cum dicit: »nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare«, quasi solus filius cognoscat et revelet patrem et se, et solus pater cognoscat filium: intelligendum est ibi revelare et nosse tribus personis esse commune, quoniam non per hoc quod alii sunt ab invicem, sed per hoc quod unum sunt pater et filius et spiritus sanctus, cognoscunt et revelant. Cum etiam dicit patrem nosse filium et filium nosse patrem et revelare se et patrem, aperte vult intelligi quia pater noscit spiritum sanctum, et filius noscit et revelat spiritum sanctum, quoniam id ipsum quod est pater et filius, est etiam spiritus sanctus. Similiter cum dicit: »qui me videt, videt et patrem«: non est separandus spiritus sanctus, quoniam qui videt hoc in quo unum sunt pater et filius et spiritus sanctus, non potest videre unum de his tribus sine aliis duobus. De spiritu quoque sancto dicit ad apostolos: »cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem«, quasi solus spiritus sanctus doceat omnem veritatem, cum nec sine patre nec sine filio doceat omnem veritatem. Non enim per hoc quia est spiritus alicuius, scilicet patris et filii spiritus, sed per hoc quod unum est cum patre et filio, id est per hoc quod deus est, docet omnem veritatem.

Videtis igitur quomodo in iis quae proposui, quod uni quasi soli attribuit, ab aliis non possit personis duabus separari? Multa huiusmodi in sacra scriptura legimus, ut quod de una persona singulariter dicitur, indifferenter de tribus intelligatur. Quidquid enim de una pronuntiatur persona, de aliis pariter oportet intelligi, nisi cum hoc unde aliae sunt – ut dixi – ab invicem obviare cognoscitur. Quapropter cum credimus spiritum sanctum de patre procedere, quoniam deus de deo, id est essentia spiritus sancti de essentia patris, quae una est tribus esse intelligitur: necesse est ut de filio eum similiter esse confiteamur, si filius non est de illo. De hoc enim est spiritus sanctus, quod est filius et quod est pater.

3 ss. Item] Cf. supra n. VII, p. 198,3 ss. 3-5 revelare] Matth. 11,27. 12-13 patrem] Ioh. 14,9 (Vulg.: qui videt me). 12-15 duobus] Cf. RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. I, c. VII (*PL* 121,240 s.): Sic ergo et qui videt Christum, videt et Spiritum sanctum, qui est in Christo. 16 veritatem] Ioh. 16,13. 25 ut dixi] Cf. n. I, p. 180,19-181,4.

8 et filius] et *om.* *R* 12 videt me *E* 14 unum videre *I* 18-19 spiritus est *R*

Sed dicet aliquis : Ideo intelligimus filium et spiritum sanctum revelare quod solus pater revelare dicitur, et patrem et spiritum sanctum revelare et nosse quod solus filius facere dicitur, et patrem et filium docere quod solus spiritus sanctus doctum ire promittitur : quia quod de uno solo in uno loco legitur, de aliis alibi aperte significatur. Cum vero dicit spiritum sanctum de patre procedere, non legimus alicubi eum de filio procedere ; per quod monemur non nostro sensu quod nusquam dictum est asserere.

Ad quod respondemus quia potius docemur per haec quae sic dicta sunt, ea quae in similibus dictis tacentur similiter intelligere, praesertim cum ex iis quae dicuntur, nulla ratione contradicente ea quae non dicuntur rationabili necessitate consequi apertissime viderimus. Cum enim dicit dominus ad patrem : »Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum deum verum et quem misisti, IESUM Christum« : an ideo debemus separare ab hac salubri et vitali cognitione spiritum sanctum, quia nusquam legitur : haec est autem vita aeterna, ut cognoscant patrem solum deum verum et spiritum sanctum ; aut : haec est vita aeterna, ut cognoscant filium solum deum verum et spiritum sanctum ? Aut cum legimus quia »sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso« : dicemus spiritum sanctum non habere a patre, a quo est, ut habeat vitam in semetipso, sicuti habet pater et filius, quoniam hoc nusquam dicit filius de spiritu sancto, sicut de se ipso ? Item cum dicit : »pater in me est et ego in patre« ; et: »qui videt me, videt et patrem« : an negabimus spiritum sanctum esse in patre et filio, et patrem et filium esse in spiritu sancto ; aut eum qui videt filium videre spiritum sanctum, sicut videt patrem, si haec non eadem pronuntiatione leguntur qua de patre et filio proferuntur ?

Immo quoniam unus idemque deus est pater et filius et spiritus sanctus : cum dicitur cognoscere »solum deum verum«, patrem et filium, esse vitam aeternam, inseparabiliter intelligendus est in illa cognitione spiritus sanctus ; et cum legimus quia »sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso«, non debemus vitam eandem aestimare alienam

11 ss. Cum enim] Cf. supra, n. III, p. 190,21 ss. 12-13 IESUM Christum] Ioh. 17,3. 17-18 in semetipso] Ioh. 5,26. 21 in patre] Ioh. 14,10 (Vulg.: Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?). 22 patrem] Ioh. 14,9.

12 Haec] haec *ARI; dubium in B* 15 verum deum *E* 16 verum deum *RI; Trec. 835 et 964* 17 sanctum?] ? *om. I* 30 in semetipso? Non *E*

a spiritu sancto, aut quod illam non in semetipso habeat. Et cum audimus: »pater in me est et ego in patre«; et: »qui videt me, videt et patrem«: cognoscere debemus per haec quae ita dicuntur, quia spiritus sanctus non est extra patrem et filium, aut pater et filius extra spiritum sanctum, et quia per visionem filii videtur spiritus sanctus sicut pater. Sicut enim non est alius deus pater, alius deus filius, alius deus spiritus sanctus: sic non habet deus aliud in se ipso quam deus, nec est deus extra deum, nec deus est dissimilis deo.

Denique ubi legimus in propheta aut evangelista aut apostolo his verbis deum unum esse tres personas, aut unum deum esse trinitatem, aut deum de deo? Sed neque in illo symbolo, in quo non est prolata processio sancti spiritus de filio, invenimus nomen personae vel trinitatis. Quoniam tamen ex iis quae legimus haec apertissime sequuntur, constanter ea et corde credimus et ore confitemur. Quare non tantum suscipere cum certitudine debemus quae in sacra scriptura leguntur, sed etiam ea, quae ex his nulla alia contradicente ratione rationabili necessitate sequuntur.

XII.

Quamvis quae supra iam dicta sunt possint sufficere, adhuc tamen aliquid addam unde spiritus sanctus cognoscatur esse de filio. Confitentur Graeci nobiscum spiritum sanctum esse spiritum dei et spiritum patris et spiritum filii. Quaero itaque si eodem modo intelligunt esse illum spiritum dei et spiritum patris et spiritum filii, aut dissimiliter. Certum est autem quia non dicitur spiritus dei sicut possessio, ut cum dicitur equus alicuius vel domus alicuius. Maior enim est qui possidet quam quod possidetur. Deus autem non est maior spiritu sancto, quia spiritus sanctus est deus nec deus maior est deo. Neque dicitur spiritus dei ut membrum dei, sicut manus vel

11 in illo symbolo] Scil. in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano. 13-14 corde credimus et ore confitemur] Cf. Rom. 10,10. 22-26 deo] RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. I, c. V (*PL* 121,235): Nemo quod non habet donare praevalet: sic Filius testatur habere Spiritum sanctum, quem dedit omnibus obedientibus sibi. Quemadmodum autem habet per unitatem substantiae, non per possessionis obtentum, sic et cum donat, non alieni iuris quasi donum tribuit, sed sui quod est proprium muneris impertitur.

6 habet deus] deus *om. R* 9 Denique] denique *I* evanglista *A* 12-13 ex his *Q* 21 illum *om. R* 23 dei *om. E* 24 est enim (est *insert.*) *I*

pes hominis. Non enim deus habet membrum aut partem ullam. Quomodo ergo intelligendus est spiritus esse dei, nisi quia hoc quod est ex deo est? Non autem aliud significat nomen patris quam deum qui pater est, aut relationem eius ad filium, ex qua patris nomen habet. Similiter dicendum est de filio. Quid namque intelligitur in nomine filii, nisi deus qui filius est, aut relatio qua refertur ad patrem, per quam filius appellatur? Sed nullus sensus capit spiritum sanctum esse spiritum patris aut filii, secundum quod alter est pater, alter filius, sed secundum quod uterque unus idemque deus est. Quare idem intellectus est, cum dicitur spiritus dei et spiritus patris et spiritus filii.

Sed spiritus dei dicitur et spiritus patris, quia est et procedit de deo et de patre. Itaque est et procedit etiam de filio, quia eodem sensu spiritus filii dicitur. Nam cum dicitur spiritus sanctus spiritus dei et spiritus domini: si non intelligimus ibi spiritum filii eo sensu quo spiritum patris, aut separabimus filium a nomine dei vel domini, aut bifariam intelligetur spiritus dei sive spiritus domini. Sed unde hunc habent sensum, aut ubi legitur in sacra scriptura quod similiter non intelligatur de patre et de filio, cum legimus spiritum dei aut spiritum domini; aut quid invenitur unde hoc sequatur? Nam si dicunt: cum dicitur spiritus patris, duobus modis intelligitur – est enim spiritus patris, quia est de patre et quia datur a patre, filii vero spiritus non est, nisi quia datur a filio –: hoc est quod quaero unde habeant. Et si dicunt quod in nulla authentica dictum est pagina, nec sequitur ex eo quod ibi scriptum sit: cur nos reprehendunt, cum dicimus spiritum sanctum procedere de filio, ideo quia haec verba non legunt, cum ex iis quae legunt et credunt hoc ex necessitate consequi intelligamus?

Iudicent ergo ipsi quid potius suscipiendum sit, quamvis utrumque in sacra pagina taceatur: an hoc quod nos dicimus spiritum sanctum procedere de filio, quod ostendimus ex iis consequi quae veraciter credimus; an quod ipsi dicunt spiritum sanctum aliter esse spiritum patris, aliter filii, quod nec auctoritate nec ratione nec ex iis quae certa sunt possunt ostendere. Utique aut debent cessare ab hac sua sententia – si tamen hoc dicunt, ut audio, quia spiritus sanctus aliter est spiritus filii quam spiritus patris –, cum hoc nusquam legant, vel unde hoc probent; aut saltem nos non reprehendere debent, qui dicimus spiritum sanctum procedere de filio, quamvis his verbis hoc non legamus, quoniam ex iis quae pariter credimus hoc consequi mon-

14 intelligeretur *E* 20 nisi *om. E* 27 ex his *IQ* 29 ex his *Q* 34 ex his *RQ*

stramus. Sed si cessant ab hac sua assertione, credant pariter nobiscum spiritum sanctum similiter esse patris et filii spiritum, et intelligant eum a filio sicut a patre procedere. Et si nos reprehendere desinunt, fateantur nobiscum hoc unde cognoscunt nos reprehendi non debere.

XIII.

Ad hoc autem quod nos reprehendunt in symbolo illo, quod pariter nos et illi suscipimus et tenemus, addidisse spiritum sanctum de filio procedere, et quaerunt cur hoc factum sit et quare prius hoc eorum ecclesiae monstratum non est, ut communiter consideraretur et communi consensu adderetur quod addendum erat : ad hoc, inquam, responsum sufficiens habemus.

Nam si quaeritur cur factum sit, dicimus quia necesse erat propter quosdam minus intelligentes, qui non animadvertebant in illis quae universa credit ecclesia contineri, et ex his sequi spiritum sanctum de filio procedere, ne forte hoc credere dubitarent. Quod quam necessarium fuerit, per illos qui hoc negant, quia in illo symbolo positum non est, cognoscimus. Quoniam igitur et necessitas cogebat et ratio nulla prohibebat et vera fides hoc admittebat, fiducialiter asseruit Latinitas quod credendum et confitendum esse cognoscebat. Scimus enim quod non omnia quae credere et confiteri debemus, ibi dicta sunt, nec illi qui symbolum illud dictaverunt, voluerunt fidem Christianam esse contentam ea tantummodo credere et confiteri quae ibi posuerunt. Ut enim alia taceam, non ibi dicitur dominus ad infernum descendisse, quod tamen pariter et nos et Graeci credimus. Si autem dicunt nullo modo debuisse corrumpi symbolum tanta auctoritate taxatum, nos non iudicamus esse corruptionem, ubi nihil addimus quod iis quae ibi dicta sunt adversetur. Et quamvis defendere possimus hanc adiectionem non esse corruptionem : si quis tamen hoc contentiose voluerit asserere, respondemus nos illud non corrupisse, sed aliud novum edidisse. Illud enim secundum proprietatem Graeci dictaminis translatum, cum illis integrum servamus et veneramur, istud autem quo frequentius in populi audientia utimur, Latino more dictatum cum additamento supradicto edidimus.

4 debere] Ad n. XII cf. RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. I, c. IV (*PL* 121,232) : Num alius est Spiritus Filii quam Spiritus Patris? Quod si idem est Spiritus amborum, profecto procedit ab utroque... Qua de re non est quare dicatur Spiritus Filii, nisi quia procedit a Filio ; sicut dicitur Spiritus Patris, quia procedit a Patre.

Quod autem quaeritur quare hoc Graecorum ecclesiae consensu factum non est, respondemus quia et nimis erat Latinis difficile eorum episcopos ad consulendum de hac re colligere, nec erat necesse unde non dubitabant hoc in quaestionem adducere. Quae est enim ecclesia quae vel per amplitudinem unius regni dilatetur, cui non liceat aliquid secundum rectam fidem constituere, quod in conventu populi utiliter legatur aut cantetur? Quanto ergo magis licuit Latinis hoc constanter proferre, in quo omnes gentes et omnia regna quae Latinis utuntur litteris pariter concordant?

XIV.

Colligamus breviter quod supra pluribus rationibus effectum est. Constat inexpugnabili ratione spiritum sanctum esse de filio, sicuti est de patre, nec tamen esse quasi de duobus diversis, sed quasi de uno. Ex eo enim quod pater et filius unum sunt, id est ex deo, est spiritus sanctus, non ex eo unde alii sunt ab invicem. Sed quoniam deus de quo est spiritus sanctus est pater et filius, idcirco vere dicitur esse de patre et de filio qui duo sunt. Et quoniam pater non est prior aut posterior filio aut maior aut minor, nec alter magis aut minus est deus quam alter: non est spiritus sanctus prius de patre quam de filio, nec de filio quam de patre, nec maior nec minor est existens de patre quam existens de filio, nec magis nec minus est de uno quam de altero. Nam si prius aut post, vel maior aut minor, aut magis aut minus de uno esset quam de altero: ex necessitate sequeretur ut aut spiritus sanctus non esset de hoc in quo unum sunt pater et filius, aut ipsum unum non esset perfecte et simpliciter unum, sed esset ibi aliqua diversitas, de qua illa quam dixi in existendo de eodem uno spiritum sanctum esset varietas. Sed dici non potest quod spiritus sanctus non sit de hoc in quo unum sunt pater et filius – alioquin non esset de deo –, nec credi debet quod in ipso uno sit secundum quod est aliqua diversitas. Quare nec prius nec post, nec maior aut minor, nec magis aut minus est spiritus sanctus de patre quam de filio, aut de filio quam de patre. Non enim unus idemque spiritus sanc-

8 concordant] Ad n. XIII cf. RATRAMNUS, *Contra Graecorum opposita*, l. II, c. II (*PL* 121,245 ss.). 10-14 ab invicem] Cf. n. X, p. 205,18 ss. 16-20 de altero] Cf. symbolum, quod dicitur s. Athanasii: Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus (Denzinger, n. 39).

2 difficile Latinis *E* 19 quam existens] existens *om. R* nec magis] nec *bis R*

tus, qui semel totus est de deo toto, magis et minus potest esse de uno et summe simplici deo.

Quod si dicitur quia spiritus sanctus principaliter est de patre, quasi magis sit de patre quam de filio, non ita dicendum est, ut intelligatur ulla praedictarum varietatum inesse. Sed quoniam filius hoc quod est habet de patre, idcirco hoc ipsum quod spiritus sanctus est de filio habere de patre, de quo habet esse, non inconvenienter asseritur. Quoniam tamen sic habet esse de patre filius ut omnino id ipsum sit quod pater et unus idemque deus, sicut solus et simplex deus non potest esse maior vel minor se ipso, nec prior aut posterior, nec aliquid in se habet diversum : sic filius nec prior nec posterior, nec maior nec minor est patre, nec habet aliquid in se diversum ab eo ; sed sicut habet ab illo perfecte esse, ita habet per omnia ab eodem aequalem illi et similem immo id ipsum esse. Quapropter sicut pater non est magis deus quam filius, quamvis filius habeat esse de patre : ita non est magis spiritus sanctus de patre quam de filio, licet filius a patre habeat ut de illo sit spiritus sanctus. In eo enim in quo est unus idemque cum patre, id est in eo quod deus est, non est alius ille et alius pater, neque dissimiliter habet aliquid, quia non est alius deus pater et alius deus filius, neque dissimiliter sunt id quod sunt, sed in eo quod ille est pater, iste filius, est alius ille et alius iste. Et sicut non est filius alius deus quam pater, ita secundum quod deus est non habet aliquid ab alio quam a se ipso. Nam cum dicimus deum de deo, filium de patre, non intelligimus alium deum de alio deo, sed eundem ipsum deum de eodem ipso deo, quamvis dicamus alium de alio, filium scilicet de patre. Sicut enim supra dictum est, quemadmodum deus secundum nomen significans unitatem nullam recipit diversitatem : ita secundum nomina significantia deum esse de deo, necessario admittit pluralitatem. Si ergo dicitur quod spiritus sanctus principaliter sit a patre, non aliud significatur, quam quia ipse filius de quo est spiritus sanctus, habet hoc ipsum ut spiritus sanctus sit de illo, a patre ; quoniam id quod est habet de patre, non quemadmodum in rebus creatis, cum aliquid

5-7 asseritur] Cf. AUGUSTINUS, *Tractat. in Joh.* XCIX, n. 8 (*PL* 35,1890); *De Trinit.*, l. XV, c. XXVII, n. 48 (*PL* 42,1095): A quo autem habet Filius ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus : ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. 24 supra] Cf. n. I, p. 180,19 ss.

11 minor est] de *add. R* 21 ab alio] ab illo *I*

asserimus esse principaliter, volumus significare quod magis sit hoc quod dicitur esse principaliter, quam illud ad quod refertur. Ut cum dispensator alicuius domini eius praecepto pascit familiam domus, dominus principaliter et magis eam pascere recte dicitur quam dispensator. Nam non omnia quae sunt domini sunt dispensatoris aequaliter, sicut ea quae sunt patris, filii quoque sunt non inaequaliter.

Quaeret forsitan aliquis et mirabitur dicens: Quomodo potest intelligi ut habeat aliquid esse de aliquo, et non sit aliquo modo id de quo est principalius et dignius, et hoc quod ex eo est quodam modo minus et quasi secundarium, – praesertim cum id quod est de aliquo videatur indigere, ut sit eo de quo est, illud vero de quo est nequaquam egeat eo quod de se est? Ad quod respondendum quia sicut essentia dei valde diversa et aliena est a creata essentia, ita cum dicimus deum existere de deo nascendo vel procedendo, longe aliter intelligenda est ista nativitas sive processio, quam cum dicimus in aliis rebus aliquid nasci vel procedere. Ibi enim nihil aut natura aut tempore aut vi aliqua prius aut posterius, magis aut minus, aut ulla ratione aliquo indigens; sed totum quod est non tam aequale vel simile sibi et coaeternum quam idem sibi ipsi, et per se sibi ipsi omnino sufficiens, nec nascitur vel procedit ibi aliquid quasi de non esse proficiens ad esse. Sicut igitur intellectus noster non potest transire ultra aeternitatem, ut quasi de principio eius iudicet, sic non potest de hac nativitate vel processione nec debet ad similitudinem creaturae sentire vel iudicare. Sed quoniam et quod nascitur et quod procedit, non est aliud quam id de quo est nascens vel procedens, quod est solus et unus deus: sicut idem

6 inaequaliter] Ad praecedentia cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. XV, c. XVII, n. 29 (*PL* 42,1081): Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus nisi Deus Pater. Ideo autem addidi, Principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti et nondum habenti: sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. — *Sermo* LXXI, c. XVI, n. 26 (*PL* 38,459):... quia et Filius de de illo natus est, et Spiritus sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus et Filius, et cum quo illi communis est idem Spiritus. — *Contra Maximinum Arianum*, l. II, c. XIV, n. 1 (*PL* 42,770): Sed ideo cum de illo Filius loqueretur, ait, *De Patre procedit* (Joh. 15,26); quoniam Pater processionis eius est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo ei dedit ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. 20-21 iudicet] Cf. *Proslogion*, c. III, vol. I, p. 103,4-6.

11 ut sit de eo de quo est *E*

deus non est se ipso maior vel minor, ita in tribus, id est in patre et filio et spiritu sancto, non est aliquid maius vel minus, nec est alius alio hoc quod est magis vel minus, quamvis verum sit quia deus est de deo nascendo et procedendo.

Ecce vidimus de quanta veritate et quanta necessitate sequatur spiritum sanctum procedere de filio. Quod si verum non est : aut aliquid eorum ex quibus hoc diximus consequi falsum est, quod est contra Christianam fidem quam cum Graecis tenemus ; aut non consequenter conclusimus, quod ostendi nequit. Quare si verum non est, fides Christiana destruitur. Palam etiam est intelligenti, si falsum esse ponitur, quia nulla inde veritas nascitur. Consideremus quoque quid eveniat, cum pro vero asseritur. Utique si verum est spiritum sanctum procedere a filio sicut a patre, sequitur quia filii spiritus est sicut patris, et mittitur et datur a filio sicut a patre, quae divina docet auctoritas et nulla penitus sequitur falsitas. Cum autem processio spiritus sancti de filio negata tantam inducat falsitatem, ut illa ex quibus eam consequi monstravimus destruat contra fidem Christianam nec ullam generet veritatem, et asserta tantam probet veritatem, sicut ostendimus, nec aliquam ullatenus secum trahat falsitatem : cogitet cor rationale qua ratione illam excludat a fide Christiana. Denique si error est hanc credere de filio spiritus sancti processionem, ipsa divina auctoritas nos in errorem inducit, cum et illa ex quibus haec sequitur processio et quae illam sequuntur nos docet, nec alicubi aut illam negat aut quod illi repugnet aliquo modo pronuntiat. Si ergo opponitur quia nusquam eam divina profert auctoritas, ideo non esse dicendam : dicatur similiter, quia nusquam illam negat nec aliquid dicit quod repugnet, non esse negandam. Dicimus etiam quia satis illam affirmat, cum illa asserit unde probatur, et nullo modo aliquid significat unde negetur.

XV.

Patet ergo, sicut supra promisi, praeter hoc quia filius existit nascendo et spiritus sanctus procedendo, hac quoque causa quia scilicet spiritus sanctus est de filio, eos de invicem non posse dici, et propter hoc solum filium non posse esse de spiritu sancto. Nam quoniam, ut dictum est, aut filius

28 supra] Cf. n. I, p. 183,30 ss. 31 ut dictum est] Cf. n. I, p. 183,15-29.

5 *ante* Ecce *signum incisionis IQ; Paris. 5305* 11 eveniat] veniat *I* 22 pronuntiet *B* 23 auctoritas profert *E* 25 etiam] enim *R*

est de spiritu sancto, aut spiritus sanctus de filio : si non esset de filio spiritus sanctus, sequeretur de spiritu sancto filium esse. Apparet itaque per supradictas rationes quia pater est deus de quo deus est, et non est deus de deo ; et filius est deus de deo, et deus de quo est deus ; et spiritus sanctus est deus de deo, nec est deus de quo est deus. Et quamvis de patre sint duo, id est filius et spiritus sanctus, non tamen duo dii sunt de patre, sed unus deus, qui est filius et spiritus sanctus. Et licet duo sint de quo est filius et qui est de filio, id est pater et spiritus sanctus, non tamen sunt duo dii, sed unus deus, qui est pater et spiritus sanctus. Et quamquam spiritus sanctus sit de duobus, id est de patre et de filio, non tamen est de duobus diis, sed de uno deo, qui est pater et filius.

Si autem pater et filius et spiritus sanctus bini considerentur, liquet ex iis quae dicta sunt, quia necesse est alterum ex altero aut esse, quia ille non est ex se, aut non esse, quia ille est ex se. Nam si conferamus patrem et filium, videmus filium esse de patre, quia pater non est de illo ; et patrem non esse de filio, quia filius est de patre. Et similiter si consideramus patrem et spiritum sanctum, invenimus spiritum sanctum esse de patre, quia non est de illo pater ; et patrem non esse de spiritu sancto, quia spiritus sanctus de illo est. Ita quoque si filius et spiritus sanctus quomodo sint ad invicem speculemur, intelligemus spiritum sanctum esse de filio, quia filius non est de illo ; et filium non esse de spiritu sancto, quia spiritus sanctus est de filio. Apparet igitur quod supra dixi, quia relationes praedictae licet sint in uno, non possunt unitati immittere pluralitatem suam, nec unitas relationibus singularitatem suam.

XVI.

Porro sex sunt differentiae patris et filii et spiritus sancti ex his nascentes nominibus. Id est habere patrem, non habere patrem ; habere filium, non habere filium ; habere spiritum de se procedentem, et non habere spiritum de se procedentem. Harum differentiarum singulus quisque habet unam propriam qua differt ab aliis duobus, et duas ita communes et proprias, ut quam communicat uni, ea differat ab altero. Pater namque habet filium so-

22 supra] Cf. n. I, p. 180,19-181,4.

3 de quo est deus *E* 8 spiritus sanctus] spiritus et sanctus *B* 9 sunt *om. I* duo *om. E* duo dii sunt *R* 12-13 ex his *Q* 31 quam] qua *E*

lus, quo differt ab aliis duobus. Habet spiritum sanctum procedentem de se, quod commune est illi cum filio, et quo differt a spiritu sancto. Patrem autem non habet sicut spiritus sanctus, sed in hoc differt a filio. Filius solus habet patrem, in quo differt a patre et spiritu sancto. Est illi commune cum patre, sicut dictum est, quia procedit de illo spiritus sanctus, unde ab eodem sancto spiritu divisus est. Caret autem filio sicut spiritus sanctus, unde discrepat a patre. Spiritus sanctus solus est de quo alius non procedit. Commune est illi cum patre, ut dixi, non habere patrem, in quo dissimilis est filio. Cum filio quoque est illi commune, ut iam monstratum est, non habere filium, unde patri non concordat. Solus itaque pater est, qui est de nullo et de quo sunt alii duo ; solus econtra spiritus sanctus est, qui de duobus et de quo nullus; solus filius, qui de uno et de quo unus. Est autem tribus commune ad duos habere relationem. Pater enim ad filium et spiritum sanctum refertur, sicut ad illos qui de se sunt. Filius ad patrem et ad spiritum sanctum, quia est de patre et spiritus sanctus de illo. Spiritus sanctus ad patrem et filium, quia est de utroque.

Possidet ergo unusquisque suas proprietates, quarum collectio in alio non est eadem, ad similitudinem diversarum hominum personarum. Per hoc enim hominum personae diversae sunt ab invicem, quia uniuscuiusque proprietatum collectio non est in alia eadem. Interest tamen aliquid. Nam in personis hominum si una est persona, unus est homo ; et si unus est homo, una est persona. Item si plures sunt personae, plures quoque sunt homines; et si isti plures sunt, illae etiam pluralitatem non effugiunt. In deo vero quamvis sint personae tres, unus tamen est deus ; et licet sit unus deus, nequaquam tamen personae pluralitatem amittunt. In hoc itaque quod relative

9 monstratum est] Cf. n. XV, p. 215,28 ss. 16 de utroque] Ad praecedentia cf. FULGENTIUS, *De fide*, c. II, n. 7 (*PL* 65, 675): Sicut ergo, secundum illam divinitatem qua unum sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium; sic etiam secundum carnem solum Filium natum catholica fides et credit et praedicat. Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris, quod non est natus ipse, sed unum Filium genuit; neque proprium solius Filii, quod non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti, quod nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit; si secundum divinam quidem naturam Deus Pater de illo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur de virgine.

1 quo] quod *E* 13 et ad spiritum *R* 16 et ad filium *RIQ; Paris. 5305* 20 in alio *E* 22 plures sunt] sunt plures *E* 23 plures] plurales *corr. ex* plures *R*

deus ad deum dicitur, sicut plures homines personarum admittit diversitatem; in hoc vero quod per se est, id est in deo, inseparabilem ad similitudinem unius hominis servat singularitatem. Pluralitas namque humanarum personarum non est nisi in pluribus hominibus, nec unus homo pluralitatem accipit personarum; deus vero unus est tres personae, et personae tres unus deus. Hoc itaque modo nec unius nec diversarum integre servat aliarum personarum proprietatem.

Cur autem ita sit, quamvis in praefata *Epistola de incarnatione verbi* de hoc aliquantulum dixerim, breviter tamen hic repetam. Saepe fit ut plura conveniant in unum sub eodem nomine et eadem quantitate, quam habebant singula, antequam unum fierent. Quippe si puncto punctum sine intervallo addimus, aut aequalem lineam in aequali linea, aut superficiem aequalem in aequali superficie collocamus: non fit nisi unum punctum, una linea, una superficies. In multis si quis voluerit quaerere, similia inveniet. Hoc itaque modo, quamvis non sint plures aeternitates, si tamen dicitur aeternitas in aeternitate, non est nisi una aeternitas; et lumen in lumine unum tantum lumen est. Eodem modo quaecumque de dei dicuntur essentia, si in se replicentur, nec quantitatem augent nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem deus est aeternitas: sicut extra aeternitatem omnino nihil est, ita extra deum penitus non est aliquid; atque sicut aeternitas in aeternitate non est nisi una aeternitas, sic deus in deo unus solus deus est.

Habemus autem ex vera fide deum esse de deo nascendo et deum de deo procedendo. Sed quoniam non est aliquid extra deum: cum nascitur deus de deo vel cum procedit deus de deo, non exit nascens vel procedens extra deum, sed manet in deo. Quoniam ergo deus in deo non est nisi unus deus: cum nascitur deus de deo, unus solus est deus gignens et geni-

7 proprietatem] Ad praecedentia cf. VIGILIUS TAPSENSIS, *Contra Eutychetem*, l. I, n. X (*PL* 62,100 s.): Metuendum sane est ne isti... similiter nobis et de Trinitate quaestionem aliquam moveant; ut quia sunt quaedam propria Patris, nec ad Filium nec ad Spiritum sanctum pertinent; et sunt quaedam propria Filii, quae nec ad Patrem nec ad Spiritum sanctum pertinent; et sunt etiam Spiritus sancti nonnulla propria, quae nec ad Patrem nec ad Filium pertinere monstrantur, tres a se invicem separatos criminentur catholicos colere deos... Proprium Patris est genuisse, et proprium Filii natum fuisse, proprium vero est Spiritus sancti procedere. Nec omnino reciprocat in aliam personam, quod est unicuique personae specialiter proprium. 8 *verbi*] Cf. n. XV, p. 33 s.

1 plures] plurales *R* 17 dicuntur de dei essentia *E*

tus ; et cum procedit deus de deo, unus tantummodo deus est procedens et de quo procedit. Unde inevitabiliter sequitur, quoniam deus nullas habet partes, sed totus est quidquid est : unum eundemque et non alium et alium deum totum esse patrem, totum esse filium, totum esse spiritum sanctum. Quare pater et filius et spiritus sanctus per hoc quia, cum est deus de deo deus in deo, non est nisi unus deus : servant in deitate ad similitudinem unius hominis singularitatem ; per hoc vero quia, cum deus est de deo aut nascendo aut procedendo, non potest unus idemque esse qui est de aliquo et de quo est : secundum nomina has relationes significantia tenent sicut diversae hominum personae pluralitatem.

Notandum tamen quia nec deus est sine persona, nec persona sine deo ; et quia singulis personis attribuimus aliquando propria singularum, aliquando uni quasi proprium quod commune est aliis. Nam cum dicimus : solus pater est in tribus personis qui a nullo est, solus filius est qui de uno et de quo unus est, solus spiritus sanctus est de quo nullus est : singulas personas nominantes singulis propria attribuimus. Cum vero legimus : »nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius«, et : »quae dei sunt nemo cognovit nisi spiritus dei« : quamvis videatur scriptura, quod de una dicit persona negare de aliis, commune tamen est omnibus, quod singulis quasi proprium attribuit. Non enim ignorat pater aut filius se ipsum et quae dei sunt, neque spiritus sanctus patrem aut filium. Cur autem et quando quod de uno quasi de solo dicitur, de aliis intelligatur, satis supra dictum est.

Haec de processione spiritus sancti aliis cogentibus, non de me sed de eodem spiritu sancto confidens, pro Latinis contra Graecos scribere, et ea occasione de unitate deitatis et de trinitate personarum aliquid addere praesumpsi, quamvis innumerabiles sint inter illos qui Latinis utuntur litteris, qui hoc melius quam ego facere possint. Quidquid ergo dixi quod suscipiendum sit, non mihi attribuatur sed spiritui veritatis ; si autem aliquid protuli quod aliquatenus corrigendum sit, mihi imputetur, non sensui Latinitatis.

16-17 filius] Matth. 11,27. 17-18 spiritus dei] 1 Cor. 2,11. 22 supra] Cf. n. I, p. 180,19 ss.

10 hominum] horum *R* 16 Cum] cum *I* 19 persona dicit *R* 29 Latinitatis] *add.* EXPLICIT LIBER (LIBELLUS *A*) ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI *BAI* EXPL. liber anselmi archiepiscopi de processione spiritus sancti *E* *sine* Explicit *RQ*

EPISTOLA DE SACRIFICIO AZIMI ET FERMENTATI

EPISTOLA WALERAMNI AD ANSELMUM

EPISTOLA DE SACRAMENTIS ECCLESIAE

INDEX SIGLORUM.

A. Ad Epistolam de sacrificio azimi et fermentati :

G = Glascoviensis, Musaei Hunteriani, 244, s. XII.

A = Atrebatensis 484 (catalogi n. 805); olim s. Anselmi, deinde ecclesiae Cathedralis Atrebatensis), s. XII. ineuntis.

A^1 = Recensio Epistolae prior, quam idem codex continebat quaeque deinde in ultimam recensionem commutata est.

B = Oxoniensis Bodleianus (catatogi n. 1938) Bodley 271 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

L = Londiniensis Lambethianus 59 (item olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

P = Parisinus lat. 2478 (olim Cantuariensis, ecclesiae s. Augustini?), s. XII. ineuntis.

E = Edinburgensis 104 (olim s. Mariae Radingensis), s. XII.

Q = Londiniensis, Musaei Britannici, Regius 5. E. V, s. XII.

X = Parisinus lat. 5305 (olim Colbertinus), s. XII.

K = Trecensis 1547, s. XII. exeuntis.

Ad hanc Epistolam cf. SCHMITT, FR. SAL., *Eine dreifache Gestalt der Epistola de sacrificio azimi et fermentati des hl. Anselm von Canterbury*, Rev. Bénédictine 1935, p. 216-225.

B. Ad Epistolam Waleramni :

L P : vide supra.

C = Vaticanus Chisianus A. VI. 184, s. XIV. - XV.

g = Editio Gerberoniana, Parisiis a. 1721 (*PL* 158, 547 ss.).

C. Ad Epistolam de sacramentis ecclesiae :

B L P K : vide supra.

W = Londiniensis Lambethianus 224 (olim Malmesberiensis), s. XII., prioris dimidii.

Y = Londiniensis, Musaei Britannici, Regius 5. F. IX, s. XII.

Z = Londiniensis, Musaei Britannici, Claudius E. I, s. XII, alterius dimidii.

Epistola de sacrificio azimi et fermentati.

ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, WALERAMNO, Nuenburgensi episcopo.

Scienti breviter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non favere successori IULII CAESARIS et NERONIS et IULIANI Apostatae contra successorem et vicarium PETRI apostoli, libentissime vos ut amicissimum et reverendum episcopum salutarem. Quoniam autem ad defensionem veritatis, quam contra Graecos qui ad vos venerunt quaeritis, secundum posse nulli deesse debemus, opusculum vobis misi, quod *De spiritus sancti processione* contra illos edidi.

[*I.*]

De sacrificio vero in quo idem Graeci nobiscum non sentiunt, multis rationabilibus catholicis videtur quia quod agunt non est contra fidem Christianam. Nam et azimum et fermentatum sacrificans panem sacrificat. Et cum

3 episcopo] Annis 1089-1111. 5 successori] I. e. imperatori Henrico IV. (1056-1106). 9 *processione*] Cf. opusculum praecedens. 12 non sentiunt] Cf. HUMBERTUS CARDINALIS, *Adversus Graecorum columnias* (*PL* 143,929 ss.). — DOMINICUS GRADENSIS, *Epist. ad Petrum patriarcham Antiochenum* (*PL* 141,1455 ss.). — NICETAS, *Libellus contra Latinos* (*PL* 143,973 ss.). 12-14 Christianam] Cf. GREGORIUS VII., *Registrum*, l. VIII, Epist. I (*PL* 148,573): De reliquo, quia

1 INCIPIT EPISTOLA DE SACRIFICIO AZIMI ET FERMENTATI *B* Incipit epistola anselmi de sacrificio azimi et fermentati *X* Inc. ep. anselmi cantuariensis archiepiscopi de sacr. az. et ferm. *Q* Inc. ep. ans. archiep. de sacr. azimi fermentati *E* Item eiusdem de sacr. az. et ferm. *K* *sine* Incipit *AGLP* *excepta una incisione, quae indicabitur, epistola in mss. non dividitur; nos numeros capitum, quae editiones habent, in uncis posuimus* 2 Waleranno *LPEK* Walamno *G* nuuenburgensi *L* (*correctura*); *P* 7 autem *om. G* a defensione *P* 9 spiritu *X* 13 rationalibus *K* (rationabilibus *ex* rationalibus *B*)

Prima recensio: 8 qui ad vos venerunt *om. G*

legitur de domino, quando corpus suum de pane fecit, quia »accepit« »panem et benedixit«, non additur ‚azimum' vel ‚fermentatum'. Certum tamen est quia azimum benedixit ; forsitan non quia res quae fiebat hoc exigebat, sed quoniam coena in qua hoc factum est hoc exhibebat. Et cum alibi se et carnem suam panem vocavit, quia sicut isto pane vivit homo temporaliter, ita illo vivit in aeternum : non ait : ‚azimum' vel ‚fermentatum', quia uterque pariter panis est. Non enim differunt azimus et fermentatus substantialiter – ut quidam putant –, sicut homo novus ante peccatum et inveteratus fermento peccati nequaquam substantialiter differunt. Propter hoc ergo solum videtur se et carnem suam ‚panem' vocasse et de pane corpus suum fecisse, quia sicut iste panis azimus sive fermentatus dat vitam transitoriam, ita corpus eius aeternam, non quia fermentatus est vel azimus ; quamvis in lege, ubi fere omnia in figura fiebant, praeceptum sit azimum in Pascha panem

cognovimus Ecclesiam vestram azyma sacrificare, et ob hoc a Graecis dumtaxat imperitis quasi de haeresi reprehendi... Et illi quidem suum fermentatum commendantes, reprehensionis in nos levissima verba contumaciter ioculari non desinunt. Nos vero azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec vituperamus nec reprobamus, sequentes Apostolum dicentem *mundis* esse *omnia munda* (Tit. 1,15). 1-2 benedixit] Matth. 26,26. 223,14-224,2 fermentatum] Cf. HUMBERTUS, *Adversus Graecorum calumnias*, n. XII (*PL* 143,939) : Et in omnibus Scripturis invenimus panem indifferenter dici, sive fuerit azymus, sive fuerit fermentatus. 2-4 exhibebat] Cf. RHABANUS MAURUS, *De clericorum institutione*, l. I, c. XXXI (*PL* 107,318) : Ergo panem infermentatum, et vinum aqua mistum in sacramentum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet, quia ipsas res de se Dominum testificari Evangelium narrat. — HUMBERTUS, *Adversus Graecorum calumnias*, n. XIV (*PL* 143,940 s.) : Quia si non obstinata mente manifestae veritati resistitis, et si Vetus et Novum Testamentum aperte non impugnatis, nobiscum sentire et profiteri habetis, azymum panem fuisse, quem ipse Dominus Jesus in coena primis Ecclesiae suae fundatoribus distribuit in memoriam suae passionis. Nam... — *Ibidem*, n. XVI (943 ss.). 5-6 in aeternum] Cf. Ioh. 6,52. 8 quidam] Cf. NICETAS, *Libellus contra Latinos*, n. II (*PL* 143,975) : Azymum autem non est panis. Neque enim compositus, neque per se ipsum perfectus est, sed indigens semique perfectus, indigens plenitudine fermenti.

3 exigebat] exiebat *P* 4 in quo *LP* exhibebat] exigebat *PK* 5 sicut homo isto pane vivit *G* 7 azimus] azimis *LP* 11 panis azimis *LP* 12 est azimus vel fermentatus *G* azimis *LP*

Prima recensio : 7-9 Non enim – differunt *om. G* 11 azimus sive fermentatus *om. G*

Secunda recensio : 8-9 ut quidam – differunt *om.* A^1

comedere, ut ostenderetur quia Christus quem exspectabant sincerus et mundus futurus esset, et nos qui manducaturi eramus corpus eius, similiter ⟨mundi⟩ esse moneremur ab omni »fermento malitiae et nequitiae«. Iam vero postquam de veteri figura ad novam veritatem venimus et azimam Christi carnem comedimus, non est nobis necessaria illa vetus figura in pane, de quo carnem ipsam conficimus.

[*II.*]

Apertissimum tamen est quia melius sacrificatur de azimo quam de fermentato, cum quia valde aptius et purius et diligentius fit, tum quia dominus hoc fecit. Unde illud non est tacendum quia cum Graeci anathematizant ‚azimitas' – sic enim nos vocant –, anathematizant Christum. Si autem dicunt quia iudaizamus, dicant similiter Christum iudaizasse. Et si audent asserere Christum propter iudaismum, ut praeceptum de azimo datum servaret, de azimo corpus suum fecisse: absurdissime errant, cum illum tam sinceram novitatem infecisse fermento vetustatis existimant. Patet igitur quia cum ussu

224,12-225,1 comedere] Cf. Exod. 12,8,15,17-20; 13,6 s.; 34,18; Lev. 23,6; Num. 28,17; Deut. 16,3 s., 8. — PETRUS DAMIANUS, *Expositio Canonis Missae*, n. 2 (*PL* 145,881): Panis fermentatus non debet offerri in sacrificium, tum ratione facti, tum ratione mysterii. Sic legitur in Exodo. Fermentum etiam corruptionem significat, teste Apostolo: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Graeci tamen in suo pertinaces errore de fermento conficiunt. 3 nequitiae] 1 Cor. 5,8. 9 diligentius fit] Cf. HUMBERTUS, *Adversus Graecorum calumnias*, n. XXIX (*PL* 145,948 s.): Salva ergo, ut dignum est, reverentia corporis Domini nostri Jesu Christi, et in fermentato et in azymo, perquiramus an fermentum ad humanas mensas praeparatum sincerius ac mundius sit plebeio azymo... Unde... nulli dubium est quin fermentato azymum mundius sit, quod, nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum et pura aqua conficitur. 11 vocant] Cf. *Fragmentum disputationis contra Graecos* (*PL* 143,1215): Si enim corpus Domini creditis quod ex azymo pane conficitur, cur non recipitur?... cur et fermentum praeponitur?... cur azymitas vocatis? 12 iudaizamus] Cf. LEO ARIDANUS, *Epist. ad Joannem Tranensem*, n. I (*PL* 143,929): Dei magna dilectio et iucunda compositionis viscera flexere nos scribere ad tuam sanctitatem... et memorari de azymis et sabbatis, quae mystice indecenter custoditis, et communicatis Judaeis. Etenim azyma et sabbata ipsi custodire a Moyse iussi sunt; nostrum vero pascha Christus est. Qui, ut non iuxta legem inveniretur adversarius, et circumcisus est, et legale pascha celebravit primitus. Sic, illo discedente, nostrum novum operatus est. 15 fermento vetustatis] Cf. 1 Cor. 5,7 (vetus fermentum).

2 mundi] *supplevi; deest in mss.* 9 cum] tum *GQX;* aptius] apertius *K* tum] tunc *K* 12 Christum similiter *G* 15 novitatem] voluntatem *LP*

Prima recensio: 2 qui manducaturi eramus corpus eius *om. G*

est azimo ad illud opus, non hoc fecit ut praeceptum de azimo servaret, sed aut ut fermentarios quos praevidebat reprobans azimitas approbaret, aut certe ut, si etiam fermentarii approbarentur, azimitas quoque approbaret.

[*III.*]

Quod autem aiunt nos iudaizare non est verum, quia non sacrificamus de azimo ut legem veterem servemus, sed ut hoc diligentius fiat, et dominum qui hoc non iudaizando fecit imitemur. Cum enim facimus aliquid quod Iudaei, ut iudaismum servarent, faciebant, non iudaizamus, si non propter iudaismum, sed propter aliam causam hoc agimus. Si enim in diebus Paschae azimum panem aliquis comedit – sive quia non habet alium, sive quia magis illo delectatur quam fermentato –, aut si quis propter infirmitatem praeputium circumcidere cogitur, aut si bovi suo quis trituranti ne esuriat os non obturat: nullus nisi insipiens haec agentem iudaizare iudicabit. Cum ergo nos panem azimum sacrificamus, non ut per azimi figuram talem dominum IESUM futurum significemus, sed ut ipsum panem in corpus eius divina virtute operante sicut ipse fecit sacrificemus: nequaquam in hoc legis vetustatem servamus, sed evangelii veritatem celebramus.

Denique quando idem ipse hoc fecit et ait discipulis suis: »hoc facite in meam commemorationem«: si noluisset ut nos, quibus hoc in apostolis praecepit, hoc de azimo faceremus: praemonuisset nos in eis et dixisset: ne faciatis hoc de azimo. Quare cum dicens: »hoc facite« azimum non excepit: quis est cuius intellectus audet excipere quod ipse fecit, et hoc prohibere quod ipse non solum nullo sermone prohibuit, sed etiam opere praecepit? Quis, inquam, nisi »plus« sapiens »quam oportet sapere«, tantum confidit

5-6 servemus] Cf. HUMBERTUS, *Adversus Graecorum calumnias*, n. V (*PL* 143,935): Haec omnia, si ita Judaeis carnalibus carnaliter observanda veteris legis lator coelitus censuit, constat haec secundum carnalem observationem omnino aliena a nobis. Quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus et terminis nostris et domibus invenitur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis observamus... In quo ergo communicamus Judaeis, et in quo solemnitatem azymorum custodimus? 12 obturat] Cf. Deut. 25,4; 1 Cor. 9,9; 1 Tim. 5,18. 18-19 commemorationem] Luc. 22,19. 24 sapere] Cf. Rom. 12,3.

2 aut *om.* *G* 2-3 aut certe — approbaret *om.* *LP* 5 autem *om.* *LP* nos aiunt *G* 14 IESUM] Christum *add.* *X* 15-16 sed ut — sacrificemus *om.* *LP* 20 in eis nos *K* 23 praecepit?] ? *om.* *LP*

Prima recensio: 226,13-228,24 Cum ergo – ostendere *om.* *G*

de sapientia sua, ut praesumat vel proferre quia, cum dixit dominus : »hoc facite«, sicut competenter subintelligimus : quod ego, sic indubitanter sit subaudiendum : sed non de hoc unde ego ?

Item. Si divina per ea quae digniora cognoscimus exequi debemus : cum sacrificium, de quo agitur, de panis sive azimi sive fermentati substantia constet esse celebrandum : quem panem digniorem aestimamus ad faciendam dominici corporis veritatem, nisi illum quem et vetus lex elegit ad significandam et evangelium ad exhibendam eandem veritatem ? Si ergo respondemus Graecis nos hoc de azimo non propter figuram, sed propter praedictas causas facere : nihil hic intelligi valet cur nos Graeci anathematizandos aut saltem reprehendendos recte iudicent.

[*IV.*]

At si dicunt nos non hoc agere posse de azimo sine intellectu figurae, per quod iudaizare probamur : ergo nec illi similiter queunt ad hoc ipsum uti fermentato sine figura, quia et vetus scriptura per fermentum designat peccatum, cum execratur in Pascha suo comedere fermentatum, et nova dum monet nos in Pascha nostro epulari »non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae«.

Dicimus etiam quia nos non iudaizamus, si figuram tenemus in azimo, quoniam non significamus Christum sine fermento peccati venturum, tamquam Iudaei ; sed monstramus eum talem venisse, sicut Christiani, et per hoc monemur tales nosmetipsos exhibere, quale Pascha nostrum est quod manducamus. Illi autem nec Iudaeos nec Christianos in hoc se profitentur, quia deum in fermenti sui figura nec venturum, ut Iudaei, nec venisse, ut Christiani, sine peccato significant ; sed potius paganis favere videntur, qui illum sicut alios homines peccato fermentatum existimant.

15-16 fermentatum] Cf. Exod. c. 12. 17-18 nequitiae] 1 Cor. 5,8. — Cf. HUBERTUS, *Adversus Graecorum calumnias*, n. XXIX (*PL* 143,949): Quod vero fermentum, sicut praefati sumus, in divinis et humanis litteris in malum ponatur, Dominus in Evangelio testatur: *Cavete*, inquiens, *a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis* (Luc. 12,1). Et Paulus: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum* (1 Cor. 5,7). Et paulo post: *Epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae* (ibidem, 8).

7 et vetus] ad vetus *LP* 7-8 ad significandam]. r. *add. P* 15 per fermentum] per fermentatum *E* 20 non *om. P* sine peccati fermento *X* 25 paganis potius *X*

Si vero aiunt Christianos non debere uti figuris, quia »vetera transierunt«, in quibus erant necessariae, negent – ut alia taceam – baptismum esse figuram cuiusdam mortis et sepulturae, contra apostolum dicentem: »Quicumque baptizati sumus in Christo IESU, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem«. Aut si concedunt nos uti figuris, sed non in eisdem rebus quibus in figura lex vetus utebatur, et ideo non esse panem azimum assumendum ad ullam figuram, quia ad hoc in eadem lege accipitur: non baptizent in aqua, quoniam »patres nostri« »omnes in MOYSE baptizati sunt in nube et in mari« – quod negari nequit in figura fuisse –, et ne videantur baptizare baptismo IOHANNIS, qui baptizavit in aqua. Si ergo irreprehensibiliter figurate baptizamus in aqua, licet illud baptisma vetus, quod fuit huius novi figura, in aqua fuerit: quaenam est ista Graecorum sapientia quae propter hoc, quia vetus Pascha, per quod nostrum figuratum est, celebratum est in azimis, detestatur nos sacrificare corpus Christi, qui est Pascha nostrum, de azimo in figura, – sive ad commemorandum quia talis fuit ille cuius corpus sacrificamus, scilicet sine peccati infectione, sive ad commonendum nos, qui corpus eius comedimus, tales debere esse secundum apostolum dicentem: »expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azimi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azimis sinceritatis et veritatis«?

[*V.*]

Sive itaque in figura sacrificemus azimum panem, sive sine omni figura: nullatenus nos Graeci reprehensibiles valent ostendere; sed aut soli nos bene agimus, illi non bene, aut nos melius et diligentius, si illi bene. Nempe satis

1-2 transierunt] 2 Cor. 5,17. 3-5 in mortem] Rom. 6,3 s. (Vulg.: in morte ipsius). 8-9 in mari] 1 Cor. 10,1 s. 10-11 in aqua] Cf. Matth. 3,11. 18-21 veritatis] 1 Cor. 5,7 s.

2 erant *om.* *LP* 4 in morte *K* 7 quia] qui *AX* 9-10 negare *P* 10 baptismo baptizare *K* 13 vetus] in *add.* *E* 14 figuratum est] est *om.* *LP* in azimis celebratum est *E* 18 debere] decere (*ras.*) *LP* expurgate] Expurgate *K* 17-18 (come) dimus — fermentum *abscisum in E*

Prima recensio: 24 sed aut] *hic verbis* Quare aut *pergit* *G* 228,25-231,4 Nempe satis – de fermentato laudem *om.* GA^1

Secunda recensio: 11-21 Si ergo irreprehensibiliter – veritatis *om.* A^1

ostendunt se nullam habere rationem ad suam partem confirmandam, et nostram infirmandam, cum hoc contra nos proferunt quod nullo modo aut contra nos aut cum illis esse cognoscitur. Obiciunt enim nobis, sicut in vestra legi epistola, quod dicit apostolus: »littera enim occidit, spiritus autem vivificat«; et quod AMOS propheta: »sacrificate« inquit »de fermentato laudem«. Unde nituntur ostendere quia littera, quae vetus Pascha celebrari iubet in azimis, nos occidit, cum eam servamus azimum sacrificando, non bene apostoli verba intelligentes. Litteram enim tunc dicit occidere, quando illa iubens a peccato declinare peccatum ostendit, quoniam, nisi adiuvet gratia ut fiat quod iubetur, inoboedientem et praevaricatorem facit. Quod in epistola ad Romanos idem aperte monstrat apostolus dicens: »Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat, ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me et per illud occidit«. Sic »littera« sine adiuvante gratia »occidit. Spiritus autem vivificat«, sicut ait idem apostolus ad TITUM: »Cum autem benignitas et humanitas apparuit salvatoris nostri dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per IESUM Christum, salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae«.

Ideo cum dixisset: »sufficientia nostra ex deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera sed spiritu«, ait: »Littera enim occidit, spiritus autem vivificat«. Ac si dicat: Fecit nos deus »ministros novi testamenti«, quod non est in littera occidente sicut vetus, sed in spiritu vivificante. Ad utrumque vero, ad occisionem scilicet litterae et vivificationem spiritus, pertinet quod subiunxit: »Quod si ministratio mortis litteris

4-5 vivificat] 2 Cor. 3,6. 5-6 laudem] Amos 4,5. 11-18 occidit] Rom. 7,7-11. 18-19 vivificat] 2 Cor. 3,6. 20-24 aeternae] Tit. 3,4-7. 25-26 spiritu] 2 Cor. 3,5 s. 26-27 vivificat] Ibidem, v. 6.

5 de fermento *LP* 8 Littera *LPX* 9 illam *K* 19 gratia] spiritu *A* idem apostolus ait *K* 25 Ideo] Iam *LP* 27 deus nos *LP* 28 in spiritu] in littera *K* 30 subiungit *K*

deformata in lapidibus fuit in gloriam, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem MOYSI propter gloriam vultus eius quae evacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloriam? Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur per gloriam est, multo magis quod manet in gloria est. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur. Et non sicut MOYSES ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii ISRAEL in faciem eius. Quod evacuatur, sed obtunsi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem, cum legitur MOYSES, velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Ubi autem spiritus domini, ibi libertas. Nos vero omnes revelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a domini spiritu. Ideo habentes hanc ministrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus«. De occisione litterae et vivificatione spiritus superfluum mihi videtur super haec aliquid addere. Satis igitur patet quia nec Graecis prodest nec nobis obest, quod de occidente littera obiciunt.

[*VI.*]

Quod autem assumunt de propheta: »venite in Galgal et impie agite« »et sacrificate de fermentato laudem«, intelligendum est esse dictum aut approbando tale sacrificium aut reprobando. Sed si hoc praecipit propheta – ut secundum eos loquar –, illos »occidit littera«, qui litteram servando de fermentato sacrificant. At si hoc exprobrando dictum est: qua fronte sacrificant quod propheta in sacrificium execratur, aut qua ratione hoc in aucto-

229,30-230,17 deficimus] 2 Cor. 3,7-4,1 (Vulg.: fuit in gloria; erit in gloria; obtusi; positum est; hanc *om.*; administrationem). 22 agite] Cf. Amos 4,4. 23 laudem] Ibidem, v. 5.

1 in gloria *LPEK* 2 exvacuatur *P* 3 in gloria *LP* 6 in gloria] in gloriam *HXK* 7 spem] spiritus *LP* utamur *B* 9 Quod] quod *K* obtusi *K* 13 auferretur *E* 15 domini *om. P* in eadem *P* 23 dictum aut] aut dictum *LP* 24 Sed] sed *R* 25 littera occidit *X* 25-26 de fermentato] de *om. L*



Cod. Atrebatensis 484 (805), fol. 5r et 5v.

ritatem sibi assumunt? Quod autem hoc propheta non iubendo sed reprehendendo dixerit dubium non est, cum hoc impiae actioni associaverit. Dixerat enim: »Venite ad Bethel et impie agite«. Et paulo post continuata increpatione ait: »Et sacrificate de fermentato laudem«. Aut ergo tanta ratione partem suam fermentarii defendant quanta suam roborant azimitae; aut reiciant suum fermentum et fiant azimitae; aut si nec illud valent nec istud volunt, saltem non reprehendant azimitas.

[*VII.*]

In tertia quaestione – sicut intelligo – mandastis quia Graeci detestantur nostra conubia, ubi cognati cognatis de alia cognatione copulantur. Quod cur faciant nullam video auctoritatem aut rationem. Nam si hoc in suis fieri prohibent conubiis, aut non extendunt cognationes usque ad septimam generationem sicut nos, aut impossibile videtur servari quod praecipiunt. Sunt enim saepe in una cognatione plus quam centum viri et mulieres egentes coniugio. Totidem igitur cognationes invenire necesse est, de quibus singulis singuli eligantur viri et mulieres, quibus illi de una cognatione singuli singulis copulentur. Aut itaque detestabilia sunt indubitanter eorum conubia, si intra septem generationes sunt, nec debent reprehendere nostra, quando cognati

3 agite] Amos 4,4. 4 laudem] Ibidem, v. 5. 10 copulantur] De ea cognatione, quae ex duobus diversis matrimoniis inter tres familias oritur, quaestio est. Hoc alterum genus cognationis, quod apud Graecos ex antiquis iam temporibus vigebat, in ecclesia Latina non ante saeculum XII. in usu esse coepit, inde s. Anselmo ignotum fuit. 12-13 sicut nos] Temporibus s. Anselmi consanguinitas et legitima affinitas, quae matrimonium prohibebant, usque ad septimum gradum extendebantur. At Graeci eundem gradum secundum computationem Romanam computabant, qui est apud Latinos tertius gradus. Alterum genus cognationis, de quo hic agitur, apud Graecos primum tantum gradum tangens secundum (computationis Latinae) complectebatur.

3 Et] et *K* continuata] contuata *P* 5 quanta suam] quanta sua *K* aut] ut *G* 9 In] *cum signo incisionis AGBLPX cum littera initiali K* detestantur Graeci *G* 11 nullam auctoritatem aut rationem video *E* 12 non *om. G* 15 coniugia *P* 17 eorum] illorum *AQ*

Prima recensio: 4 Aut ergo] *hic pergit G* 6 reiciant suum fermentum] expurgent vetus fermentum *G* aut si] Si autem *G* 11-12 prohibent fieri *AGE* 15 cognationes] alias *add. G* 16 singulis singuli *G* 17 itaque] ergo *G* indubitanter *om. G*

coniunguntur cognatis de alia cognatione – quod nulla prohibet auctoritas vel ratio –; aut impossibile est – ut dixi – servare quod praecipiunt, ut scilicet tot cognationes exquirantur ad unius cognationis conubia, quot sunt in illa viri et mulieres petentes coniugia. Quod autem sine omni auctoritate et ratione fit contra rationem, absque dubio rationabiliter repudiandum iudicatur.

1 cognatione] cognatio *P* 2 servari *AGQX* servari ut dixi *GX* 3 exquirant *E* 5 iudicatur] *addunt* EXPLICIT EPISTOLA ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE SACRIFICIO AZIMI ET FERMENTATI (*in fine* Epistolae de sacramentis ecclesiae *erronee ponitur*) *B* *idem in litteris minusculis K* Expl. ep. ans. archiep. de sacr. azimi fermentati *E* *sine* Explicit *AGLPQX*

Prima recensio: 1 coniunguntur] copulantur *G* 1-2 quod nulla prohibet auctoritas vel ratio *om. G* 5 rationabiliter *om. G* iudicatur] est *G*

Epistola Waleramni episcopi ad Anselmum.

Serenissimo domino ANSELMO, sanctae Cantuariensis ecclesiae reverentissimo archiepiscopo, WALERAMNUS, dei gratia Nuenburgensis episcopus, servile obsequium, instantiam orationum ac semetipsum omnino in omnibus deditissimum.

Cum MINERVA de litterarum professione aliquid praesumere ineptissimum est, atque inter edecumatos litterarum sectatores ratiocinandi probabilitate fidem facere non nostram attingit facultatem. Sed cum propheta suspirando: »revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua«: cum summa devotione oculos levo ad montem vestrae celsitudinis, ut inde veniat »auxilium mihi«. Auxilium vestrum auxilium »a domino, qui fecit caelum et terram«. »Qui adhaeret domino, unus spiritus est«; ut inde pateat ex eius plenitudine vos »etiam profunda dei« scrutari, nostram vero parvitatem vocem eius audire, sed prorsus nescire »unde veniat aut quo vadat«.

[*I.*]

Individua trinitas deus est, et quotquot sunt in deo, unum sunt in ipso. Diversitas in ecclesia admodum est unitati contraria. Diu non potest

2 Serenissimo domino] Cf. Epist. Walramni de causis Henrici regis, *Monumenta Germaniae, Lib. de lite,* t. II, p. 286,21: serenissimo principi... 4-5 deditissimum] Cf. *ibidem*: cum instantia orationum semet ipsum ad omnia devotissimum. 9 tua] Ps. 118,18. 10-11 mihi] Cf. Ps. 120,1. 11-12 terram] Cf. ibidem, v. 2. 12 spiritus est] 1 Cor. 6,17. 13 scrutari] Cf. ibidem, 2,10. 14 vadat] Cf. Ioh. 3,8.

1 Epistola Waleram nuienburgensis episcopi. ad anselmum *C* *sine* Incipit *LP* *epistola in mss. incisionem non habet; nos loco capitum quae editiones habent, numeros in uncis posuimus* 3 archiepiscopo] episcopo *C* Waleramus *C* WALERANNUS *g* nuienburgensis *LPC* Nwemburgensis *g* 7 atque] ac *g* edocumatos *mss.; g* 8 attigit *LPg* 12 ut *om. C* 15 *signum incisionis LP*

stare, quod partium in se grassatur dissensione. De sacramentis ecclesiae aliud Palaestina, aliud Armenia, aliud nostra Roma et tripertita sentit Gallia. Dominici etiam corporis mysterium aliter Romana, aliter Gallicana ecclesia, ac diversissime nostra tractat Germania. Ex antiquis patribus ordinem habemus sacrificandi, et valde admiror unde haec novitas surrepserit in domo domini. »IESUS Christus heri et hodie, ipse est in saecula«, semper unus, semper idem, nullam patiens mutabilitatem. A Christo dissentit, qui in diversitatem tendit. Christus est panis angelorum qui de caelo descendit, et factus est panis hominum, esca pauperum, satietas cum eo regnantium, ut qui digne comedunt vivant in saeculum saeculi. »Unus panis, unum corpus multi sumus« in Christo, »omnes qui de uno pane participamus«. Christus est via per quam gradiamur, quem imitemur. Qui a Christo exorbitat, periculose ambulat. Inter sacrificandum quod Christus fecit et nos faciamus, quoniam inquit: »hoc facite, quotienscumque« sumitis.

[*II.*]

Armenii quidem de fermentato se laudem sacrificare putant: sed »in novitate vitae« cum Christo non ambulant. Imitatores Christi oportet epulari »non in fermento veteri«, »sed in azimis sinceritatis et veritatis«. »Fermentum« licet »modicum totam massam corrumpit«. Christi corpus incorruptibile, quantum possibile est, nulla inficiatur corruptione. A sinceritatis sacrificio omnis huiusmodi absit corruptio. Qui exoptant indui Christi corporis incorruptionem, novi sacrificii sinceritate veterem exuant hominem. In Christi

233,17-234,1 dissensione] Cf. Epist. Walramni supra citatam,p. 286,22-24: Omni regno utilis est concordia... Qui autem intestina grassando dissensione... 6 in domo domini] Cf. Ps. 121,1: in domum domini ibimus. in saecula] Hebr. 13,8 (Vulg.: ipse et in saecula). 8 panis angelorum] Cf. Ps. 77,25. 8-9 descendit] Cf. Ioh. 6,41 et 51. 10 saeculi] Cf. ibidem, v. 52. 10-12 participamus] 1 Cor. 10,17. 12 via] Cf. Ioh. 14,6. 14 sumitis] Cf. 1 Cor. 11,25 (Vulg.: quot. bibetis). 16 sacrificare] Cf. Amos 4,5. 16-17 ambulant] Cf. Rom. 6,4. 18 veritatis] 1 Cor. 5,8. 18-19 corrumpit] 1 Cor. 5,6; Gal. 5,9 (Vulg.: modicum fermentum). 21-22 incorruptionem] Cf. 1 Cor. 15,53. 22 hominem] Cf. Col. 3,9.

1 crassatur *mss.* dissencione *C* 2 Roma] Romana *g* 7 mutabilitatem] immutabilitatem *LPC* 9 escas *C* 11 omnes qui] qui *om. C* 12 imitetur *g* 14 quoniam inquit] Quotiescumque inquit *g* facitis *g* 16 Armeni *g* 17 vitae *om. LP* 20 corruptio *g* 21 indui] imbui *g* 22 incorruptione *g*

corporis confectione displicet alia nisi quam ipse obtulit substantia. Et si ausim profiteri, tenenda est ea quam dedit sacrificandi regula.

[*III.*]

Nos singulariter panem, singulariter benedicimus calicem. Hoc canones, hoc antiquus Ordo Romanus *praecipit, ut ab initio in canone singulas cruces faciamus singulis. Hoc publico et inveterato usu ubique tenemus »a progenie in progeniem«, et vestram miramur diversitatem. Hoc Christus fecit et nos facere praecepit. »Hoc« inquit »facite, quotienscumque« sumitis. Accipiens panem singulariter benedixit, et calicem similiter. Singulas singulis, ut noster immo* Romanus ordo *praecipit, cruces fecit, et ita ab ipso qui »heri et hodie« et usque in saeculum idem est, nostra inolevit consuetudo. De crucum singularitate Christi nobis assentitur auctoritas. Miror autem valde qua ratione sacrificandi coeperit diversitas. »Una« est »fides, unum baptisma«, una Christi amica, sponsa et columba. Ecclesiae unitati valde obest in sacramentis discrepare, et quidquid libitum est licitum facere.*

[*IV.*]

Praeterea inter consecrandum nonnulli ab initio calicem operiunt, quidam corporali, alii panno complicato instar sudarii, quod repertum legimus in monumento »non cum linteaminibus positum, sed separatum involutum in uno loco«. Christus »via« est et »veritas et vita«. Via per quam gradiamur, ut ad ipsum veniamus. »Qui dicit se in« Christo »manere, debet sicut ipse ambulavit et ipse ambulare«. Non veniunt ad vitam nisi imitatores vitae. Paschalis hostia nudato corpore in ara crucis immolata est.

5 Ordo Romanus] Cf. *Append. ad S. GREGORII opera, Append. ad libellos Ordinis Romani, PL* 78, 1380: *Te igitur... benedicas.* Hic signat oblationem et calicem tribus vicibus; non tamen sub una cruce, sed separatim singulis singulas faciens cruces. *Haec + dona, haec + munera, haec + sancta sacrificia illibata.* 7 progeniem] Luc. 1,50 (in progenies). 8-9 sumitis] Cf. 1 Cor. 11,25. 9 similiter] Cf. ibidem, v. 23-25. 11 idem est] Cf. Hebr. 13,8. 13-14 baptisma] Eph. 4,5. 14 columba] Cf. Cant. 2,10 et 6,8. 20-21 loco] Ioh. 20,7 Vulg.: separatim; in unum locum). 21 vita] Ioh. 14,6. 22-23 ambulare] 1 Ioh. 2,6 (Vulg.: sicut ille).

5 romamus *P* 7 vestram] nostram *P* 10 praecepit *LP* 13 valde *om. C* coepit *g* 18 ab initio *om. C* 19 reperto *C* 20 in monumento] in novumento *P* separatim *g* 21 Christus via veritas est et vita *C*

Nudato corpore offerri voluit, qui omnia quae audivit a patre, suis nota fecit. In sua immolatione semetipsum »sicuti est« manifestavit, cuius gloriam »revelata facie« contemplabimur, ut ei per omnia conformemur, »con- 3
figurati corpori claritatis suae«, ut ipse sit nobis omnia in aeterna beatitudine. Et ut ipsius verbis utar: »consummatum est«, inquit, ut vetera non ambigamus transisse et omnia nova esse. »Velum templi scissum est« »a 6
summo usque deorsum«, quod »usque in hodiernum diem« »positum est super corda« Iudaeorum, ut oculos habentes non videant, et aures non intelligant. »Nobis« vero, quibus »deus revelavit per spiritum suum«, non 9
oportet sacrificandi mysteria implicare, sed exemplo domini IESU clarificare. Non cum MOYSE ut Iudaei velamen superimponamus, sed cum domino IESU offerentes »de claritate in claritatem« transferri studeamus. Nudus 12
IESUS in ara crucis, nudus appareat in ara nostrae immolationis. Quod verbis protestamur, operibus exequamur. Panis ille vere Christi corpus est, et ut Christi corporis immolationem immolari oportet. Christi corpus in ara 15
crucis nudatum in sepulcro linteis est involutum. In passione nudus discipulorum devotione in sepultura est involutus. Sepeliendo sicut mos est Iudaeis sepelire, ostendunt erga magistrum studii devotionem, sed adhuc igno- 18
rabant sacramenti veritatem. Iudaeis similem sepeliunt ut Iudaeum, quia nondum perpenderant crucis mysterium. »Spiritus« »omnia scrutatur, etiam profunda dei«. Illis autem nondum spiritus erat datus, quia ex infirmitate 21
crucifixus IESUS non erat glorificatus. Glorificatus vero IESUS corruptionis vestimenta deserit, corruptibilia a se removit incorruptionem vestitus, sepulcrum deserit, gloriam suam se amantibus patefecit. Cur ergo ex corrupti- 24
bilis sudarii involutione quasi Christi protestamur infirmitatem et in huiusmodi tenebris involutionem, cum eum verissime protestamur dei virtutem et

1-2 fecit] Cf. Ioh. 15,15. 2 sicuti est] 1 Ioh. 3,2. 2-3 conformemur] Cf. 2 Cor. 3,18. 3-4 suae] Phil. 3,21. 4 omnia] Cf. 1 Cor. 15,18: ut sit Deus omnia in omnibus. 5 consummatum est] Ioh. 19,30. 5-6 nova esse] Cf. 2 Cor. 5,17. 6-7 deorsum] Matth. 27,51; Marc. 15,38. 7-8 super corda] 2 Cor. 3,15 (Vulg.: super cor eorum). 8-9 intelligant] Cf. Is. 6,10; Matth. 13,15; Marc. 4,12; Luc. 8,10; Ioh. 12,40. 9 suum] 1 Cor. 2,10. 12 transferri] Cf. 2 Cor. 3,18 (Vulg.: a claritate). 20-21 dei] 1 Cor. 2,10.

14 exequatur *g* 16 nudus *om. g* 17 involutum *g* 19 Iudaeis] Iudaei *Cg* 20 omnia] autem *LP* 22 crucifixus IESUS] crucifixus Christus *g* 23 incorruptione vestitus *C* 24-25 incorruptibilis *g* 25 sudari involutioni *C* et in] in *om. LP*

mundi lucem ? Lux de luce, »quae illuminat omnem hominem«, nullatenus sub sudarii ponatur modio ; sed sicut ipsemet sacerdos et hostia obtulit semetipsum, ita et nostrum ei offeratur sacrificium. Positum sub divo, omnibus ad vitam in Christi luceat domo. Tunc maxime acceptabilis victima nostra erit, si Christi hostiae fuerit consimilis. Involvimus tamen et nos vitalem hostiam, non sicut vobis mos est a principio, sed in fine cum IOSEPH et NICODEMO. Quod non solum offertur in specie sed in rei veritate, discrepare non oportet in sua immolatione. Qui offerendo discrepat, non »sicut« Christus »ambulavit et ipse« ambulat. Si autem in hac parte sacrificandi sinceritas causetur, facillimum est nobiscum sinceritatis cooperculo munditiam observare, et tamen ab ipso initio sacrificandi a vetustissimo ecclesiae ritu non exorbitare.

[*V.*]

»Imperfectum meum« videant »oculi« vestri, et sicut estis in omnem circumspectionis plenitudinem quasi virtutum manibus compactus, nostrae imperfectionis compatimini excessibus. Glorificat deum in me catholica ecclesia, quoniam in nostra mutatione divinae bonitatis apparet gratia. »Gratia dei sum id quod sum«, ex SAULO PAULUS, ex adversario Romanae ecclesiae intimus, PASCALI papae acceptissimus, cardinalium consecretarius, et in omnibus in hac parte prosperos spero successus. IOSEPH in domo PHARAONIS, ego in palatio HENRICI imperatoris. »Neque iniquitas« »neque peccatum meum«, si – quod absit – aut quasi NERO incestus aut Apostata IULIANUS. Gratias deo, quoniam sub vestrae sanctitatis regimine lupus et agnus simul pascuntur, leo et vitulus simul accubant, puerque parvulus minat eos. Et quia »virga aequitatis virga regni« vestri, dei laudamus

1 mundi lucem] Cf. Ioh. 8,12. de luce] Cf. Symbolum Nicaeno - Constantinopolitanum (Denzinger n. 86): lumen de lumine. hominem] Ioh. 1,9. 2 modio] Cf. Matth. 5,15. 4 domo] Cf. ibidem. 6-7 NICODEMO] Cf. Ioh. 19,38-41. 9 ambulat] Cf. 1 Ioh. 2,6. 14 vestri] Cf. Ps. 138,16. 17-18 sum] 1 Cor. 15,10. 21-22 meum] Ps. 58,5. 20-23 IULIANUS] Cf. *Epist. de sacrif. azimi* et *ferm.*, p. 223,4-5. 24-25 eos] Cf. Is. 11,6. 25 vestri] Cf. Hebr. 1,8 (cf. Ps. 44,7).

1 lucem?] ? *om.* *C* Lux] lux *LP* 3 sub divo] ut *add.* *g* 5 hostiae] hostia *C* Involvimus et nos tamen *C* 6 est *om.* *g* 10 sinceritas] sinceritatis *g* causetur] *sic* *g* causae tui *LP* cause tue *C* nobiscum] et alio *add.* *C* 11 mundicia *C* munditiem *g* a] et *mss.*; *g* 14 estis] istis *LP* 17 mutatione] nudatione *C* 19 cardinarium *C* 22 si *om.* *g*

virtutem, ecclesiastico terrore indomitas feras mansuescere, nullique in monte virtutum domini nocere. »*Leo rugiet : quis non timebit ?*« *Sed quia iustus ut leo confidit : in huiusmodi quasi ipsius DAVID manu fortis cor vestrum non trepidat, sed in dei virtute in omnibus triumphat. Dominus, qui vos inunxit* »*oleo exultationis prae participibus*« *vestris, ille vos coronet* »*in misericordia et miseratione*« *in regno beatitudinis.*

2 timebit] Am. 3,8. 2-3 confidit] Cf. Prov. 28,1. 5 vestris] Hebr. 1,9 (cf. Ps. 44,8). 5-6 miseratione] Ps. 102,4 (Vulg.: miserationibus).

2 virtutum *om. g* 4 non *om. LP*

Epistola de sacramentis ecclesiae.

Domino et amico WALERAMNO, gratia dei Nuenburgensi venerabili episcopo, ANSELMUS, servus ecclesiae Cantuariensis, salutem, servitium, orationes, dilectionis affectum.

Gaudeo et gratias ago deo quia, sicut scribitis, glorificat eum in vobis catholica ecclesia, quoniam in vestra mutatione divinae bonitatis apparet gratia et domini papae PASCALIS amicitiam habetis et familiaritatem, ut iam mihi liceat vestram amicabiliter salutare sanctitatem. Quod vestra sublimis humilitas me comparat MINERVAE et vocat ‚montem', non in me accipio, quoniam nihil in me cur hoc dici de me debeat intelligo. Non tamen debeo esse ingratus vestrae benignitati, quoniam hoc facit abundantia vestrae erga me bonae voluntatis. Solemus enim saepe sentire meliora de iis quos diligimus, quam ipsi mereantur. De laude igitur quae ad me non pertinet, cor meum non gloriatur, sed de dilectione quae semper amanda est, gratias agendo laetatur.

5 sicut scribitis] Cf. *Waleramni Epistolam,* p. 237,16-19. 9 montem] Cf. *ibidem,* p. 223,6.

1 EPISTOLA DE SACRAMENTIS ECCLESIAE AD EUNDEM EPISCOPUM *B* Item eiusdem episcopi de sacramentis ecclesiae ad eundem episcopum *K* Epistola anselmi archiepiscopi de sacramentis ecclesiae ad Walerannum episcopum *Z* *sine* Incipit *LPWY* *in mss. epistola non dividitur in capitula; nos loco capitum editionum numeros in uncis posuimus* 2 Domino] Domno *Z* WALERAMNO] Waleranno *BLZK* .W. *PY* nueburgensi *Z* nuemburgensi *W* nuēburgensi *Y* nuenburniensi *LP* venerabili *om. Z* 3 ANSELMUS] .A. *PWY* 6 appareret *B* 8 Quod] *cum signo incisionis W* 10 de me dici *W* 12 vestrae] vestra *ZK* de his *ZK* 15 laetatur] *cum signo incisionis W*

[*I.*]

Queritur vestra reverentia de sacramentis ecclesiae, quoniam non uno modo fiunt ubique, sed diversis modis in diversis locis tractantur. Utique si per universam ecclesiam uno modo et concorditer celebrarentur, bonum esset et laudabile. Quoniam tamen sunt multae diversitates, quae non in summa sacramenti neque in virtute eius aut fide discordant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt : aestimo eas potius in pace concorditer tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim a sanctis patribus quia, si unitas servatur caritatis in fide catholica, nihil officit consuetudo diversa. Si autem quaeritur unde istae natae sint consuetudinum varietates : nihil aliud intelligo quam humanorum sensuum diversitates. Qui quamvis in rei virtute et veritate non dissentiant, in aptitudine tamen et decentia administrationis non concordant. Quod enim unus aptius esse iudicat, alius saepe minus aptum existimat. Neque in huismodi varietatibus non consonare puto ab ipsius rei veritate exorbitare.

[*II.*]

Nempe quod alii in sacrificando corpore et sanguine domini singulas cruces singulis faciunt ab initio in canone, alii solummodo singulas singulis, ubi singulatim nominatur panis vel corpus, et singulatim calix vel sanguis; ubi vero oblatio vel hostia nominatur, unam crucem ambobus faciunt – quoniam sicut unus est Christus, qui se ipsum obtulit pro nobis, ita una est oblatio et una hostia in pane et vino quam offerimus – : non video istos magis in hoc discordare a Christo, qui singulatim utraque benedixit, quam omnes illi discordant, qui calicem post coenam non sacrificant, sicut Christus fecit, neque semper ad vesperum, sicut Christus fecit, et qui utrumque simul uno nomine vocant oblationem vel hostiam, quod Christus non fecit. Unde possumus colligere quia a nobis invicem in huiusmodi actione servata rei veritate possumus esse dissimiles sine reprehensione, cum ab ipso auctore ipsius sacrificii simus diversi sine offensione.

2 Queritur] Cf. *ibidem*, p. 233,16 ss. 17-22 offerimus] Cf. *ibidem*, p. 235,4 ss.

1 c. 1 (*a posteriore manu?*) *Z* 2 reverentia vestra *K* 2-3 modo uno *K* 5 multae sunt *Z* 7 in pace potius *Z* 10 quaeritur *om. Y* 11 Qui] qui *W* 16 c. 2 *Z* 20 vel hostia *om. W* 22 offerrimus *P* 23 discordare in hoc *Z* in hoc *om. W* 24 post coenam calicem *W*

Ubi autem dicimus: ‚haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia', sive singulatim pani et vino singulae cruces assignentur, sive una cruce duo simul sanctificentur: non video in hac diversitate reprehensibilem discordiam, nisi quia forsitan convenientius ambo una cruce notantur, sicut uno verbo benedictionis sanctificantur. Cum enim plures homines aut diversas res simul benedicimus, non singulis singulas cruces reddimus, sed omnibus unam crucem sufficere credimus.

[*III.*]

Quod vero nonnulli ab initio calicem operiunt, quidam corporali, alii panno complicato propter custodiam munditiae, nec nudum dimittunt calicem, sicut Christus nudus crucifixus est, ut sicut significatis ostenderet se mundo revelatum: non magis intelligo eos debere reprehendi propter nuditatem Christi, quae non significatur ab illis in sacrificando, quam quia non demonstrant in eodem sacrificio eum esse crucifixum extra civitatem, extra domum et sub nudo caelo. Quae tamen magna non carent ratione. Nam »Christus«, qui »passus est pro nobis«, nobis »relinquens exemplum, ut« sequamur »vestigia eius«: in his quoque dedit nobis exemplum propter iustitiam sustinendi incomparabilem contemptum et paupertatem. Adeo enim contemptui habitus est et execrabilis iudicatus, ut nec mori dignus haberetur intra aliquam hominum habitationem, neque inter homines nisi inter execrabiles, neque sub tecto aliquo nisi sub caelo, de sub quo eici non potuit, ut secundum prophetam »opprobrium hominum et abiectio plebis« aestimaretur. Pauper vero ita fuit, ut veniens in mundum non in sua sed in aliena domo nasceretur, et natus propter inopiam loci in praesepio brutorum animalium poneretur, et vivens in mundo non haberet ubi caput suum reclinaret, nec moriens unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus unde involveretur, nec sepulchrum aut locum ubi corpus mortuum collocaretur.

9-12 revelatum] Cf. *ibidem*, p. 235,18 ss. 16-17 vestigia eius] 1 Petr. 2,21. 22 plebis] Ps. 21,7. 25 reclinaret] Cf. Matth. 8,20; Luc. 9,58.

1 Ubi] *signum incisionis W* sacrificia sancta *K* 4 convenientius forsitan *K* notentur *Z* 8 *signum incisionis W* c. 3 *Y* 9 calicem *om. WK* 11 nudus Christus *K* 12 eos intelligo *W* 12-13 Christi nuditatem *WY* 14 esse crucifixum *om. W* 15 non magna *K* 16-17 nobis — eius] n. r. e. ut s. v. eius *W* 17 in his] in iis *LP* 19 iudicatus *om. K* 20 nisi inter] inter *om. WY* 23 in sua sed in] in suas. In *LP* in domo aliena *W* 25 poneretur] reponeretur *WY* 27 mortuum corpus *W*

Quae omnia magis sunt vivendo per effectum, cum ratio exigit, imitanda, quam per nuditatem sacrificii nuditas Christi significanda. Neque coniectare possum cur potius curandum sit, ne panno operiatur sacrificium, quia Christus nudus passus est, quam ne sub tecto vel intra civitatem fiat, quoniam Christus sub nudo caelo extra civitatem passus est. Si autem usus non habet, ut extra tectum fiat propter perturbationes aëris : similis causa videtur, ut calix in sacrificando non discooperiatur propter quasdam quae contingere possunt incommoditates. Tutius itaque et diligentius puto ut calix, ne aut musca aut aliquid indecens in illum cadat, quod saepe contigisse cognoscimus, operiatur, quam discoopertus contingentibus immunditiis exponatur.

Haec sapientiae vestrae pro meo sensu, nullius meliorem rationem respuens, respondeo. De iis qui sacrificant de fermentato, misi vobis olim quandam epistolam.

13 epistolam] I. e. *Epist. de sacrificio azimi et fermentati*, p. 223 ss.

1 sunt magis *W* per effectum vivendo *W* 2 Christi nudutas *WY* 7 non *om. K* 10 operiatur] cooperiatur *K* 12 De his *ZK* sacrificat *LP* olim *om. K* 13 epistolam] *addunt* EXPLICIT EPISTOLA ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE SACRIFICIO AZIMI ET FERMENTATI (*cf.* Epist. de sacrif. azimi et ferment., *in fine*) *B* Explicit epistola anselmi cantuariensis archiepiscopi de sacramentis ecclesiae *K* *sine* Explicit *LPWYZ*

DE CONCORDIA PRAESCIENTIAE ET PRAEDESTINATIONIS ET GRATIAE DEI CUM LIBERO ARBITRIO

INDEX SIGLORUM.

A. Ad totum opus:

B = Oxoniensis Bodleianus (n. 1938) Bodley 271 (olim Cantuariensis, Ecclesiae Christi), s. XII. ineuntis.

C = Rotomagensis 434 (olim Gemmeticensis), s. XII.

E = Edinburgensis 104 (olim Radingensis), s. XII.

O = Oxoniensis Bodleianus (n. 3578) e Musaeo 112 (olim S. Edmundi), s. XII.

S = S. Audomari palatii 379 (olim Gemmeticensis), s. XII.

B. Ad eas partes, quae priorem recensionem constituunt:

V = Vindobonensis 533, s. XII., prioris dimidii.

M^1 = Monacensis latinus 22273 (olim Windbergensis), s. XII.

M^2 = Monacensis latinus 22291 (item olim Windbergensis), s. XII.

$M = M^1 + M^2$.

L = Londiniensis Lambethianus 59 (olim Cantariensis, Ecclesiae Christi, s. XII.

T = Trecensis 652, s. XIII.

Cf. SCHMITT, FR. SAL., *Eine frühe Rezension des Werkes De concordia des hl. Anselm von Canterbury*, Revue Bénédictine 1936, p. 41-70. — *Ein weiterer Textzeuge für die I. Rezension von De concordia des hl. Anselm*, ibidem, p. 318-320.

De concordia praescientiae et praedestinationis et gratiae dei cum libero arbitrio.

De tribus illis quaestionibus, in quibus dei praescientiae atque praedestinationi nec non et gratiae liberum arbitrium repugnare videtur, quod mihi deus dignabitur aperire, tentabo ipso adiuvante scribendo ostendere.

[*Qaestio I.*]

De praescientia et libero arbitrio.

[*I.*]

Videntur quidem praescientia dei et liberum arbitrium repugnare, quoniam ea quae deus praescit, necesse est esse futura, et quae per liberum arbitrium fiunt, nulla necessitate proveniunt. Sed si repugnant, impossibile est simul et esse praescientiam dei quae omnia praevidet, et aliquid fieri per

1-2 INCIPIT LIBER ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE CONCORDIA PRAESCIENTIAE ET PRAEDESTINATIONIS ET GRATIAE DEI (DEI *om. S*) CUM LIBERO ARBITRIO *BOS* *idem in litteris minusculis C* Incipit liber venerabilis anselmi archiepiscopi de concordia praescientiae et praedestinationis ac gratiae dei cum libero arbitrio *E* *in mss. textus duabus aliis inscriptionibus, nulla alia incisione interveniente, in tres partes dividitur; nos praeterea numeris in uncis inclusis capita editionis Maurinae indicavimus* *in E manus posterior XXIX numeros in marginibus posuit* 5 dignatur *S; Divion. 182 (s. XII.)* 7 *hanc inscriptionem supplevi; in mss. deest*

Prior recensio: 3-5 De tribus – ostendere *om. VM* 9 quidem *om. VM* 12 et esse] esse et *VM*

libertatem arbitrii. Quae impossibilitas si abesse intelligitur, repugnantia quae videtur inesse penitus removetur. Ponamus igitur simul esse et praescientiam dei, quam sequi necessitas futurarum rerum videtur, et libertatem arbitrii, per quam multa sine ulla necessitate fieri creduntur, et videamus utrum impossibile sit haec duo simul esse. Quod si est impossibile, oritur inde aliud impossibile. Impossibile siquidem est, quo posito aliud impossibile sequitur. Sed si aliquid est futurum sine necessitate, hoc ipsum praescit deus, qui praescit omnia futura. Quod autem praescit deus, necessitate futurum est, sicut praescitur. Necesse est igitur aliquid esse futurum sine necessitate. Nequaquam ergo recte intelligenti hic repugnare videntur praescientia quam sequitur necessitas, et libertas arbitrii a qua removetur necessitas, quoniam et necesse est quod deus praescit futurum esse, et deus praescit aliquid esse futurum sine omni necessitate.

Sed dices mihi : Non removes tamen a me necessitatem peccandi vel non peccandi, quoniam deus praescit me peccaturum vel non peccaturum, et ideo necesse est me peccare si pecco, vel non peccare si non pecco. Ad quod ego : Non debes dicere : praescit deus me peccaturum tantum vel non peccaturum ; sed : praescit deus me peccaturum sine necessitate vel non peccaturum. Et ita sequitur quia, sive peccaveris sive non peccaveris, utrumque sine necessitate erit, quia praescit deus futurum esse sine necessitate hoc quod erit. Vides igitur non esse impossibile simul esse praescientiam dei, per quam futura quae praescit dicuntur esse ex necessitate, et libertatem arbitrii, per quam multa fiunt sine necessitate ? Si enim est impossibile, sequitur aliquid impossibile. Sed nulla ex hoc nascitur impossibilitas.

Forsitan dicis : Nondum aufers a corde meo vim necessitatis, cum dicis quia necesse est me peccaturum esse vel non peccaturum sine necessitate, quia hoc deus praescit. Necessitas enim videtur sonare coactionem vel pro-

4 fieri *om.* *S* 12 esse futurum *S* 20-21 quod hoc *O* 23 sine necessitate?] ? *om.* *E* 24 nascitur] sequitur *E*

Prior recensio : 2 igitur] ergo *VM* 5-6 Quod si – impossibile *om.* *VM* 6 siquidem] quidem *VM* 8 futura] quia scilicet futurum est aliquid (aliquod M^1) sine necessitate *add.* *VM* 8-9 Quod – praescitur *om.* *VM* 9 esse futurum] futurum esse (esse *om.* M^2 ; *in* M^1 *expunct.*) *VM* 20 sine necessitate praescit deus futurum esse *VM* 24-25 sequitur] inde (tamen M^2) *add.* *VM*

hibitionem. Quare si necesse est me peccare ex voluntate, intelligo me cogi aliqua occulta vi ad voluntatem peccandi ; et si non pecco, a peccandi voluntate prohiberi. Quapropter necessitate videor mihi peccare si pecco, vel non peccare si non pecco.

[*II.*]

Et ego : Sciendum est quia saepe dicimus necesse esse, quod nulla vi esse cogitur ; et necesse non esse, quod nulla prohibitione removetur. Nam dicimus : necesse est deum esse immortalem, et necesse est deum non esse iniustum ; non quod aliqua vis cogat eum esse immortalem aut prohibeat esse iniustum, sed quoniam nulla res potest facere, ut non sit immortalis aut ut sit iniustus. Sic itaque si dico : necesse est esse te peccaturum vel non peccaturum sola voluntate, sicut deus praescit : non est intelligendum quod aliquid prohibeat voluntatem quae non erit, aut cogat illam esse quae erit. Hoc ipsum namque praescit deus qui praevidet aliquid futurum ex sola

4 non pecco] Ad n. I cf. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio*, l. III, cc. III et IV (*PL* 32, 1273 ss.). — *De civitate Dei*, l. V, cc. IX et X (*CSEL* XXXX, pars I,p. 222 ss.; *PL* 41,148 ss.). — *Tractat. in Ioh.* LIII, n. 4 (*PL* 35,1776): Quidam ergo inter se mussitant... dicentes : Quid fecerunt Iudaei, vel quae culpa eorum fuit, si necesse erat *ut sermo Isaiae prophetae impleretur quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Quibus respondemus, Dominum praescium futurorum, per prophetam praedixisse infidelitatem Iudaeorum ; praedixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam novit. Ipsorum enim praescivit peccata, non sua ; non cuiusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quae ille praescivit ipsorum, non sunt ipsorum, non vere ille praescivit : sed quia illius praescientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse praescivit. Fecerunt ergo peccatum Iudaei, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet ; sed facturos esse praedixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur ; et hoc facturi praeviderentur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, et quid ei sit pro eius opere redditurus. — Cf. *ibidem*, n. 6 (1776 s.). 6-11 iniustus] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. XVII, p. 122 ss.

10 sed] vel *add. E* 12 praescit deus *E*

Prior recensio : 12 sicut deus praescit *om. VM* 14 erit] ideo quoniam propter praescientiam dei necesse erit esse ex voluntate vel non esse, sicut deus praescit ; sed intelligendum est : quia non est aliquid, quod possit cogere vel prohibere quicquam esse vel non esse contra dei praescientiam, idcirco cum peccat aliquis vel non peccat secundum voluntatem suam (suam

voluntate, quod voluntas non cogitur aut prohibetur ulla alia re, et sic ex libertate fit quod fit ex voluntate. Si igitur haec diligenter intelliguntur, puto quia et praescientiam dei et libertatem arbitrii simul esse nulla prohibet 3 inconvenientia.

Denique si quis intellectum verbi proprie considerat: hoc ipso quod praesciri aliquid dicitur, futurum esse pronuntiatur. Non enim nisi quod futurum est praescitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cum dico 6

4 inconvenientia] Ad praecedentia cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. V, c. X, n. 2 (*CSEL* XXXX, pars 1, p. 230; *PL* 41,153): Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus praescivit quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim qui hoc praescivit, nihil praescivit. Porro si ille, qui praescivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit: profecto et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur... Unde absit a nobis eius negare praescientiam, ut libere velimus, quo adiuvante sumus liberi vel erimus... Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praescivit; immo ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille, cuius praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit. Qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit.

2 igitur] ergo *E* 5 ipso] ipsum *E*

om. M^2), sicut deus praescit eius voluntatem, nulla duci (dici M^2) necessitate, sed sola libertate. At si dicis: cum dico quod secundum (propter M^2) praescientiam dei futurum vel non futurum est ex voluntate, nulla re posse cogi vel prohiberi esse vel non esse aliter quam est in voluntate, quia sequitur quod, cum vult homo peccare, non potest ipse voluntatem suam (voluntate sua M^1) prohibere a peccato, et cum non (non *om.* M) vult peccare, cogere eam (eum M^1) ad peccatum, et ideo idem valere (valet M^2), ac si dicam quia, cum vult, non potest non velle, et cum non vult, non potest velle: non sequitur hoc, quod putas ex eo quod ego dico. Cum enim dico nihil posse obsistere voluntati peccandi vel non peccandi, quam deus praevidet, non nego potestatem inesse mutandi voluntatem – aliter enim non est libera voluntas –, sed affirmo non posse aliquam aliam rem illam auferre libertatem *add.* *VM* praescit deus, qui] est in praescientia, qua *VM* 1 quod voluntas non cogitur aut prohibetur ulla alia re] ut (ubi M^1) et voluntas a se ipsa mutari, sed ab ulla alia re non possit (posset *ex* possit M^2) *VM* 2 fit[1]] fiat *VM* 5 Denique] Nam *VM* 6-7 Non enim – veritatis] Si enim non est futurum, non praescitur *VM*

quia si praescit deus aliquid, necesse est illud esse futurum : idem est ac si dicam : Si erit, ex necessitate erit. Sed haec necessitas nec cogit nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponitur res esse, dicitur ex necessitate esse ; aut quia ponitur non esse, affirmatur non esse ex necessitate ; non quia necessitas cogat aut prohibeat rem esse aut non esse. Nam cum dico : si erit, ex necessitate erit : hic sequitur necessitas rei positionem, non praecedit. Idem valet, si sic pronuntietur : Quod erit, ex necessitate erit. Non enim aliud significat haec necessitas, nisi quia quod erit non poterit simul non esse.

Pariter autem verum est quia fuit et est et erit aliquid non ex necessitate, et quia necesse est fuisse omne quod fuit, et esse quod est, et futurum esse quod erit. Quippe non est idem rem esse praeteritam et rem praeteritam esse praeteritam ; aut rem esse praesentem, et rem praesentem esse praesentem ; aut rem esse futuram, et rem futuram esse futuram ; sicut non idem est rem esse albam, et rem albam esse albam. Lignum enim non est semper necessitate album, quia aliquando priusquam fieret album, potuit non fieri album ; et postquam est album, potest fieri non album. Lignum vero album semper necesse est esse album, quia nec antequam sit, nec postquam est album, fieri potest, ut album simul sit non album. Similiter res non necessitate est praesens, quoniam antequam esset praesens, potuit fieri ut praesens non esset ; et postquam est praesens, potest fieri non praesens. Rem autem praesentem necesse est esse praesentem semper, quia nec priusquam sit nec postquam est praesens, potest praesens simul esse non praesens. Eodem modo res aliqua – ut quaedam actio – non necessitate futura est, quia priusquam sit, fieri potest ut non sit futura ; rem vero futuram necesse est esse futuram, quoniam futurum nequit esse simul non futurum. De praeterito autem similiter verum est quia res aliqua non est necessitate praeterita, quoniam antequam esset, potuit fieri ut non esset ; et quia praeteritum semper necesse est praeteritum esse, quoniam non potest simul non esse praeteritum. Sed in re praeterita est quiddam, quod non est in re praesenti vel futura. Numquam enim fieri potest, ut res quae praeterita est fiat non praeterita ; sicut res

6-7 praecedet] Cf. *Cur deus homo,* l. II, c. XVII, p. 125,8 ss.

4-5 ex necessitate non esse *E* 15 et 17 Lignum] Signum *E*

Prior recensio : 7 si] cathegorica propositione (categorica propositionem M^2) *add.* *VM* 249,10-251,2 Pariter autem – creaturae voluntate *om.* *VM*

quaedam quae praesens est potest fieri non praesens, et aliqua res quae non necessitate futura est potest fieri, ut non sit futura. Itaque cum dicitur futurum de futuro, necesse est esse quod dicitur, quia futurum numquam est non futurum, sicut quotiens idem dicimus de eodem. Cum enim dicimus quia omnis homo est homo ; aut si est homo, homo est ; aut omne album est album ; et si est album, album est : necesse est esse quod dicitur, quia non potest aliquid simul esse et non esse. Quippe si non est necesse omne futurum esse futurum, quoddam futurum non est futurum, quod est impossibile. Necessitate ergo omne futurum futurum est ; et si est futurum, futurum est, cum futurum dicitur de futuro ; sed necessitate sequente, quae nihil esse cogit.

[*III.*]

Cum autem futurum dicitur de re, non semper res necessitate est, quamvis sit futura. Nam si dico : ‚cras seditio futura est in populo', non tamen necessitate erit seditio. Potest enim fieri antequam sit, ut non fiat, etiam si est futura. Aliquando vero est, ut res sit ex necessitate quae dicitur futura ; ut si dico cras esse futurum ortum solis. Si ergo cum necessitate pronuntio futurum de re futura : hoc modo seditio cras futura necessitate futura est, aut ortus solis cras futurus necessitate futurus est ; seditio quidem quae non erit ex necessitate, sola sequenti necessitate futura asseritur, quia futura de futura dicitur. Si enim cras futura est, necessitate futura est. Ortus vero solis duabus necessitatibus futurus intelligitur, scilicet et praecedenti quae facit rem esse – ideo enim erit, quia necesse est ut sit –, et sequenti quae nihil cogit esse, quoniam idcirco necessitate futurus est, quia futurus est. Quapropter cum dicimus quia quod deus praescit futurum necesse est esse futurum, non asserimus semper rem esse necessitate futuram, sed rem futuram necessitate esse futuram. Non enim potest futurum simul non esse futurum. Idem sensus est si sic dicitur : ‚si deus praescit aliquid', non addendo ‚futurum': quoniam in ‚praescire' intelligitur futurum. Nam non est aliud praescire quam scire futurum, et ideo si praescit deus aliquid, necesse est illud esse futurum. Non ergo semper sequitur praescientiam dei rem necessitate futuram esse, quoniam quamvis omnia futura praesciat, non tamen praescit

1 est *om.* *S* 21 futurum de futuro *E* 26-27 sed necessitate futuram rem *E*
30 illud] illum *C* 32 esse futuram *S*

cuncta futura necessitate, sed quaedam praescit futura ex libera rationalis creaturae voluntate.

Notandum quippe est quia sicut non est necesse deum velle quod vult, ita necesse non est in multis velle hominem quod vult. Et sicut necesse est esse quidquid deus vult, ita esse necesse est quod vult homo, in iis quae deus ita subdit humanae voluntati, ut si vult fiant, si non vult non fiant. Quoniam enim quod deus vult non potest non esse: cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum vel non volendum, et vult effectum sequi voluntatem: tunc necesse est voluntatem esse liberam et esse quod vult. In huiusmodi ergo verum est quia necessitate fit opus peccati quod vult homo facere, quamvis non necessitate velit. Quod si quaeritur de peccato ipsius voluntatis cum peccat volendo, utrum sit necessitate: respondendum est quia sicut non vult necessitate, ita non est peccatum voluntatis necessitate. Nec necessitate operatur eadem voluntas, quia si non vellet sponte non operaretur, quamvis quod facit necesse sit fieri, ut supra dixi. Nam quoniam non est aliud ibi peccare, quam velle quod non debet, ita non est peccatum voluntatis necessarium, sicut velle non est necessarium. Tamen verum est quia si vult homo peccare, necesse est eum peccare; sed ea necessitate, quam supra dixi nihil cogere aut prohibere.

Itaque quod vult libera voluntas; et potest et non potest non velle, et necesse est eam velle. Potest namque non velle antequam velit, quia libera est, et cum iam vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, quoniam impossibile illi est id ipsum simul et velle et non velle. Opus vero voluntatis, cui datum est ut quod vult sit et quod non vult non sit, voluntarium sive spontaneum est, quoniam spontanea voluntate fit, et bifariam est necessarium, quia et voluntate cogitur fieri, et quod fit non potest simul non fieri. Sed has necessitates facit voluntatis libertas, quae priusquam sint eas cavere potest. Haec omnia deus, qui scit omnem veritatem et non nisi

5-6 in his *ES* 7 Quoniam enim quod] Quod enim *E* cum] Cum *E* 11 necessitate non *E* 16 quoniam] quia *E*

Recensio prior: 3 quippe] quoque *VM* 14 Nec] nec *VM* eadem *om. VM* 15 sponte *om. VM* 17-18 velle non est necessarium] voluntas non est necessaria *VM* 20 quod vult lib. voluntas] cum vult lib. voluntas aliquid (aliquid *om.* M^2; aliquod M^1) *VM* non velle] quod vult *add. VM* 27-28 voluntatis libertas – potest] et priusquam sint, cavere potest voluntatis libertas *VM*

veritatem: sicut sunt spontanea vel necessaria videt; et sicut videt, ita sunt. Hac ergo consideratione palam est quia sine omni repugnantia et deus praescit omnia, et multa fiunt ex libera voluntate, quae antequam sint fieri potest, ut numquam sint, et tamen quodam modo sunt necessitate, quae necessitas – ut dixi – descendit de libera voluntate.

[*IV.*]

Cognosci potest etiam non omnia quae praescit deus esse ex necessitate, sed quaedam fieri ex libertate voluntatis, per hoc quia, cum vult aut facit deus aliquid, sive secundum aeternitatis dicatur immutabilem praesentiam, in qua nihil est praeteritum aut futurum, sed omnia simul sunt sine omni motu – ut si dicimus quia non voluit aut volet nec fecit aut faciet aliquid, sed tantum vult et facit –, sive secundum tempus – velut cum proferimus quia volet aut faciet, quod nondum factum esse cognoscimus –: negari nequit scire quae vult et facit, et praescire quae volet atque faciet. Qûare si scire et praescire dei necessitatem ingerit omnibus quae scit aut praescit, nihil secundum aeternitatem aut secundum ullum tempus vult aut facit ipse ex libertate, sed omnia ex necessitate. Quod si absurdum est vel opinari, non necessitate est, aut non est omne quod scit deus aut praescit esse vel non esse. Ergo nihil prohibet aliquid sciri vel praesciri ab illo in nostris voluntatibus et actionibus fieri aut futurum esse per liberum arbitrium, ut quamvis necesse sit esse quod scit aut praescit, tamen multa sint nulla necessitate, sed libera voluntate, quemadmodum supra monstravi.

7-19 non esse] Cf. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio*, l. III, c. III (*PL* 32,1273 s.): A. Res ergo universas quarum Deus est praescius, non voluntate sed necessitate fieri putas. E. Omnino ita puto. A. Expergiscere tandem, teque ipsum paululum intuere, et dic mihi, si potes, qualem sis habiturus cras voluntatem, utrum peccandi, an recte faciendi. E. Nescio. A. Quid? Deum itidem nescire hoc putas? E. Nullo modo id putaverim. A. Si ergo voluntatem tuam crastinam novit, et omnium hominum, sive qui sunt, sive qui futuri sunt, futuras praevidet voluntates, multo magis praevidet quid de iustis impiisque facturus sit. E. Prorsus si meorum operum praescium Deum dico, multo fidentius eum dixerim praescire opera sua, et quid sit facturus certissime praevidere. A. Nonne igitur caves ne tibi dicatur, etiam ipsum quaecumque facturus est, non voluntate sed necessitate facturum, si omnia quorum Deus praescius est, necessitate fiunt, non voluntate?... 22 supra] Cf. c. III. p. 251,3 ss.

4 quae] Quae *S; Divion. 182* 13-14 nequit negari *E*

Nempe quid mirum si hoc modo aliquid est ex libertate et ex necessitate, cum multa sint, quae recipiunt opposita diversa ratione? Quae namque magis opposita sunt quam adire et abire? Videmus tamen, cum transit aliquis de loco ad locum, quia idem ire est adire et abire. Abit enim de loco, et adit ad locum. Item si consideremus solem sub aliqua parte caeli, cum semper caelum lustrando ad eandem partem festinet: videmus quia idem locus est a quo recedit et ad quem accedit, et indesinenter ei eodem tempore appropinquat a quo elongatur. Patet etiam cursum eius non ignorantibus, quia si caelum consideramus, semper transit ab occidentali parte ad orientalem; si vero terram attendimus, numquam nisi ab orientali ad occidentalem; et sic semper contra firmamentum vadit, et – licet tardius – cum firmamento; quod ipsum in omnibus planetis cernitur. Ita ergo nulla oritur repugnantia, si secundum praedictas rationes asserimus idem aliquid esse necessitate futurum, quia est futurum, et nulla cogi necessitate esse futurum, nisi ea necessitate, quam supra dixi fieri a libera voluntate.

[*V.*]

Si vero per hoc quod de homine dicit IOB deo: »constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt«, vult aliquis ostendere quia nullus potuit accelerare vel differre diem in qua moritur, quamvis aliquando nobis videatur aliquis facere ex libera voluntate unde moritur: non est quod obiciatur contra hoc quod supra diximus. Nam quoniam deus non fallitur, nec videt nisi veritatem – sive ex libertate sive ex necessitate eveniat –, dicitur constituisse apud se immutabiliter, quod apud hominem prius quam fiat mutari potest. Tale etiam est, quod PAULUS apostolus de »iis qui secundum propositum vocati sunt sancti« dicit: »Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et iustificavit. Quos autem iustificavit, illos et magnificavit«. Hoc quippe propositum, secundum quod vocati sunt sancti in aeternitate, in qua non est praeteritum

15 supra] Cf. ibidem. 17-18 poterunt] Iob 14,5. 24-25 sancti] Rom. 8,28. 25-28 magnificavit] Ibidem, v. 29 s. (Vulg.: glorificavit *pro* magnificavit).

5 ad locum] ad (*correctura*) *om. E* 9 consideramus] consideremus videbimus quod *E* 14 cogi *om. E* 20-21 obiciatur *E* 24 de his *ES* 27 Quos a. prae. h. et u. *etc.*] *hoc modo in S loci sacrae scripturae abbreviantur*

vel futurum sed tantum praesens, immutabile est; sed in ipsis hominibus ex libertate arbitrii aliquando est mutabile. Sicut enim quamvis in aeternitate non fuit aut erit aliquid, sed tantum est, et tamen in tempore fuit et erit aliquid sine repugnantia: ita quod in aeternitate mutari nequit, in tempore aliquando per liberam voluntatem, antequam sit, esse mutabile probatur absque inconvenientia. Quamvis autem nihil ibi sit nisi praesens, non est tamen illud praesens temporale sicut nostrum, sed aeternum, in quo tempora cuncta continentur. Si quidem quemadmodum praesens tempus continet omnem locum et quae in quolibet loco sunt: ita aeterno praesenti simul clauditur omne tempus, et quae sunt in quolibet tempore. Cum ergo ait apostolus quia deus sanctos suos »praescivit«, »praedestinavit«, »vocavit«, »iustificavit«, »magnificavit«: nihil horum prius aut posterius apud deum est, sed omnia simul aeterno praesenti sunt intelligenda. Habet enim aeternitas suum simul, in quo sunt omnia quae simul sunt loco vel tempore, et quae sunt diversis in locis vel temporibus.

Ut autem ostenderet idem apostolus non illa verba se pro temporali significatione posuisse, illa etiam quae futura sunt praeteriti verbo temporis pronuntiavit. Nondum enim quos praescivit adhuc nascituros iam temporaliter »vocavit«, »iustificavit«, »magnificavit«. Unde cognosci potest eum propter indigentiam verbi significantis aeternam praesentiam usum esse verbis praeteritae significationis; quoniam quae tempore praeterita sunt, ad similitudinem aeterni praesentis omnino immutabilia sunt. In hoc siquidem magis similia sunt aeterno praesenti temporaliter praeterita quam praesentia, quoniam quae ibi sunt, numquam possunt non esse praesentia, sicut temporis praeterita non valent umquam praeterita non esse, praesentia vero tempore omnia quae transeunt fiunt non praesentia.

Hoc ergo modo quidquid de iis quae libero fiunt arbitrio, velut necessarium sacra scriptura pronuntiat: secundum aeternitatem loquitur, in

6-10 tempore] Cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XI, c. XXI (*CSEL* XXXX, pars 1, p. 541; *PL* 41,334): Non enim more nostro ille vel quod futurum est prospicit, vel quod praesens est aspicit, vel quod praeteritum est respicit; sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe alteque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt; ita ut illa quidem quae temporaliter fiunt, et futura nondum sint, et praesentia iam sint, et praeterita iam non sint, ipse vero haec omnia stabili ac sempiterna praesentia comprehendat.

12 est deum *O* 13 enim aeternitas] aeternum *E* 27 de his *ES*

qua praesens est omne verum et non nisi verum immutabiliter; non secundum tempus, in quo non semper sunt voluntates et actiones nostrae, et sicut dum non sunt, non est necesse eas esse, ita saepe non est necesse ut aliquando sint. Nam non semper scribo aut volo scribere; et sicut dum non scribo aut non volo scribere, non est necesse me scribere aut velle scribere: ita nequaquam est necesse ut aliquando scribam aut velim scribere. Cum autem res tam aliter esse cognoscatur in tempore quam in aeternitate, ut aliquando verum sit quoniam aliquid non est in tempore quod est in aeternitate, et quia fuit in tempore quod ibi non fuit, et erit temporaliter quod non ibi erit: nulla ratione negari videtur posse similiter aliquid esse in tempore mutabile, quod ibi est immutabile. Quippe non magis opposita sunt mutabile in tempore et immutabile in aeternitate, quam non esse in aliquo tempore, et esse semper in aeternitate; et fuisse vel futurum esse secundum tempus, atque non fuisse aut non futurum esse in aeternitate.

Siquidem non dico aliquid numquam esse in tempore, quod semper est in aeternitate, sed tantum in aliquo tempore non esse. Non enim dico actionem meam crastinam nullo tempore esse, sed hodie tantum nego eam esse, quae tamen semper est in aeternitate. Et quando negamus fuisse vel futurum ibi esse aliquid, quod in tempore fuit aut erit, non asserimus id quod fuit aut erit nullo modo ibi esse; sed tantum praeterito vel futuro modo dicimus non ibi esse, quod ibi indesinenter est suo praesenti modo. In his vero nulla videtur adversari contrarietas. Sic utique sine ulla repugnantia dicitur aliquid esse mutabile in tempore, antequam sit, quod in aeternitate manet immutabiliter; non antequam sit vel postquam est, sed indesinenter, quia nihil est ibi secundum tempus. Nam hoc ipsum est ibi aeternaliter, quia temporaliter aliquid et est, et antequam sit potest non esse, sicut iam dixi. Sufficienter ex iis quae dicta sunt puto patere quia praescientia dei et liberum arbitrium nequaquam invicem repugnant. Quod facit vis aeternitatis, quae claudit omne tempus et quae sunt in quolibet tempore.

[*VI.*]

Sed quoniam non in omnibus liberum habemus arbitrium, videndum est ubi et quae sit illa libertas arbitrii, quam semper habere creditur homo,

27 dixi] Cf. p. 254,4-6.

25 ibi est *S* 26 aliquid est et hoc antequam *S* 27 ex his *ES* puto patere] patere arbitror *E*

et quod sit illud arbitrium. Non est enim idem arbitrium et libertas qua liberum dicitur. In multis dicitur libertas et arbitrium, ut cum aliquem dicimus libertatem habere loquendi aut tacendi, et in eius arbitrio esse quid horum velit. In pluribus quoque aliis similiter dicitur libertas et arbitrium, quae non semper assunt aut ad salutem animae nobis necessaria sunt. Pro illo autem arbitrio tantum et pro illa libertate ista ventilatur quaestio, sine quibus homo salvari nequit, postquam potest illis uti. Nam ideo conquerentur multi quia putant ad salutem vel damnationem nihil valere liberum arbitrium, sed solam necessitatem propter dei praescientiam. Quoniam ergo non salvatur homo, postquam ad intelligibilem pervenit aetatem, sine sua iustitia : ibi est investigandum hoc arbitrium et haec libertas unde agitur, ubi sedes est iustitiae. Primum itaque ostendenda est iustitia, deinde ista libertas et istud arbitrium.

Est quidem iustitia quaelibet – magna vel parva – : rectitudo voluntatis propter se servata. Libertas autem ista est : potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. Quas definitiones puto me apertis rationibus monstrasse, priorem quidem in tractatu quem feci *De veritate*, alteram vero in eo quem edidi *De* hac ipsa *libertate*. In quo etiam ostensum est quomodo naturaliter et inseparabiliter sit in homine haec libertas, quamvis non ea semper utatur ; et quod ita sit fortis, ut nulla res homini rectitudinem praedictam, id est iustitiam, quam habet valeat, quamdiu hac libertate voluerit uti, auferre. Iustitia vero non est naturalis, sed fuit separabilis in principio et angelis in caelo et hominibus in paradiso, et est adhuc in hac vita, non tamen necessitate, sed habentium illam propria voluntate. Sed quoniam iustitiam qua iustus est aliquis constat esse rectitudinem voluntatis, quam dixi, quae rectitudo tunc tantum est in aliquo, cum ipse vult quod deus vult eum velle : patet quia deus non potest eandem rectitudinem invito auferre, quoniam non potest hoc velle. Sed neque velle potest, ut eam habens nolens ulla necessitate illam deserat. Quippe vellet illum non velle, quod vult eum velle ; quod esse nequit. Sequitur ergo deum velle hoc modo rectam voluntatem

17 *De veritate*] In c. XII, vol. I, p. 191 ss. 18 *libertate*] Cf. *De libertate arbitrii*, c. III et XIII, vol I, p. 210 ss. et p. 225. 18-20 utatur] Cf. *ibidem*, c. III, p. 210 ss. 18-22 auferre] Cf. *ibidem*, cc. V-VIII, p. 214 ss. 22-24 propria voluntate] Cf. *ibidem*, c. XIV, p. 226. 24-30 nequit] Cf. *ibidem*, c. VIII, p. 220 s.

1 et quod sit illud arbitrium *om. S* 5 necessaria] non *add. E* 10 homo *om. E* 29 illam] illa *O*

ad volendum recte et ad servandum eandem rectitudinem esse liberam, quae quando potest quod vult, libere facit quod facit. Unde quoque aper-
3 tissime cognosci potest aliquam esse liberam voluntatem cum actione sua, non repugnante dei praescientia, sicut supra monstratum est.

Ponamus nunc exemplum aliquod, in quo appareat et recta, id est
6 iusta voluntas, et libertas arbitrii, et ipsum arbitrium ; et quomodo recta voluntas impugnetur ut deserat rectitudinem, et qualiter eam libero servet arbitrio. Habet aliquis in corde ut veritatem teneat, quia intelligit rectum
9 esse amare veritatem. Hic utique rectam iam habet voluntatem, et rectitudinem voluntatis. Aliud autem est voluntas, et aliud rectitudo qua recta est. Accedit alius, et nisi mentiatur minatur illi mortem. Videmus nunc in eius
12 esse arbitrio an deserat vitam pro voluntatis rectitudine, an rectitudinem pro vita. Hoc arbitrium, quod et iudicium dici potest, liberum est, quoniam ratio qua intelligitur rectitudo, docet rectitudinem illam eiusdem rectitudinis amore
15 semper esse servandam, et quidquid obtenditur ut deseratur esse contemnendum, atque voluntatis est ut ipsa quoque reprobet ac eligat, quemadmodum rationis intellectus monstrat. Ad hoc enim maxime datae sunt rationali crea-
18 turae voluntas et ratio. Quapropter idem voluntatis arbitrium ut eandem rectitudinem deserat, nulla cogitur necessitate, quamvis mortis impugnetur difficultate. Licet enim necesse sit aut vitam aut rectitudinem relinquere, nulla
21 tamen necessitas determinat quam servet aut deserat. Nempe sola voluntas determinat ibi quid teneat, nec aliquid facit vis necessitatis, ubi operatur electio sola voluntatis. At cui non est deserendi rectitudinem voluntatis quam
24 habet necessitas, palam est quia non deest servandi potestas sive libertas. Semper enim haec potestas libera est. Haec enim est libertas, quam esse dixi potestatem servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem.
27 Hac libertate rationalis naturae et arbitrium liberum et voluntas libera dicitur.

[*VII.*]

Restat nunc ut consideremus, cum deus omnia praescire sive scire
30 credatur, utrum eius scientia sit a rebus, an res habeant esse ab eius scientia. Nam si deus a rebus habet scientiam, sequitur quod illae prius sint quam

17-18 ratio] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. I, p. 97 s.

6 recta] recte *B* 10 qua] quae *E* 16 est *om. E* 30 sit] fiat *E* (*in B correctura*)

eius scientia, et sic a deo non sint, a quo nequeunt esse nisi per eius scientiam. Si vero quaecumque sunt a scientia dei sumunt essentiam, deus est factor et auctor malorum operum, et ideo non iuste punit malos ; quod non suscipimus.

Haec autem questio facile solvi potest, si prius cognoscitur bonum, quod est iustitia, vere aliquid esse ; malum vero, quod est iniustitia, omni carere existentia. Quod in tractatu *De casu diaboli,* et in libello quem *De conceptu virginali et de originali peccato* titulavi, apertissime monstravi. Non est enim iniustitia qualitas aut actio aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitae iustitiae, nec est nisi in voluntate, ubi debet esse iustitia. Per quam voluntatem iustam vel iniustam dicitur omnis rationalis natura et quaelibet eius actio iusta vel iniusta. Omnis quippe qualitas et omnis actio et quidquid aliquam habet essentiam, a deo est, a quo est omnis iustitia et nulla iniustitia. Facit igitur deus omnia, quae iusta sive iniusta voluntate fiunt, id est bona opera et mala. In bonis quidem facit quod sunt et quod bona sunt, in malis vero facit quod sunt, sed non quod mala sunt. Nam omni rei esse iustam vel bonam est aliquid esse ; nulli vero rei est esse aliquid iniustam vel malam esse. Si quidem bonum vel iustum esse est habere iustitiam, quod est aliquid ; malum autem esse vel iniustum est non habere iustitiam quam debet habere, quod non est aliquid. Iustitia namque aliquid est, iniustitia vero nihil, sicut dixi.

Est autem aliud bonum, quod dicitur ‚commodum', cuius contrarium est malum, quod est ‚incommodum'. Hoc malum aliquando nihil est, ut caecitas ; aliquando est aliquid, ut dolor. Sed hoc malum cum aliquid est deum facere non negamus, quia ipse est sicut legitur »faciens pacem et creans malum«. Ipse namque creat incommoda, quibus exercet et purgat iustos et punit iniustos. De illo itaque tantum malo, quod est iniustitia, per quam dicitur iniustum, certum est quia numquam est aliquid, nec alicui rei

257,29-258,2 scientiam] Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. VI, c. X, n. 11 (*PL* 42,931 s.): Non enim haec quae creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt: ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. — *Ibidem*, l. XV, c. XIII (1076). 7 *De casu diaboli*] Cf. cc. IX-XI, XV, XVI, XIX, XXXI, vol. I, p. 246 ss. 8 *de originali peccato*] Cf. c. V, p. 146 s. 24 ut dolor] Cf. *De casu diaboli,* c. XII, vol. I, p. 255,7-8. — *De conceptu virginali,* c. V, p. 146,30-147,1. 25-26 malum] Is. 45,7.

2 a scientia dei] abei scientia (*ras.*) *S* 28 rei *om. E*

est esse aliquid iniustam esse. Et sicut deus non facit iniustitiam, ita non facit aliquid iniustum esse. Qui tamen facit omnes actiones et omnes motus, quia ipse facit res, a quibus et ex quibus et per quas et in quibus fiunt ; et nulla res habet ullam potestatem volendi aut faciendi nisi illo dante. Ipsum quoque velle, quod aliquando iustum est, aliquando iniustum, nec est aliud quam uti voluntate et potestate volendi quas deus dat : in quantum est, bonum est et est a deo. Quod tunc quidem, quando recte est, bonum et iustum est ; quando vero non recte, hoc solo quia non recte est, malum est et iniustum. Est autem aliquid recte esse, et hoc est a deo ; non esse vero recte non est aliquid, nec est a deo. Nam sicut cum aliquis utitur gladio aut lingua aut potestate loquendi, non est aliud gladius aut lingua sive potestas, cum rectus est eorum usus, et aliud cum non est rectus : ita voluntas qua utimur ad volendum, sicut ratione utimur ad ratiocinandum, non est aliud quando quis illa recte utitur, et aliud quando non recte. Nec magis nec minus est hoc quod est essentialiter cum est iusta, quam cum iniusta est voluntas, per quam dicitur aut substantia aut actio iusta vel iniusta. Sic itaque facit deus in omnibus voluntatibus et operibus bonis et quod essentialiter sunt et quod bona sunt ; in malis vero non quod mala sunt, sed tantum quod per essentiam sunt. Quemadmodum enim non est essentia rerum nisi a deo, ita non est recta nisi ab ipso.

Huius vero rectitudinis de qua loquor absentia, quae est iniustitia, non est nisi in voluntate rationalis creaturae, quae semper debet habere iustitiam. Cur autem non habeat quam semper debet habere, et quomodo deus bona faciat sola sua bonitate et mala sola culpa hominis vel diaboli, et qualiter homo bona faciat per liberum arbitrium praesulante gratia et malum sola sua operante propria voluntate, et quid habeat deus in malis sine culpa sua et homo in bonis cum laude sua, ut tamen bona hominis videantur aperte imputando deo et mala homini : cum de gratia et libero arbitrio tractabimus, ut puto, deo donante apertius patebit. Nunc autem tantum dico quod malus angelus ideo iustitiam non habet, quia eam deseruit nec postea recepit ; homo vero idcirco illa caret, quia in primis parentibus eam abiecit, et postea aut non illam recepit aut receptam reiecit.

Puto quia gratia dei adiuvante monstravimus quod praescientiam dei

4 illo] ipso *E* 7 a deo] est *add. E* 12 ita] cum *add. B* 13 ad ratiocinandum utimur ratione *E* 15 haec *ex* hoc *E* quod est]esse *add. B* 16 iniusta est] est iniusta *ES* 23 habere] iniustitiam *add. E* 33 monstrabimus *S*

et liberum arbitrium simul esse, si diligenter considerentur quae diximus, non sit impossibile, neque possit aliquid obici quod non sit dissolubile.

[*Quaestio II.*]

De praedestinatione et libero arbitrio.

[*I.*]

Nunc ergo in eo sperantes qui hucusque nos perduxit, discordiam quae inter praedestinationem et liberum arbitrium videtur esse, aggrediamur dissolvere. Ad quod per ea quae supra disseruimus, sicut in sequentibus patebit, non parum profecimus.

Praedestinatio videtur idem esse quod praeordinatio sive praestitutio; et ideo quod deus praedestinare dicitur, intelligitur praeordinare, quod est statuere futurum esse. Quod autem deus statuit futurum esse, necessitate videtur esse futurum. Quare quidquid deus praedestinat, necesse est futurum esse. Si ergo deus praedestinat bona et mala quae fiunt, nihil fit per liberum arbitrium, sed omnia ex necessitate. At si tantum bona praedestinat, sola bona sunt ex necessitate, nec est liberum arbitrium nisi ad mala; quod nimis est absurdum. Non ergo sola bona praedestinat deus. Si autem quaedam bona opera facit liberum arbitrium, per quae fiunt iusti absque praedestinatione, non praedestinat deus omnia bona opera, quae iustos faciunt. Quare nec illos iustos, qui sunt per opera liberi arbitrii. Non ergo praescivit deus eos, quia »quos praescivit«, hos »et praedestinavit«. Sed falsum est deum non praescire aliqua bona opera aut aliquos iustos. Non igitur quaedam solius liberi arbitrii opera bona iustificant, sed illa sola quae deus praedestinat. Si ergo deus omnia praedestinat, et praedestinata sunt ex necessitate: cum nihil per liberum arbitrium necessitate fiat, sequi videtur nihil esse liberum arbitrium manente praedestinatione; aut si statuimus in aliquibus liberum arbitrium, perire in illis praedestinationem.

21 praedestinavit] Rom. 8,29.

4 De praedestinatione et libero arbitrio] *hanc inscriptionem omnes codices mss. habent* et] de *add. O* 8 in consequentibus *S*

[*II.*]

In primis igitur ante quaestionis responsionem videndum est quia praedestinatio non solum bonorum est, sed et malorum potest dici, quemadmodum deus mala quae non facit dicitur facere, quia permittit. Nam dicitur hominem indurare cum non emollit, ac inducere »in tentationem« cum non liberat. Non est ergo inconveniens, si hoc modo dicimus praedestinare deum malos et eorum mala opera, quando eos et eorum mala opera non corrigit. Sed bona specialius praescire et praedestinare dicitur, quia in illis facit quod sunt et quod bona sunt; ac in malis autem non nisi quod sunt essentialiter, non quod mala sunt, ut supra dictum est. Sciendum quoque est quia sicut praescientia non in deo dicitur proprie, ita nec praedestinatio; quia illi nec ante nec post aliquid est, sed omnia sunt illi simul praesentia.

[*III.*]

Consideremus nunc an aliqua possint praedestinari per liberum futura arbitrium. Dubitari utique non debet quia eius praescientia et praedestinatio non discordant; sed sicut praescit, ita quoque praedestinat. In quaestione de praescientia cognovimus aperte aliqua praesciri futura per liberum arbitrium sine omni repugnantia. Unde veritas quoque evidens et ratio docet praedestinari similiter per liberum arbitrium quaedam futura absque omni inconvenientia. Nam neque praescit deus neque praedestinat quemquam iustum futurum ex necessitate. Non enim habet iustitiam, qui eam non servat libera voluntate. Pariter igitur, quamvis necesse sit fieri quae praesciuntur et quae

3-4 permittit] Cf. *De casu diaboli,* c. XXVIII, vol. I, p. 276,10-11. 5 indurare] Cf. Rom. 9,18. in tentationem] Cf. Matth. 6,13; Luc. 11,4. 4-6 liberat] Cf. AUGUSTINUS, *Tractat. in Ioh.* LIII, n. 6 (*PL* 35,1777): Sic enim excaecat, sic obdurat Deus, deserendo et non adiuvando. 2-7 non corrigit] Cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio,* c. XXIII (*PL* 44,910 s.): Quando ergo auditis dicentem Dominum, *Ego Dominus seduxi prophetam illum* (Ez. 14,9); et quod ait Apostolus, *Cuius vult miseretur, et quem vult obdurat* (Rom. 9,18): in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala eius merita credite. 10 supra] Cf. qu. I, c. VII, p. 258, 5 ss. 11 proprie] Cf. qu. I, c. V, p. 254,6 ss. 10-12 praesentia] Cf. AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus ad Simplicianum,* l. II, quaest. II, n. 2 (*PL* 40,138 s.): Quid est enim praescientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futurae, sed praesentes; ac per hoc non iam praescientia, sed tantum scientia dici potest.

9 ac] at *E* 11 proprie dicitur *E*

praedestinantur, quaedam tamen praescita et praedestinata non eveniunt ea necessitate quae praecedit rem et facit, sed ea quae rem sequitur, sicut supra diximus. Non enim ea deus – quamvis praedestinet – facit voluntatem cogendo aut voluntati resistendo, sed in sua illam potestate dimittendo. Quamvis tamen sua voluntas utatur potestate, nihil tamen facit, quod deus non faciat in bonis sua gratia, in malis non sua sed eiusdem voluntatis culpa; quod – sicut promisimus – clarius cum de gratia loquemur apparebit. Et sicut praescientia, quae non fallitur, non praescit nisi verum sicut erit, aut necessarium aut spontaneum: ita praedestinatio, quae non mutatur, non praedestinat, nisi sicut est in praescientia. Et quemadmodum quod praescitur – licet in aeternitate sit immutabile –, tamen in tempore aliquando antequam sit mutari potest: ita est per omnia de praedestinatione.

Patet igitur ex iis quae dicta sunt, si bene considerentur, quia nec praedestinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adversatur praedestinationi. Siquidem omnia illa, quibus supra monstravimus liberum arbitrium praescientiae non repugnare, pariter ostendunt illud praedestinationi concordare. Non ergo rationabiliter quotiens aliquid contingit operante spontanea voluntate – velut cum homo homini facit iniuriam, unde ab illo occiditur –, quidam clamant dicentes: ‚Sic praescitum et praedestinatum erat a deo, et ideo necessitate factum est, nec aliter fieri potuit'. Quippe nec qui alium iniuria irritavit nec qui se vindicavit, hoc fecit necessitate, sed sola voluntate; quia si non sponte voluisset, neuter quod fecit fecisset.

261,22-262,2 sequitur] Cf. RATRAMNUS, *De praedestinatione Dei*, l. II (*PL* 121,54): Sicut enim praescientia eius neminem compellit ad peccatum, cum utique praescierit singulorum ante saecula aeterna peccata, ita quoque et praedestinatio eius neminem compellit ad poenam, licet et antequam nascatur aliquis, praedestinatus sit, si permansurus est in iniquitate, ad poenam. Ex eo enim quod praescivit singulos quid essent acturi ex eo et praedestinavit aeternitate consilii sui quid esset de singulis facturus. 2 supra] Cf. qu. I, c. II, p. 250,9-11. 6-7 sicut promisimus] Cf. qu. I, c. VII, p. 259,23-29. 7-9 spontaneum] Cf. qu. I, c. V, p. 253,21-22. 10-12 potest] Cf. ibidem, p. 253,22 ss. 12 de praedestinatione] Ad praecedentia cf. AUGUSTINUS, *De dono perseverantiae*, c. XVII, n. 47, c. XVIII, et c. XIX, n. 48 (*PL* 45,1022 ss.). 17-22 fecisset] Cf. AUGUSTINUS, *Tractat. in Ioh.* LIII, n. 4 (*PL* 35,1776): Fecerunt ergo peccatum Iudaei, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse praedixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur; et hoc facturi praeviderentur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, et quid ei sit pro eius opere redditurus.

4 illam] eam *E* 7-8 quae non fallitur praescientia *E* 13 ex his *ES* 20 nec aliter] nec *bis S*

[*Quaestio III.*]

De gratia et libero arbitrio.

[*I.*]

Restat nunc ut de gratia et eodem libero arbitrio, eadem gratia adiuvante, consideremus. Quaestio ista inde nascitur, quia divina scriptura ita loquitur aliquando, ut nihil videatur liberum arbitrium prodesse ad salutem, sed sola gratia ; aliquando vero ita, velut tota nostra salus in libera nostra consistat voluntate. De gratia siquidem dicit dominus : »Sine me nihil potestis facere«. Et : »Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum«. Et PAULUS apostolus : »Quid autem habes, quod non accepisti?« Et de deo : »Cuius vult miseretur, et quem vult indurat«. Et : »Neque volentis neque currentis, sed miserentis est dei«. Multa quoque alia leguntur quae soli gratiae sine libero arbitrio bona nostra opera et salutem nostram videntur attribuere. Plures etiam asserunt experimento se probare quod homo nequaquam ullo libero fulciatur arbitrio : quoniam multos absque numero immenso mentis et corporis conatu niti sentiunt, qui quadam difficultate immo impossibilitate aggravati nihil proficiunt, aut post magnum profectum repente irreparabiliter deficiunt.

Liberum autem arbitrium monstrat eadem scriptura nos habere hoc modo. Dicit deus per ISAIAM : »Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis«. Et DAVID : »Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo et fac bonum«. Et dominus in evangelio : »Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris«. Plura etiam alia et innumerabilia sunt quae vi-

8-9 facere] Ioh. 15,5. 9 illum] Ibidem, 6,44 (Vulg.: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum). 10 accepisti] 1 Cor. 4,7. 11 indurat] Rom. 9,18. 11-12 dei] Ibidem, 9,16 (Vulg.: non volentis). 20-21 comedetis] Is. 1,19. 21-23 bonum] Ps. 33,13-15. 23-26 vestris] Matth. 11, 28 s.

2 De gratia et libero arbitrio] *hanc inscriptionem omnes codices mss. habent* De gratia] dei *add. E* 10 accepisti?]? *om. E* 12 miserantis *E*

dentur liberum arbitrium ad bene operandum excitare, et quia monita contemnit exprobare. Quod auctoritas divina nequaquam faceret, si voluntatis libertatem nullam in homine cognosceret. Sed nec ullo modo esset cur deus 3
bonis vel malis pro meritis singulorum iuste retribueret, si per liberum arbitrium nullus bonum vel malum faceret.

Quoniam ergo in sacra scriptura quaedam invenimus quae soli gratiae 6
favere videntur, et quaedam quae solum liberum arbitrium statuere sine gratia putantur: fuerunt quidam superbi qui totam virtutum efficaciam in sola arbitrii libertate consistere sunt arbitrati; et sunt nostro tempore multi qui 9
liberum arbitrium aliquid esse penitus desperant. In hac itaque quaestione haec erit nostra intentio, ut liberum arbitrium simul esse cum gratia et cum ea operari in multis monstremus, sicut illud cum praescientia atque praede- 12
stinatione concordare repperimus.

[*II.*]

Sciendum est quia, sicut non de alio libero arbitrio fit haec – ut supra 15
dixi – quaestio nisi de illo, sine quo nemo salutem meretur, postquam intelligibilem habet aetatem: ita non de alia gratia quam de illa, sine qua nullus salvator homo. Omnis enim creatura gratia existit, quia gratia facta est; et 18
multa bona dat deus per gratiam in hac vita, sine quibus homo salvari potest. In infantibus quidem qui baptizati moriuntur, antequam suo possint uti libero arbitrio, non apparet concordia quam quaerimus; quoniam in illis 21
gratia sola operatur salutem sine illorum libero arbitrio. Nam hoc quoque gratia est, quia datur aliis voluntas, ut illis sua fide subveniant. In habentibus igitur intelligibilem aetatem monstrandum est quod investigamus, quia 24
de illis solis versatur haec quaestio.

Quicumque autem ex his salvantur, per iustitiam salvari dubium non est. Iustis enim promittitur vita aeterna, quia »iusti in perpetuum vivent, et 27
apud dominum est merces eorum«. Quod autem iustitia sit rectitudo voluntatis, sacra saepe monstrat auctoritas. Qua de re sufficit unum exemplum

13 repperimus] Ad n. I cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio*, cc. I-IV (*PL* 44,881 ss.). — *Sermo* CLXV, c. I (*PL* 38,902 s.). 15 supra] Cf. qu. I, c. VI, p. 256,5-12. 23 subveniant] Cf. *De conceptu virginali*, c. XXIX, p. 173,2-9. 27-28 eorum] Sap. 5,16.

3 nullam] nulla *O*

proponere. Cum enim dixisset DAVID: »non relinquet dominus plebem suam, et haereditatem suam non derelinquet, quoadusque iustitia convertatur in iudicium«: ut doceret nos quid esset iustitia, interrogando ait: »Et qui iuxta illam?« Ad quod ipse sibi respondens »omnes« inquit »qui recto sunt corde«, hoc est qui recta sunt voluntate. Quamvis enim corde credamus et intelligamus, sicut corde volumus, non tamen iudicat spiritus sanctus illum rectum habere cor, qui recte credit vel intelligit et non recte vult: quia non utitur rectitudine fidei et intellectus ad recte volendum, propter quod datum est rationali creaturae recte credere et intelligere. Nam neque rectum intellectum habere dicendus est, qui secundum illum non recte vult; neque dicitur habere fidem nisi mortuam, qui secundum fidem non recte vult operari, propter quod fides datur. Recte igitur intelligimus DAVID dixisse rectos corde rectos voluntate. Sed ne quis existimet auctoritate divina dici iustum illum vel rectum, qui non nisi propter aliud tenet rectitudinem voluntatis: dicimus iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam. Qui enim solum propter aliud illam servat, non eam diligit, sed illud propter quod illam servat, et ideo non est dicendus iustus, nec talis rectitudo nominanda est iustitia.

Quando de praescientia et libero arbitrio tractabamus, exemplo quodam monstravimus esse posse simul rectitudinem hanc, quam voco iustitiam, et liberum arbitrium. Per quod planum est intelligere in aliis multis similiter esse. Si ergo possumus ostendere nullam creaturam hanc adipisci posse rectitudinem nisi per gratiam, manifesta erit inter gratiam et liberum arbitrium ad salvandum hominem concordia quam quaerimus.

[*III.*]

Dubium utique non est quia voluntas non vult recte, nisi quia recta est. Sicut namque visus non est acutus, quia videt acute, sed idcirco videt acute, quia est acutus: ita voluntas non est recta, quia vult recte, sed recte

1-3 in iudicium] Ps. 93,14 s. (Vulg.: non repellet dominus). 3-4 iuxta illam] Ibidem, v. 15. 4-5 corde] Ibidem. 10-12 datur] Cf. *Monologion*, c. LXXVIII, vol. I, p. 84 s. 15 servatam] Cf. *De veritate*, c. XII, vol. I, p. 195,28 ss. 20 monstravimus] Cf. qu. I, c. VI, p. 257,5 ss.

2 non derelinquet] non *om. E* 4 sibi *om. B* 8 rectitudinem *B* 17 et ideo] Et ideo *ES; Clm. 18208 (s. XII)* 21 Per] per *EOS; Clm. 18208* 22 nullam ostendere *O* 22-23 rectitudinem *om. E*

vult, quoniam recta est. Cum autem vult hanc rectitudinem, procul dubio recte vult. Non ergo vult rectitudinem, nisi quia recta est. Idem autem est voluntati rectam esse et rectitudinem habere. Palam igitur est quia non vult rectitudinem, nisi quia rectitudinem habet. Non nego voluntatem rectam velle rectitudinem quam nondum habet, quando vult maiorem quam habeat ; sed dico nullam eam posse velle rectitudinem, si non habet rectitudinem qua illam velit.

Consideremus nunc utrum aliquis hanc rectitudinem non habens, eam aliquo modo a se habere possit. Utique a se illam habere nequit, nisi aut volendo aut non volendo. Volendo quidem nullus valet eam per se adipisci, quia nequit eam velle, nisi illam habeat. Quod autem aliquis non habens rectitudinem voluntatis, illam valeat per se non volendo assequi, mens nullius accipit. Nullo igitur modo potest eam creatura habere a se. Sed neque creatura valet eam habere ab alia creatura. Sicut namque creatura nequit creaturam salvare, ita non potest illi dare per quod debeat salvari. Sequitur itaque quia nulla creatura rectitudinem habet quam dixi voluntatis, nisi per dei gratiam. Hanc autem rectitudinem per liberum arbitrium servari posse, sicut supra dixi, monstravimus. Deo igitur largiente invenimus gratiam eius ad salvandum hominem cum libero arbitrio concordare, ita ut gratia sola possit hominem salvare nihil eius libero arbitrio agente – sicut fit in infantibus –, et in intelligentibus ipsa semper adiuvet liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem quam servet per liberum arbitrium.

Et quamvis non omnibus det, quoniam »cui vult miseretur, et quem vult indurat« : nulli tamen dat pro aliquo praecedenti merito, quoniam »quis prior dedit« deo, »et retribuetur ei ?« Si autem voluntas, per liberum arbitrium servando quod accepit, meretur aut augmentum acceptae iustitiae, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut praemium aliquod : haec omnia

18 supra] Cf. c. praecedens, p. 265,19-21. 17-23 per liberum arbitrium] Cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio*, c. XV (*PL* 44,899 s.): Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae. Per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quae iam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quae voluerit, cum valde perfecteque voluerit. 24-25 indurat] Rom. 9,18. 25-26 retribuetur ei] Rom. 11,35.

1 quoniam] quia *E* 6 habet] habeat *E* 9 a se aliquo modo *E* 11 nequit eam] nequit illam *S* 21 adiuvet semper *E* 26 deo dedit *E*

fructus sunt primae gratiae, et »gratia pro gratia«, et ideo totum est imputandum gratiae, »quia neque volentis est« quod vult, »neque currentis est« quod currit, »sed miserentis est dei«. Omnibus enim, excepto solo deo dicitur: »Quid habes, quod non accepisti? Quod si accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis?«

[*IV.*]

Quomodo quidem libertas voluntatis tenentis acceptam rectitudinem nulla necessitate ut illam deserat expugnetur, sed difficultate impugnetur, nec eidem difficultati invita sed volens cedat: in tractatu *De libertate arbitrii* puto me ostendisse. Quibus autem modis post rectitudinem eandem acceptam gratia liberum arbitrium adiuvet ut servet quod accepit: quamvis non omnes valeam enumerare – multifariam enim hoc facit –, tamen non erit inutile aliquid inde dicere. Nemo certe servat rectitudinem hanc acceptam, nisi volendo. Velle autem illam aliquis nequit, nisi habendo. Habere vero illam nullatenus valet, nisi per gratiam. Sicut ergo illam nullus accipit nisi gratia praeveniente, ita nullus eam servat nisi eadem gratia subsequente. Nempe quamvis illa servetur per librum arbitrium, non tamen est tantum imputandum libero arbitrio quantum gratiae, cum haec rectitudo servatur; quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam praevenientem et subsequentem habet et servat.

1 gratia pro gratia] Ioh. 1,16. — Cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio*, c. IX, n. 21 (*PL* 44,893). 1-2 gratiae] Cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio*, c. VIII, n. 20 (*PL* 44,893): Itaque, charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio et vita aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei gratia est: et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est: haec autem quae illi datur, quoniam praemium eius est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro iustitia. 2-3 dei] Rom. 9,16 (Vulg.: non volentis). 4-5 acceperis] 1 Cor. 4,7 (Vulg.: Si autem accepisti). 5 acceperis] Cf. AUGUSTINUS: *De gratia et libero arbitrio*, c. V (*PL* 44,887 ss.). — *De diversis quaestionibus ad Simplicium*, l. I, qu. II, n. 12 (*PL* 49,117 s.). — *De patientia*, c. XXI (*PL* 40,621). — *Sermo* CLIX, c. II (*PL* 38,916 s.): Ne forte dicas, Promerui, et ideo accepi. Non putes te promerendo accepisse, qui non promerereris, nisi accepisses. Gratia praecessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti... 9 *arbitrii*] Cf. cc. V-VII, vol. I, p. 214 ss.

1-2 imputandum est *ES* 13 hanc rectitudinem *E* 15 accepit *E* 17 tantum *om. E*

Sic autem gratia subsequitur donum suum, ut numquam – sive magnum sive parvum sit – illud dare deficiat, nisi liberum arbitrium volendo aliud rectitudinem quam accepit deserat. Numquam enim separatur haec rectitudo a voluntate, nisi quando aliud vult, quod huic rectitudini non concordat. Sicut cum quis accipit rectitudinem volendi sobrietatem, et reicit eam volendo immoderatam bibendi voluptatem. Quod cum facit, sua voluntate, et ideo sua culpa perdit gratiam quam accepit. Adiuvat etiam gratia liberum arbitrium, quando ut deserat rectitudinem acceptam impugnatur, mitigando aut penitus removendo vim tentationis impugnantis aut augendo affectum eiusdem rectitudinis. Denique cum omnia subiaceant dispositioni dei : quidquid contingit homini, quod adiuvet liberum arbitrium ad accipiendum aut ad servandum hanc de qua loquor rectitudinem, totum gratiae imputandum est.

Dixi omnem iustitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam. Unde sequitur omnem habentem hanc rectitudinem habere iustitiam et esse iustum, quoniam omnis habens iustitiam iustus est. Non tamen sentio iustis omnibus promissam esse vitam perpetuam, sed illis tantum, qui sunt iusti sine omni iniustitia. Illi enim proprie et absolute dicuntur iusti et recti corde. Est enim aliquis secundum aliquid iustus et secundum aliquid iniustus, ut qui castus est et invidus. Talibus non promittitur beatitudo iustorum, quoniam sicut vera beatitudo est sine omni indigentia, ita nulli datur nisi iusto sine omni iniustitia. Nam quoniam beatitudo, quae iustis promittitur, erit similitudo angelorum dei : sicut in angelis bonis nulla est iniustitia, ita nullus illis sociabitur cum aliqua iniustitia. Quomodo autem fiat homo sine omni iniustitia, non est huius nostri propositi ostendere. Scimus tamen hoc per sancta studia Christiano et per gratiam dei esse possibile.

7-10 rectitudinis] Cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio*, c. IV, n. 8 (*PL* 44,887): Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata, *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Iac. 1,14). Ubi si dixerit, Volo servare, sed vincor a concupiscentia mea: respondet Scriptura libero eius arbitrio... *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quod tamen ut fiat, adiuvat gratia. — Cf. *ibidem*, n. 9. 13 Dixi] Cf. c. II, p. 265,13-18. 17 corde] Cf. Ps. 93,15. 20-21 iniustitia] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XXIV, p. 93,7-9. 22 dei] Cf. Matth. 22,30: sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. — Luc. 20,36: aequales enim Angelis sunt.

2 deficiat] desinat *E* 3 accepit] acceperit *E* 6 sua voluntate] facit *add. E* 9-10 aut augendo aff. eiusdem rectitudinis *om. E* 22 nulla est iniustitia] non est iustitia ulla *S*

[*V.*]

Si bene considerentur quae dicta sunt, aperte cognoscitur quia cum aliquid dicit sacra scriptura pro gratia, non amovet omnino liberum arbitrium; neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quasi sola gratia aut solum liberum arbitrium sufficiat ad salvandum hominem, sicut videtur illis, qui hanc faciunt quaestionem. Ita quippe intelligenda sunt dicta divina, ut hoc excepto quod dixi de infantibus, nec sola gratia nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur.

Quippe cum dicit dominus: »sine me nihil potestis facere«, non ait: nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium, sed nihil prodest sine mea gratia. Et cum legitur: »neque volentis neque currentis, sed miserentis est dei«, non negatur in volente et currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio quod vult et quod currit, sed gratiae. Nam cum ait: »neque volentis neque currentis est«, subaudiendum est: quod vult et quod currit. Velut cum aliquis nudo, cui nihil debet et qui nullum a se potest indumentum habere, dat vestem: non tamen, quamvis ipse habeat potestatem utendi et non utendi accepta veste, si ea utitur, imputandum est induto quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest: Non est induti quod est indutus, sed miserentis, id est vestem dantis. Multo vero magis hoc diceretur, si ille qui dedit vestem, dedisset etiam potestatem servandi eam et utendi; sicut deus homini, cum dat rectitudinem saepe fatam, dat etiam potestatem servandi et utendi, quia dedit prius liberum arbitrium ad servandum illam et utendum. Si vero nudo, cui nihil deberetur, non daretur vestis, aut si ipse acceptam proiceret: nulli nisi ipsi imputaretur eius nuditas. Ita cum deus alicui concepto et nato in peccato, cui nihil nisi poenam debet, dat velle et currere: »non est volentis neque currentis, sed miserentis est dei«; et qui eandem gratiam non accipit aut

2-6 quaestionem] Cf. AUGUSTINUS, *De gratia et libero arbitrio*, c. IV, n. 6 (*PL* 44,885): Sed metuendum est ne ista omnia divina testimonia, et quaecumque alia sunt, quae sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrii, sic intelligantur, ut ad vitam piam et bonam conversationem, cui merces aeterna debetur, adiutorio et gratiae Dei locus non relinquatur... (886) Talis est haeresis Pelagiana. 7 de infantibus] Cf. c. III, p. 266,19-20. 9 facere] Ioh. 15,5. 11 dei] Rom. 9,16 (Vulg.: non volentis). 25 in peccato] Cf. Ps. 50,7.

16 dat vestem habere *O* 22 servandi] eam *add. E*

acceptam reicit : eius est, non dei, quod in sua duritia et iniquitate permanet.

Idem intellectus habendus est in aliis, in quibus scriptura loquitur pro gratia, ut scilicet liberum non excludatur arbitrium. Similiter quando ita loquuntur divina dicta, ut libero arbitrio soli videantur salutem hominis attribuere, nullo intellectu gratia separanda est. Sicut ergo, quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre nec nisi per matrem, non tamen removet ullus intellectus aut patrem aut matrem a generatione prolis : ita gratia et liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad iustificandum et salvandum hominem.

[*VI.*]

In his tamen in quibus videtur scriptura liberum arbitrium ad recte volendum et operandum invitare, quaeritur cur hominem invitat ad recte volendum, et quare arguit non oboedientem, cum ipsam rectitudinem nemo possit nisi gratia dante habere vel accipere. Sciendum quia, sicut terra innumerabiles herbas et arbores, sine quibus humana natura alitur aut etiam quibus perimitur, sine omni hominis cura profert, illas vero, quae nobis ad vitam nutriendam maxime sunt necessariae, non sine magno labore atque cultore nec absque seminibus : ita corda humana sine doctrina, sine studio sponte quasi germinant cogitationes et voluntates nihil utiles saluti aut etiam noxias, illas vero, sine quibus ad salutem animae non proficimus, nequaquam sine sui generis semine et laboriosa cultura concipiunt aut germinant. Unde illos homines, quibus talis cultura impenditur, »agriculturam dei« vocat apostolus. Est autem semen huius agriculturae verbum dei, immo non verbum, sed sensus qui percipitur per verbum. Vox namque sine sensu nihil constituit in corde. Nec solum sensus verbi, sed omnis sensus vel intellectus rectitudinis, quem mens humana sive per auditum, sive per lectionem, sive per rationem, sive quolibet alio modo concipit, semen est recte volendi.

Nullus namque velle potest, quod prius corde non concipit. Velle autem credere quod est credendum, est recte velle. Nemo ergo potest hoc velle, si nescit quod credendum est. Cum enim praemisisset apostolus : »omnis

22 agriculturam dei] 1 Cor. 3,9 : Dei agricultura estis. 23 verbum dei] Cf. Luc. 8,11.

1 in iniquitate et duritia sua *E* 7 ullus] illius *S* 11 In iis *O* scriptura] scriptum *C* 13 arguat *corr. ex* arguet *E* 14 vel habere vel *S* 17 necessaria *BC*

quicumque invocaverit nomen domini, salvus erit«, subiunxit: »Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?« Et paulo post: »Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi«. Quod autem dicit fidem esse ex auditu, intelligendum est quia fides est ex hoc, quod concipit mens per auditum; neque ita ut sola conceptio mentis faciat fidem in homine, sed quia fides esse nequit sine conceptione. Addita namque rectitudine volendi conceptioni per gratiam fit fides, quia credit quod audit. »Auditus autem est per verbum Christi«, hoc est per verbum praedicantium Christum. Praedicantes vero non sunt nisi mittantur. Sed quod mittuntur, gratia est. Quapropter et praedicatio est gratia, quia gratia est quod descendit ex gratia; et auditus est gratia, et intellectus ex auditu gratia, et rectitudo volendi gratia est. Verum missio, praedicatio, auditus, intellectus nihil sunt, nisi velit voluntas quod mens intelligit. Quod voluntas facere nequit, nisi accepta rectitudine. Recte namque vult, cum vult quod debet. Ita quod mens ex auditu verbi concipit, est semen praedicantis, et rectitudo est »incrementum« quod deus dat, sine quo »neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat deus«.

Sicut ergo deus in principio per miraculum fecit frumentum, et alia de terra nascentia ad alimentum hominum sine cultore et seminibus: ita sine humana doctrina mirabiliter fecit corda prophetarum et apostolorum necnon et evangelia, foecunda salutaribus seminibus, unde accipimus quidquid salubriter in »agricultura dei« ad alimentum animarum seminamus, sicut non nisi de primis terrae seminibus habemus, quod ad nutrimentum corporum propagamus. Siquidem nihil utiliter ad salutem spiritualem praedicamus, quod sacra scriptura spiritus sancti miraculo foecundata non protulerit, aut intra se non contineat. Nam si quid ratione dicimus aliquando quod in dictis eius aperte monstrare aut ex ipsis probare nequimus: hoc modo per illam cognoscimus,

270,30-271,1 salvus erit] Rom. 10,13. 1-4 mittantur] Ibidem, v. 14 s. 4-5 Christi] Ibidem, v. 17. 17-19 deus] 1 Cor. 3,7 (Vulg.: neque qui plantat est aliquid neque qui rigat). 24 agricultura dei] 1 Cor. 3,9.

2 Aut] At *B* 5 Christi] dei *E* 6 fides est] est *om. E* 7 in homine fidem *E* 11 Quapropter] quapropter *O* 12 est gratia] gratia est *E* 15 Quod] quod *C* 17 dat deus *S* 23-24 salubriter *om. E* 26 nihil] nil *S* 28 si quid] sicut *(in rasura) B*

utrum sit accipiendum aut respuendum. Si enim aperta ratione colligitur, et illa ex nulla parte contradicit – quoniam ipsa sicut nulli adversatur veritati, ita nulli favet falsitati –: hoc ipso quia non negat quod ratione dicitur, eius auctoritate suscipitur. At si ipsa nostro sensui indubitanter repugnat: quamvis nobis ratio nostra videatur inexpugnabilis, nulla tamen veritate fulciri credenda est. Sic itaque sacra scriptura omnis veritatis quam ratio colligit auctoritatem continet, cum illam aut aperte affirmat aut nullatenus negat.

Videamus nunc in exemplis quomodo verbum sit semen. Cum audiunt quibus dicitur: »si volueritis et audieritis me«: intelligunt et cogitant quod dicitur velle et audire, hoc est oboedire. Qui enim audit et non oboedit, dicitur non audire. Sed oboedire nequeunt, nisi velint. Velle autem oboedire est recte velle. Recte vero velle nemo potest, nisi habeat rectitudinem voluntatis, quam nullus habet homo nisi per gratiam. Verum rectitudo volendi aliquid nulli datur, nisi intelligenti velle et quod velle debet. Videmus itaque quod dictum est: »si volueritis et audieritis me«, semen esse nequaquam per se ad aliquem fructum germinans sine adiectione rectitudinis, nec ipsam rectitudinem dari nisi seminibus. Similiter cum dicit deus: »convertimini ad me«, semen est sine germine, quamdiu hominis voluntatem non convertit deus ad volendum conversionem, quam cogitat cum audit »convertimini«, sine quo semine nullus potest velle converti. Dicitur etiam conversis: »convertimini«, aut ut magis convertantur, aut ut servent quod conversi sunt. Qui vero dicunt: »converte nos deus«, iam aliquatenus conversi sunt, quia rectam voluntatem habent cum volunt converti; sed orant per hoc quod iam acceperunt, ut augeatur eorum conversio, sicut illi qui credentes dixerunt: »auge nobis fidem«. Ac si dicerent et illi et isti: Auge in nobis quod dedisti, perfice quod incepisti. Quod de his ostendi, in similibus quoque intelligendum est.

Sicut igitur terra non germinat naturaliter ea quae maxime necessaria sunt saluti corporis nostri sine seminibus, et licet deus non det incrementum omni semini, non tamen cessant agricolae nostri seminare in spe messis ali-

4-6 credenda est] Cf. AUGUSTINUS, *Epist.* CXLIII, n. 7 (*CSEL* XXXIV, p. 258; *PL* 33,588): Si enim ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. 9 audieritis me] Is. 1,19. 17 convertimini ad me] Is. 45, 22; Ioel 2,12; Zach. 1,3. 22 converte nos deus] Ps. 84,5. 24-25 fidem] Luc. 17,5 (Vulg.: Adauge).

1 aperte *S* 20 converti velle *E*

quantulae: ita terra cordis humani non profert fructum fidei atque iustitiae sine congruis seminibus, et quamvis deus non faciat cuncta huiusmodi semina germinare, tamen praecipit agricolis suis in spe instantissime verbum suum seminare. Ostendimus, ut puto, quomodo non sit supervacaneum homines ad fidem Christi et ad ea quae fides haec exigit invitare, quamvis non omnes hanc invitationem suscipiant.

[*VII.*]

Dixi etiam posse quaeri, cur arguantur illi qui verbum dei non suscipiunt, cum hoc facere nequeant nisi gratia eorum voluntates dirigente. Dicit enim dominus de spiritu sancto: »Ille arguet mundum de peccato«, »quia non credunt in me«. Ad quod licet forsitan difficile sit respondere, quod tamen deo dante possum, tacere non debeo. Notandum est quia impotentia, quae descendit ex culpa, non excusat impotentem culpa manente. Unde in infantibus, in quibus exigit deus a natura humana iustitiam, quam accepit in primis parentibus cum potestate servandi illam in omnem prolem suam, non excusat eam impotentia habendi iustitiam, quoniam propter culpam in hanc corruit impotentiam. Hoc ipsum namque, quia non habet quod per se resumere nequit, est illi habendi impotentia, in quam ideo cecidit, quia sponte deseruit quod servare potuit. Quoniam ergo peccando deseruit iustitiam, ad peccatum illi imputatur impotentia, quam ipsa peccando sibi fecit. Nec solum impotentia iustitiam habendi, sed etiam impotentia illam intelligendi similiter in non baptizatis imputatur ad peccatum, quoniam pariter descendit a peccato. Possumus etiam rationabiliter asserere quia, quod a prima conditionis humanae dignitate ac fortitudine atque pulchritudine minorata et corrupta est, illi ad culpam imputatur. Per hoc namque minoravit, quantum in ipsa fuit, honorem et laudem dei. Quippe secundum dignitatem operis laudatur et praedicatur sapientia artificis. Quanto igitur natura humana, pretiosum opus dei, unde ipse glorificandus erat, in se minoravit atque foeda-

8 Dixi] Cf. c. VI, p. 270,11-14. 10 de peccato] Ioh. 16,8. 10-11 in me] Ibidem, v. 9 (Vulg.: crediderunt). 12-13 culpa manente] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XXIV, p. 92 ss. 13-17 impotentiam] Cf. *De conceptu virginali*, c. II, p. 142,1-4.

11 credunt] crediderunt *E* 26 in ipso *B*

vit: tanto sua culpa deum exhonoravit. Quod illi ad tantum statuitur peccatum, ut non nisi per mortem dei deleatur.

Siquidem ipsos motus sive appetitus, quibus propter peccatum ADAE sicut bruta animalia subiacemus, quos apostolus vocat »carnem« et »concupiscentiam«, quam invitum se tolerare manifestat cum dicit: »quod odi, illud facio«, id est nolens concupisco: satis ostendit sacra auctoritas imputari ad peccatum. Quippe cum de solo motu irae sine opere vel voce dicit dominus: »qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio«: aperte monstrat esse culpam non levem, quam tam gravis, scilicet mortis, sequitur damnatio. Ac si dicat: Qui facit quod homo non debet facere, nec faceret si non peccasset, auferri debet ex hominibus. Et cum PAULUS de illis qui carnem, id est concupiscentias, sentiunt nolentes, ait: »nihil damnationis est iis qui sunt in Christo IESU, qui non secundum carnem ambulant«, hoc est non voluntate consentiunt: sine dubio significat eos qui non sunt in Christo sequi damnationem, quotiens sentiunt carnem, etiam si non secundum illam ambulant, quoniam sic factus est homo ut eam sentire, sicut de ira dixi, non deberet. Si quis igitur quae dixi diligenter considerat, nullatenus eos, qui propter culpam suam verbum dei nequeunt suscipere recte arguendos dubitat.

[*VIII.*]

Quibus autem datur gratia fidei Christianae: sicut illis in baptismo dimittitur originalis iniustitia cum qua nascuntur, ita omnis culpa impotentiae et totius corruptionis, quam propter peccatum primi parentis incurrerunt et per quam inhonoratur deus, ignoscitur. De nulla namque culpa, quae ante baptismum in illis erat, post baptismum arguuntur, quamvis ipsa corruptio et appetitus, quae sunt poena peccati, non statim in baptismo deleantur; nec

4 carnem] Cf. Rom. 8,1; et passim. 4-5 concupiscentiam] Cf. Rom. 7,7 s. 5-6 facio] Rom. 7,15 (Vulg.: quod odi malum). 3-7 ad peccatum] Cf. AUGUSTINUS, *Contra duas epistolas Pelagianorum*, l. I, c. X, n. 18 et 19 (*PL* 44,560). 8 iudicio] Matth. 5,22. 12-13 ambulant] Rom. 8,1. 11-14 consentiunt] Cf. AUGUSTINUS, *Sermo* CLV, c. II (*PL* 38,841): Ergo cum dixisset Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*, non dando membra committendis iniquitatibus, sed tantum concupiscendo, nec tamen illicitae concupiscentiae manus dando: ergo cum dixisset, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*, subiecit et ait, *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu* (Rom. 8,1). His qui sunt in carne condemnatio est: his qui sunt in Christo Iesu nulla condemnatio est.

9 scilicet *om. E* 12 iis] his *ES*

ullum illis imputatur delictum post baptismum, nisi quod sua voluntate fecerint. Unde apparet quia corruptio et mala, quae fuerunt poena peccati et post baptismum remanent, non sunt per se peccata. Sola namque iniustitia est per se peccatum, et illa quae sequuntur iniustitiam, propter causam suam iudicantur peccata, donec ipsa remittatur. Nam si peccata essent, in baptismo delerentur, in quo omnia peccata sanguine Christi lavantur. Item si proprie peccata dicerentur, essent in brutis animalibus peccata, ad quorum similitudinem illa propter peccatum nostra sustinet natura.

Est et aliud quod valde timendum est, quod in primo peccato humanae naturae cognosci potest. Quoniam enim homo est »spiritus vadens et non rediens«, postquam sponte cadit – ut de voluntariis peccatis tantum nunc loquar –: nullo modo potest resurgere nisi gratia relevetur, sed merito suo de peccato in peccatum usque in abyssum peccatorum sine fundo, hoc est profundam sine aestimatione demergatur, nisi misericordia retineatur, ita ut etiam bonum illi vertatur in odium et sit ei in mortem. Unde dicit dominus

274,20-275,5 remittatur] Cf. AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, l. I, c. XXIII, n. 25 (*PL* 44,428): Haec omnino concupiscentia, haec lex peccati habitans in membris, cui lex iustitiae vetat obedire...haec, inquam, concupiscentia, quae solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum regeneratione traicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur. Nam ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad allicita opera non consentitur... Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit; reatus eius valet in generato: quem reatum Christi, gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodam modo iubenti non obediat, valere non sinit. — *Retractationes*, l. I, c. XV, n. 2 (32,608): Potest etiam putari falsa esse ista sententia qua diximus, nusquam nisi in voluntate esse peccatum, quia dixit Apostolus: *Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Hoc enim peccatum usque adeo non est in voluntate, ut dicat: *Quod nolo, hoc facio.* Quomodo ergo nusquam est nisi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia de peccato factum est, et poena peccati est; quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus dicens: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum; velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum, non* (Rom. 7,16-18). — *Ibidem*, (608 s.): Perfectio quippe boni est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando bene vivitur, non consentit voluntas... cuius concupiscentiae reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit, studiosissime reluctatur. — *Contra duas epistolas Pelagianorum*, l. I, c. XIII, n. 27 (*PL* 44,563). — Et passim. 10-11 rediens] Ps. 77,39.

5 remittantur *E*

apostolis : »Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit«. Et apostolus : »Bonus odor sumus deo«, »aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam«. Propter quod dicitur de deo quia »cui vult miseretur, et quem vult indurat«. Verum quorum miseretur, non omnium aequaliter miseretur, neque quos indurat, omnes aequaliter indurat.

[*IX.*]

Cur autem in hac vita perseveret in nobis poena peccati, deleto peccato, alia quaestio est. De qua licet nunc tractare non proposuimus, breviter tamen dico quia, si in incorruptionem statim in baptismo vel in martyrio mutarentur fideles, periret meritum, et homines, nisi illi qui primi sine exemplo crederent, nullo merito salvarentur. Nempe deficeret fides et spes, sine quibus nullus homo habens intellectum regnum dei mereri potest. Fides namque et spes sunt earum rerum quae non videntur. Cum enim viderent homines eos, qui ad Christum converterentur, statim transire ad incorruptibilitatem : nullus esset qui saltem velle posset se subtrahere a tanta beatudine quam videret. Ut ergo gloriosius per fidei atque spei meritum beatitudinem quam desideramus adispiscamur, manemus, quamdiu in hac vita sumus, in hoc quod iam non imputatur ad peccatum, quamvis evenerit propter peccatum.

Denique non promittitur nobis per baptismum et fidem Christianam beatitudo quam habebat ADAM in paradiso ante peccatum ; sed quam habiturus erat, quando completus esset numerus hominum qui assumendi erant ad perficiendam civitatem supernam, quae de angelis et hominibus est complenda, ubi non generabunt homines, sicut facerent in paradiso. Si ergo conversi ad Christum mox transirent in illam incorruptibilitatem, non essent homines de quibus colligi posset numerus ille, quoniam ad beatitūdinem quam viderent, nullus posset non festinare. Hoc puto esse quod dicit apostolus de illis, »qui per fidem« »operati sunt iustitiam«. »Et hi omnes« inquit »testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, deo pro nobis melius

1 habuit] Ioh. 15,18. 2 deo] 2 Cor. 2,15. 2-3 in vitam] Ibidem, v. 16. 4 indurat] Rom. 9,18 (Vulg.: cuius). 12-13 videntur] Cf. Hebr. 11,1. 22-23 complenda] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XVI, p. 74 s. 23 homines] Cf. Matth. 22,30. 27 iustitiam] Hebr. 11,33.

3 quia *om.* *S* 4 quem vult] vult *om.* *O* 5 omnes *om.* *S* 8 proposuerimus *B* proponeremus *E* 15 a beatitudine tanta *E* 24 in illa *E*

aliquid providente, ne sine nobis consummarentur«. Si enim quaeritur quid melius nobis deus providerit, ex hoc quia illi »non acceperunt repromissionem«, nihil convenientius posse responderi video, quam quod supra dixi : quia scilicet si illis probatis non differretur promissa iustis beatitudo, periret meritum in illis qui hoc non per fidem, sed per experimentum cognoscerent. Propagatio etiam hominum, de qua nos nati sumus, deficeret, quoniam omnes ad incorruptibilitatem, quam praesentem viderent, currerent. Magnum itaque bonum nobis providit deus, cum sanctis »testimonio fidei probatis« distulit acceptionem repromissionis, ut et nos propagaremur, et maneret fides, per quam cum illis repromissionem promereremur, et simul cum illis consummaremur.

Alia quoque ratio est, cur baptizati atque martyres non statim fiunt incorruptibiles. Nempe si quis servum suum, quem proposuerat magnis aliquando ditare honoribus graviter verberet pro culpa, pro qua nullo modo per se queat satisfacere, post hanc verberationem constituto tempore detrusurus eum in horrendum carcerem, ubi gravissimis torqueatur suppliciis, et sit aliquis potens apud dominum qui pro illo satisfaciens eum reconciliet : utique plagae, quas reus ante satisfactionem, dum erat in culpa, merito suscepit, non delentur, sed tormenta maiora, in quae nondum intrusus fuerat, reconciliatione praeveniente avertuntur. Honores quoque, quos suo tempore accepturus erat, si non peccasset, et quibus cariturus erat post culpam, si non reconciliaretur : propter perfectam satisfactionem, sicut prius statutum fuerat, sine omni immutatione traduntur. Quippe si ante reconciliationem exhaeredatus esset illis honoribus, quemadmodum exhaeredandus erat post culpam irrecuperabiliter, si non reconciliaretur : non haberet locum subveniendi ulla reconciliatio. Sed quoniam non potuit exhaeredari honore, quem nondum habebat nec habere debebat : hanc exhaeredationem praevenire potest reconciliatio et avertere, si tamen servus ille, dum iacet in aegritudine vapulationis donec ipsa transeat, corde et ore domino suo fidelitatem et correctionem vovet et solvit.

Ita est inter deum et hominem. Quippe quando humana natura primum peccavit, hac poena flagellata est, ut numquam naturaliter prolem nisi talem

276,27-277,1 consummarentur] Ibidem, v. 39 s. (Vulg.: ut non sine). 10 consummaremur] Ad praecedentia cf. AUGUSTINUS, *Enchiridion*, c. LXVI (*PL* 40,263). – *De peccatorum meritis et remissione*, l. II, c. XXXIV (*PL* 44,183 s.).

1 quid] quod *O* 13 verberaret *S; Divion. 182* 20 si post culpam *O*

quales videmus infantes nasci generaret, ac post hanc vitam in inferno, a regno dei ad quod facta erat, in perpetuum exularet; nisi aliquis illam, quod ipsa sola per se facere non poterat, reconciliaret. A quo autem reconciliari queat, non est nisi Christus. In omnibus igitur infantibus naturaliter genitis cum peccato et flagellata nascitur. Quae cum ad reconciliationem accedit, flagellatio merito remanet, quam ante reconciliationem suscepit. Quae autem in inferno tormenta passura erat, in illis quos Christus redimit remittuntur, et regno dei quod post conversationem paradisi terrenti suo tempore acceptura erat donatur, – si tamen in fide, quam promittant in baptismo, usque in finem perseverent.

[*X.*]

Quod autem quidam experimento existimant probari nihil valere liberum arbitrium, quia multi immenso conatu nituntur ut bene vivant, et quadam, ut aiunt, impossibilitate obstante nihil proficiunt, aut post profectum irreparabiliter deficiunt: non destruit quod rationabiliter monstratum est, liberum scilicet arbitrium cum gratia valere. Ut autem nitentes non proficiant aut post profectum deficiant, non impossibilitate, sed aliquando gravi, aliquando facile superabili difficultate fieri existimo. Saepissime namque asserere solemus impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere non valemus. Si enim diligenter unusquisque motus voluntatis suae consideret, intelliget se numquam rectitudinem voluntatis acceptam per gratiam, nisi aliud volendo quod simul velle nequit, deserere. Quod certe non facit deficiente potestate servandi eandem rectitudinem, quae potestas est ipsa libertas arbitrii, sed deficiente voluntate servandi quae per se non deficit, sed alia voluntate illam, ut dixi, expellente.

[*XI.*]

Quoniam autem ista consideratio maxime versatur in voluntate, aliquid altius de voluntate quod, ut puto, non erit inutile, dicendum existimo. Sicut habemus in corpore membra et quinque sensus singula ad suos usus apta,

16-18 existimo] Cf. *De libertate arbitrii*, c. VI, vol. I, p. 217,26 ss. 18-19 valemus] Cf. *ibidem*, p. 218,4-6.

5 flagellata] flagellatio *E* 7 redemit *E* 27-28 versatur — quod ut *abscisum in E*

quibus quasi instrumentis utimur, ut sunt manus aptae ad capiendum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum: ita et anima habet in se quasdam vires, quibus utitur velut instrumentis ad usus congruos. Est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum, et voluntas, qua utitur ad volendum. Non enim est ratio vel voluntas tota anima, sed est unaquaeque aliquid in anima. Quoniam ergo singula instrumenta habent et hoc quod sunt, et aptitudines suas, et suos usus: discernamus in voluntate propter quam ista dicimus instrumentum, et aptitudines eius, et usus eius. Quas aptitudines in voluntate possumus nominare ‚affectiones'. Affectum quippe est instrumentum volendi suis aptitudinibus. Unde dicitur hominis anima, cum vehementer vult aliquid, affecta esse ad volendum illud, vel affectuose velle.

Voluntas utique dici videtur aequivoce tripliciter. Aliud est enim instrumentum volendi, aliud affectio instrumenti, aliud usus eiusdem instrumenti. Instrumentum volendi est vis illa animae qua utimur ad volendum, sicuti est ratio instrumentum ratiocinandi quo utimur cum ratiocinamur, et visus instrumentum videndi quo utimur quando videmus. Affectio huius instrumenti est, qua sic afficitur ipsum instrumentum ad volendum aliquid – etiam quando illud quod vult non cogitat –, ut si venit in memoriam, aut statim aut suo tempore illud velit. Nam sic est instrumentum volendi affectum ad volendum salutem – etiam quando illam non cogitat –, ut mox cum venerit in memoriam, statim eam velit. Et sic est affectum ad volendum somnum – etiam quando non illum cogitat –, ut cum venit in mentem, velit illum suo tempore. Numquam enim ita est affectum, ut aliquando velit aegritudinem aut ut velit numquam dormire. In iusto quoque homine similiter est affectum idem instrumentum ad volendum iustitiam – etiam cum dormit –, ut cum eam cogitat, statim illam velit. Usus vero eiusdem instrumenti est, quem non habemus, nisi cum cogitamus rem quam volumus.

14 affectio instrumenti] instrumenti *om. E* 19 si veniat *E* 27-28 (sta)tim illam — nisi cum *abscisum in E*

Prior recensio (= *VML; T in fine*): 13 utique dici videtur aequivoce] namque (*om. L*) aequivoce dicitur *VML* 15 ad volendum] hoc vel illud *add. VM* (*om. L*) 16 et] Et *VM* (et *L*) 17 videmus] aliquid *add. VM* (*om. L*) 19 cogitatur *VML* 24-25 velit numquam dormire] numquam velit (vel. numq. *L*) posse dormire *VML* 25-27 In iusto – velit *om. VML*

Dicitur autem ‚voluntas' et instrumentum volendi, et affectio eius, et usus eius. Instrumentum quidem voluntatem vocamus, quando dicimus nos convertere voluntatem ad diversa ; modo scilicet ad volendum ambulare, modo ad volendum sedere, modo ad volendum aliud et aliud. Hoc instrumentum semper habet homo, quamvis illo non semper utatur ; sicut habet visum qui est instrumentum videndi, etiam quando illo non utitur, ut cum dormit. Et cum eo utitur, convertit illum modo ad videndum caelum, modo ad videndum terram, modo ad aliquid aliud. Et sicut semper habemus instrumentum ratiocinandi, hoc est rationem, qua non semper utimur et quam ratiocinando ad diversa convertimus. Affectio vero instrumenti volendi dicitur voluntas, quando dicimus hominem semper habere voluntatem, ut bene sibi sit. Vocamus namque hic voluntatem affectionem illam eiusdem instrumenti, qua vult homo bene sibi esse. Eodem modo cum sanctus homo asseritur, etiam cum dormit et non hoc cogitat, indesinenter habere voluntatem iuste vivendi. Et cum hanc voluntatem asserimus alium alio maiorem habere, non aliud dicimus voluntatem quam illam affectionem ipsius instrumenti, qua vult iuste vivere. Instrumentum enim non est in alio maius, et in alio minus. Usus autem huius instrumenti voluntas nominatur, cum dicit aliquis : modo habeo voluntatem legendi, id est : modo volo legere ; aut : modo habeo voluntatem scribendi, hoc est : modo volo scribere. Sicut enim videre est uti visu qui est instrumentum videndi, et usus eius est visio vel visus, quando visus significat idem quod visio – significat enim etiam visus ipsum instrumentum –: ita velle est uti voluntate quae est instrumentum volendi, et usus eius est voluntas, quae non est, nisi quando cogitamus quod volumus.

Voluntas igitur quae est instrumentum, una sola est ; id est, instru-

7 Et cum] et cum *COS* 8 ad videndam terram *S* modo ad] videndum *add. E* Et sicut] et sicut *E* 16 ipsius] illius *E* 18 cum] et cum *S* 21 usus est eius *S*

Prior recensio: 1 Dicitur aut. vol. et instrum. volendi] Itaque et instrumentum volendi voluntas dicitur *VML* 7 Et] quem *VML* illum *om. VML* 8-10 Et sicut – convertimus *om. VML* 12-13 Vocamus – sibi esse *om. VML* 13 Eodem modo] et *VML* 14 et non] et quando non *VML* 15-17 Et cum – minus *om. VML* 18 huius] eiusdem *VML* 22-23 signif. en. etiam visus ipsum instrumentum *om. VML*

mentum volendi unum solum est in homine, sicut una sola ratio, id est unum solum instrumentum ratiocinandi. Voluntas vero qua instrumentum illud affi-
3 citur, duplex est. Nam sicut visus plures habet aptitudines, scilicet ad videndum lucem, et per lucem ad videndum figuras, ⟨et per figuras⟩ ad videndum colores: ita instrumentum volendi duas habet aptitudines, quas voco ‚affec-
6 tiones'. Quarum una est ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem. Nempe nihil vult voluntas quae est instrumentum, nisi aut commoditatem aut rectitudinem. Quidquid enim aliud vult, aut propter commo-
9 ditatem aut propter rectitudinem vult, et ad has – etiam si fallitur – putat se referre quod vult. Per affectionem quidem quae est ad volendum commoditatem, semper vult homo beatitudinem et beatus esse. Per illam vero quae
12 est ad volendum rectitudinem, vult rectitudinem et rectus, id est iustus esse. Propter commoditatem autem vult aliquid, ut cum vult arare vel laborare, ut habeat unde tueatur vitam et salutem, quae iudicat esse commoda. Prop-
15 ter rectitudinem vero, ut cum vult cum labore discere, ut sciat recte, id est iuste vivere. Voluntas vero quae est usus saepe dicti instrumenti, non

4 et per figuras *supplevi; deest in omnibus mss.* 7 nihil] nil *S*

Prior recensio: 3-6 Nam sicut – affectiones] Duae namque sunt principales affectiones, quae omnes alias continent *VML* 6 Quarum] quarum *VML* 7 rectitudinem] iustitiam *VML*; *et add.*: Illa quae est ad volendum commoditatem, inseparabilis est. Illa vero quae est ad volendum iustitiam, in hac vita deseri potest (*Cf. inferius, ad c. XII, p. 284,10-14:* Quae duae voluntates... manentibus) nisi aut] commodum, id est in quo putat aliquam *add. VM* (*om. L*) 8 aut rectitudinem] aut iustitiam *VML* 9 propter rectitudinem] propter iustitiam *VML* 9-12 et ad has – iustus esse *om. VML hoc loco; cf. quae eorum loco sequuntur inferius post verba* iuste vivere *(l. 16)* 13 autem vult aliquid *om. VML* 14 et salutem] vel salutem *VML* 15 rectitudinem vero] iustitiam autem *VML* cum vult] homo *add. VML* 15-16 recte, id est *om. VML* 16 iuste vivere] Per affectionem, quae est ad volendum commoditatem, semper vult homo beatitudinem et beatus esse. Per illam vero, quae est ad volendum iustitiam, vult iustitiam et iustus esse (est esse M^2). Quidquid aliud vult, ad hoc, etiam si (et si M^2) fallitur, putat se referre *(cf. superius ad l. 9-12)*. Est autem beatitudo sufficientia commodorum secundum (scilicet *M*) sanae mentis voluntatem (*Cf.*

est nisi cum cogitat aliquis quod vult, ut dictum est. Huius voluntatis multiplex est divisio, de qua non modo, sed forsitan alias dicemus.

Velle autem aequivocum est, sicut videre. Quemadmodum namque 3
dicitur videre qui utitur visu, et qui non utitur, sed habet aptitudinem videndi: ita asseritur velle et qui utitur instrumento volendi cogitando quod

2 alias] Cf. SCHMITT, FR. SAL., *Ein neus, unvollendetes Werk des hl. Anselm v. C., Beiträge zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters*, t. XXXIII, 3 (1936), p. 16,37 ss.

ad c. XIII, p. 285,19-21: In beatitudine autem, secundum omnium sensum, est sufficientia competentium commodorum sine omni indigentia). Miseria vero est indigentia (indignantia M^1) alicuius commodi vel plurimorum (*cf. inferius p. 286,3:* Ubi vero est indigentia, ibi est miseria), id est absentia commodi vel commodorum contra voluntatem carentis. Sive enim magna sive parva sit indigentia, miseria est *add. VML* (Quidquid – miseria est *om. L*) 281,16-282,2 Voluntas vero – dicemus *om. VML; eorum loco habentur quae sequuntur:* Voluntas vero, quae est usus instrumenti, alia est propter rem quam (qua *L*) dicitur velle, ut quando volumus salutem propter se; alia propter aliud, ut cum vult homo loricam propter salutem. Item. Alia est ad esse, ut cum volumus aliquid esse, alia ad non esse, ut cum volumus aliquid non esse (Item – non esse *om. L*). Est et alia huius voluntatis divisio. Alia enim (*hic verbis* Voluntas alia *incipit T*) dici potest efficiens, alia approbans, alia concedens, alia (alia *bis* M^2) permittens. Efficiens est, quae facit ut sit quod vult, si potest, ut cum vult aliquis legere, et legit; et (Et *T*) si non potest, tamen (tunc non M^1) vult. Secundum (Secundam *L*) hanc, quae facit quod vult, dicitur de deo (quia *add. L*): »omnia (Omnia *T*) quaecumque voluit fecit« (Ps. 103,3). Approbans est, quae (qui M^1) approbat aliquid, quod dicitur velle. Secundum hanc vult deus omnem hominem salvum fieri (cf. 1 Tim. 2,4), quoniam (quam M^2) nullum prohibet, quantum ad se, facere ut salvus sit; sed (Sed *L*) cum aliquis hoc (hoc *om. L*) facit, approbat, et si omnes facerent, approbaret (approbarent *M*). Concedens est, quando concedit aliquis, ut fiat aliquid. Per (Secundum *T*) hanc voluntatem vult deus, ut homo, qui (quod M^1) melius non proposuit, uxorem ducat, id est, concedit ut ducat. Permittens est, quando permittimus aliquid fieri, quod (quam *L*) tamen nobis displicet (*hic deficit L*). Hoc modo dicitur deus velle mala, quae permittit fieri, ut cum dicitur quia (quia *om. T*) »quem

vult, et qui non utitur, quoniam affectionem, hoc est aptitudinem, habet volendi.

Per hoc etiam cognosci potest aliam esse voluntatem instrumentum volendi, aliam eius affectionem, aliam usum eiusdem instrumenti : quia si dicitur iustus homo, etiam cum dormit et nihil cogitat, habere voluntatem iuste vivendi, et iniustus homo negatur habere, cum dormit, voluntatem iuste vivendi, eadem voluntas negatur de iniusto quae asseritur de iusto. Palam autem est quia, cum dicimus non esse in iniusto dormiente voluntatem iuste vivendi, non negatur in eo voluntas esse quam dixi instrumentum, quoniam eam semper habet omnis homo, dormiens et vigilans. Quapropter quoniam non alia voluntas pronuntiatur hoc modo in bono esse homine, quam illa quae removetur a malo : non significatur in bono esse voluntas quae est instrumentum, sed illa qua afficitur instrumentum. Quoniam autem in dormiente – nisi somniet – non sit voluntas quae est usus, dubium non est. Quare cum dicitur in dormiente iusto voluntas iuste vivendi, non ibi intelligitur voluntas usus. Non est igitur voluntas affectio voluntas instrumentum aut voluntas usus. Voluntatem quoque instrumentum non esse voluntatem usum nullus ignorat, quoniam cum dico me non habere voluntatem scribendi, nemo intelligit me non habere instrumentum volendi. Alia ergo est voluntas instrumentum, alia voluntas affectio, alia voluntas usus.

Voluntas quidem instrumentum movet omnia alia instrumenta quibus

4 eius] esse (*in margine*) *E* 10 habet semper *S* 15 in iusto dormiente *S* 17 Voluntatem quoque] Voluntas quoque *C*

(quos *T*) vult, indurat« (Rom, 9,18). Cum ergo dico : iustitia est rectitudo voluntatis, voluntatem (voluntatis M^2) quae est instrumentum (id est vis animae qua utitur ad volendum *add. T*), intelligo (quae supradictas in se suscipit affectiones, quibus afficitur aliquid ad volendum, etiam cum illud non cogitat quod vult. Ut si venit in memoriam, aut statim aut suo tempore illud velit. Usus autem huius instrumenti est cogitatio, quam non habemus, nisi cum cogitamus rem quam volumus. Rationis autem est inter cogitationes discernere, ut cum ipsis cogitationibus ipsae affectiones excitantur, non nisi iustis vel utilibus ac necessariis per consensum adquiescatur *add. T*). Propter se servatam dico, quia si propter aliud quam propter ipsam rectitudinem vult aliquis quod rectum est, non idcirco est iustus. Servatur autem propter se per libertatem arbitrii.

sponte utimur, et quae sunt in nobis – ut manus, lingua, visus –, et quae sunt extra nos – ut stilus et securis –, et facit omnes voluntarios motus; ipsa vero se suis affectionibus movet. Unde dici potest instrumentum se ipsum movens. Dico voluntatem instrumentum omnes voluntarios motus facere; sed si diligenter consideramus, ille verius dicitur facere omne quod facit natura aut voluntas, qui facit naturam et instrumentum volendi cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil facit.

[*XII.*]

Ex his duabus affectionibus, quas etiam voluntates dicimus, descendit omne meritum hominis, sive bonum sive malum. Quae duae voluntates etiam in hoc differunt, quia illa quae est ad volendum commodum, inseparabilis est; illa vero quae est ad volendum rectitudinem, separabilis fuit – ut supra dixi – in principio in angelis et in primis nostris parentibus, et est adhuc in hac vita manentibus. In hoc quoque differunt, quia illa quae est ad volendum commodum, non est hoc quod ipsa vult; illa vero quae est ad volendum rectitudinem, rectitudo est. Nullus quippe vult rectitudinem, nisi rectitudinem habens; neque potest aliquis rectitudinem velle, nisi rectitudine. Palam autem est eius voluntatis quae est instrumentum, istam esse rectitudinem. Hanc pronuntiamus, cum iustitia designatur: ‚rectitudo voluntatis propter se servata'. Haec est etiam veritas illa voluntatis, in qua arguitur a domino diabolus non stetisse; quod dixi in tractatu *De veritate*.

Nunc considerandum est quomodo ex his duabus voluntatibus, quas voco ‚aptitudines' sive ‚affectiones', procedant – sicut dixi – merita hominum, sive ad salutem, sive ad damnationem. Rectitudo quidem, quantum in ipsa est, nullius mali causa est, et omnis meriti boni mater est. Haec enim favet spiritui concupiscenti »adversus carnem«, et condelectatur »legi dei secundum interiorem hominem«, id est secundum eundem spiritum. Si autem ex illa malum aliquando sequi videtur, non ex ipsa, sed ex alio ⟨procedit⟩. Per rec-

12-13 supra] Cf. qu. I, c. VI, p. 256,22-23. 19-20 servata] Cf. ibidem, p. 256, 14-15. 20-21 stetisse] Cf. Ioh. 8,44. 21 *De veritate*] In c. IV, vol. I, p. 180 s. 25-26 adversus carnem] Cf. Gal. 5,17. 26-27 hominem] Rom. 7,22.

1 ut] est *add. E* 3 suis se *E* 5 diligenter si *E* 15 hoc quod] hoc *om. E* 18 rectitudinem esse *E* 28 procedit *supplevi (cf. 285,2); deest in mss.*

titudinem quippe apostoli erant »bonus odor« »deo«. Sed quod quibusdam erant »odor mortis in mortem«: non procedebat ex apostolorum iustitia, sed ex malivolorum nequitia. Illa vero voluntas quae est ad volendum commodum, non semper mala, sed quando consentit carni concupiscenti »adversus spiritum«.

[*XIII.*]

Sed ut hoc planius intelligatur, investigandum est, unde tam vitiosa et tam prona sit ad malum ista voluntas. Non enim credendum est talem illam deum fecisse in primis nostris parentibus. Cum enim protuli naturam humanam propter peccatum incurrisse corruptionem et appetitus ad similitudinem brutorum animalium, non dixi quomodo talis voluntas orta sit in homine. Aliud namque sunt appetitus vitiosi, aliud vitiosa voluntas appetitibus consentiens. De tali ergo voluntate quaerendum puto, unde homini acciderit. Sed si primam rationalis naturae conditionem consideremus, facile nobis huius talis voluntatis causa patebit. Intentio namque dei fuit, ut iustam faceret atque beatam naturam rationalem ad fruendum se. Sed neque iusta neque beata esse potuit sine voluntate iustitiae et beatitudinis. Voluntas quidem iustitiae est ipsa iustitia; voluntas vero beatitudinis non est beatitudo, quia non omnis habet beatitudinem, qui habet eius voluntatem. In beatitudine autem, secundum omnium sensum, est sufficientia competentium commodorum sine omni indigentia, sive angelica intelligatur beatitudo, sive illa quam habebat ADAM in paradiso. Quamvis enim maior sit beatitudo angelorum, quam illa quae erat hominis in paradiso, non tamen ideo negari potest ADAM beatitudinem habuisse. Sicut namque calor magnus est sine omni frigore, et tamen potest alius maior esse calor; et quemadmodum frigus est sine omni calore, cum tamen maius valeat esse frigus: ita nihil prohibet ADAM beatum fuisse in paradiso sine omni indigentia, licet maior esset

1 deo] 2 Cor. 2,15. 2 in mortem] Ibidem, v. 16. 4-5 adversus spiritum] Cf. Gal. 5,17. 9 protuli] Cf. c. VII, p. 273,23 ss. 15-16 ad fruendum se] Cf. *Cur deus homo*, l. II, c. I, p. 97,4-5. 19-21 indigentia] Cf. *Cur deus homo*, l. I, c. XXIV, p. 93,8. 26-27 indigentia] Cf. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, l. XIV, c. XXVI (*CSEL* XXXX, pars 2, p. 53; *PL* 41,434): Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus iusserat; vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestata, ita semper vivere habens in potestate.

23 illa quae] quae *om. O* 25 calor esse maior *S*

angelica beatitudo. Nempe aliquid minus alio habere non semper est indigere; sed aliqua re, cum eam haberi oporteat, carere – quod non erat in ADAM – est indigere. Ubi vero est indigentia, ibi est miseria. Non autem fecit deus sine praecedente culpa rationalem naturam miseram, quam ad intelligendum et amandum se creavit. Fecit igitur deus hominem beatum sine omni indigentia. Simul ergo accepit rationalis natura et voluntatem beatitudinis, et beatitudinem, et voluntatem iustitiae, id est rectitudinem, quae est ipsa iustitia, et liberum arbitrium, sine quo iustitiam servare non valuit.

Sic autem deus ordinavit has duas voluntates sive affectiones, ut voluntas quae est instrumentum, uteretur ea quae est iustitia, ad imperium et regimen, docente spiritu, qui et mens et ratio dicitur; et altera uteretur ad oboediendum sine omni incommoditate. Beatitudinem quidem dedit homini – ut de angelis taceam – ad commodum eius; iustitiam vero ad honorem suum. Sed iustitiam ita, ut illam posset deserere; quatenus cum illam non desereret, sed perseveranter servaret, provehi mereretur ad consortium angelorum. Quod si illam desereret, nullatenus eam per se deinceps resumere posset, et beatitudinem angelorum non adipisceretur, et illa quam habebat privaretur, et in similitudinem brutorum animalium cadens cum illis corruptioni et saepe fatis appetitibus subiaceret. Voluntas tamen beatitudinis maneret, ut per indigentiam bonorum quae perdidisset, gravi miseria iuste puniretur. Quoniam ergo deseruit iustitiam, perdidit beatitudinem; et voluntas quam bonam et ad bonum suum accepit, fervens desiderio commodorum quae non velle nequit, quia vera commoda rationali naturae convenientia, quae perdidit habere non valet: ad falsa et brutorum animalium commoda, quae bestiales appetitus suggerunt, se convertit; et ita cum ea vult inordinate, rectitudinem aut ne accipiatur oblata repellit, aut acceptam expellit. Cum vero ea licite vult, non hoc facit.

Hoc igitur modo voluntas instrumentum, creata bona inquantum habet esse, et iusta et fortis ad servandum acceptam iustitiam: per liberum arbitrium facta est mala, non inquantum est, sed inquantum iniusta facta est per absentiam sponte desertae iustitiae, quam semper habere deberet. Infirma quoque modo facta est ad volendum iustitiam desertam. Non enim per liberum arbitrium ita potest eam velle, cum illam non habet, quemadmodum

4-5 creavit] Cf. *Monologion*, c. LXVIII, vol. I, p. 78 s.

1 beatitudo angelica *E* 26 oblatam *EOS* 31 debet *E*

valet eam servare cum habet. Voluntas etiam commodi, condita bona inquantum est: aliquid mala, id est iniusta facta est, quia non est subdita iustitiae, sine qua nihil velle debet. Voluntas ergo instrumentum, cum sponte facta sit iniusta, post desertam iustitiam manet, quantum in ipsa est, necessitate iniusta et ancilla iniustitae; quia per se redire nequit ad iustitiam, sine qua numquam libera est, quia naturalis libertas arbitrii sine illa otiosa est. Ancilla etiam facta est suae affectionis, quae ad commodum est, quia remota iustitia nihil potest velle nisi quod illa vult. Dico autem et instrumentum et affectionem eius ‚velle', quia et instrumentum est voluntas, et affectio voluntas, nec incongrue utraque voluntas velle dicitur: quia et illa vult, quae affectione sua vult, et affectio vult, per quam illa vult; sicut videre dicitur et homo qui visu videt, et ipse visus quo videt. Unde non absurde possumus dicere affectiones eius voluntatis, quam instrumentum animae dixi, quasi instrumenta eiusdem instrumenti esse, quia illa nihil nisi istis operatur. Perdito igitur instrumento volendi iustitiam, id est rectitudine, nullo modo – nisi per gratiam reddatur – potest voluntas instrumentum velle iustitiam. Quapropter quoniam nihil debet velle nisi iuste: quidquid vult sine rectitudine, vult iniuste. Appetitus vero, quos omnes vocat apostolus »carnem« et »concupiscentiam«, inquantum sunt, non sunt mali vel iniusti; sed quia sunt in rationali natura, ubi non debent esse, dicuntur iniusti. In brutis siquidem animalibus non sunt mali vel iniusti, quia ibi debent esse.

[*XIV.*]

Iam ex iis quae supra dicta sunt, cognosci potest hominem ideo non habere semper iustitiam, quam sine intermissione debet habere, quia nullo modo potest illam per se adipisci vel recuperare. Palam etiam est quia deus bona facit opera sola sua bonitate, quoniam ipse creat voluntatem cum libero arbitrio, et dat illi iustitiam per quam operatur. Mala vero facit sola culpa hominis, quia non ea faceret, si homo illa facere non vellet. Facit tamen hoc quod sunt, quoniam condidit in homine voluntatem, qua sine iustitia

11-12 videt] Cf. c. XI, p. 282,3 ss. 13 dixi] Cf. ibidem, p. 279,15. 18 carnem et concupiscentiam] Cf. locos ad p. 274,4 s. citatos. 25-28 vellet] Cf. AUGUSTINUS, *Sermo* CLXXVI, c. V (*PL* 38,952): Confitere ista omnia a Deo te habere quidquid boni habes, a te quidquid mali.

14 nihil] nil *S* 15 rectitudinem *E* 23 ex his *ES* 24-25 quia nullo modo illam adip. vel recup. per se valet *E*

utitur; et ideo sola culpa hominis mala sunt quae operatur. Non est enim culpa dei, qui creavit in eo cum libertate arbitrii voluntatem, et contulit ei iustitiam, ut nihil nisi iuste vellet; sed culpa hominis, qui iustitiam deseruit, quam servare potuit. Deus igitur habet in bonis quidem quod bona sunt per essentiam, et quod bona sunt per iustitiam; in malis vero solummodo quod bona sunt per essentiam, non quod mala sunt per absentiam debitae iustitiae, quae non est aliquid. Homo autem habet in bonis quod mala non sunt, quia cum posset deserere iustitiam et mala facere, non deseruit, sed servavit per liberum arbitrium, dante et subsequente gratia. In malis vero hoc solum quod mala sunt, quia ea sola propria, id est iniusta voluntate facit.

Puto me iam congrue posse finem ponere tractatui de tribus difficilibus quaestionibus, quem in spe auxilii dei incepi. In quo si qui dixi quod quaerenti cuilibet sufficere debeat: non mihi imputo, quia non ego, sed gratia dei mecum. Hoc autem dico, quia si quis mihi quaerenti de quaestionibus eisdem, quando in eis mens mea rationem quaerendo fluctuabat, ea quae scripsi respondisset, gratias egissem, quia mihi satisfecisset. Quoniam ergo quod inde manifestante deo cognovi, mihi valde placuit: intelligens quia similiter quibusdam placeret, si hoc scriberem, quod gratis accepi, gratis volui petentibus impendere.

7 quae non — quod mala *abscisum E* 11 iam congrue me *E* 15 mens mea in eis *E* 19 impendere] *add.* EXPLICIT LIBER ANSELMI CANTUARIENSIS (CANT. *om. O*) ARCHIEPISCOPI DE CONCORDIA PRAESCIENTIAE ET PRAEDESTINATIONIS ET GRATIAE DEI CUM LIBERO ARBITRIO *BCO idem in litt. minusculis S* Explicit *E*

Date Due

APR 17 '59			
MAY - 8 '61			
MAY 8 '62			
9/6/65			
MAR 22 '66 PAID			
JAN - 3 '67		MAR 3 1992	
		JUN 15 1992	
OCT 24 '67		JUN 12 2009	
PAID NOV 24 '67		JAN 15 1994	
JAN 11 '68 PAID			
		JAN 19 1999	
JUL 10 2000		JAN 19 2007	
FEB 02 2010		JAN 22 2010	

250184

BOSTON COLLEGE
3 9031 01524646 5

FEB 28 1989

MAR 12 1994

Anselm, S
B765
.A83A1S3

Boston College Library
Chestnut Hill 67, Mass.

Books may be kept for two weeks unless a shorter period is specified.

If you cannot find what you want, inquire at the circulation desk for assistance.